




PRESENTED TO THE
3775,,16
Public Library of the City of Boston
SICUT PATRIBUS SIT DEUS NOBIS
BOSTONIA
CONDITA AD.
1630.
CIVITATIS REGIMINE DONATA A.D. 1822.
By Walter Channing, M.D.
Received March 18. 1854 13953



Authorem quæris? Mortalem? præbet Alumnum
Parthenope. Æternum? Dogmata, nomen, honos;
Ast ego (Si quæras Viuum post funera, et ante,
Semper præsentem) semper vtrumque dabo.
Lector, vtrumque tenes, quin plura ex ungue Leonem
Nosce modo, Autoris cætera prodet amor.

PG.

R. D. CAROLI

MUSITANI

PHILOSOPHIÆ, AC MEDICINÆ

Doctoris Clarissimi

DE MORBIS MULIERUM

TRACTATUS

CUI QUÆSTIONES DUÆ, ALTERA

De Semine cum Masculeo, tum Fœmineo, altera de sanguine menstruo, ut pote ad opus aptè facientes sunt præfixæ.

QUÆ AD EARUNDEM NATURAM MULIERUM,

Anatomen, conceptum, uteri gestationem, fœtus animationem, & hominis ortum attinent, ubertim simul explanantur.

OMNIA JUXTA RECENTIORUM PHILOSOPHIÆ PRINCIPIA,

& Medicorum Experimenta, sedulò enucleata.

Cum INDICIBUS *Capitum, Rerum, & Materiarum locupletissimis.*




COLONIÆ ALLOBROGUM

Sumptibus CHOÜET, G. DE TOURNES, CRAMER, PERACHON, RITTER, & S. DE TOURNES.

M. DCCIX.



BIBLIOPOLARUM AD LECTOREM PRÆFATIO.



AUD ita pridem R. D. Caroli Musitani Opera, cùm Chirurgica, tum Medica, typis nostris evulgavimus, quæ non solùm Encomiis ab Amicis laudata, atque à Viris Doctis, inprimis à Lipsiensibus Academicis in suis nunquam satis deprędicandis Ephemeridibus, seu Actis Eruditorum honorificentissimè celebrata; sed & à Medicinæ & Chirurgiæ peritis ac cultoribus magno cum applausu excepta, & nocturnâ versata manu, versata diurnâ:

§ 2 Cuncta

Cuncta namque quæ ad utramque ſcientiam ſpectant non minùs doctè quàm dilucidè tradita complectuntur; Verùm enimverò, licet Humanum Genus variis tentetur Morbis, longè pluribus obnoxius eſt debilior ille ſexus; immanes non modò in pariendo cruciatus patitur; ſed variis, illiſque gravibus ante & poſt partum conflictatur incommodis, quibus, vel præcavendis, vel leniendis, vel penitùs profligandis, ut omnem abſolveret paginam, Artificium ſuum hoc in Opere tibi elargitur Reverend. ac Clariſſimus Author. Quod ſi, ut præcedentia, pro merito ambabus ulnis excipias, non dubitamus, quin propediem Tractatus ſuos de Morbis Infantium, ac de Fracturis & Luxationibus publici juris faciat.

INDEX
ARTICULORUM ET CAPITUM.

QUÆSTIO PRIMA.
De Semine.

D. CAROLI



D. CAROLI MUSITANI

IATRIAS PROFESSORIS,

DE MORBIS MULIERUM LIBER UNICUS.

QUÆSTIO PRIMA.

De Semine.



SEMEN in universum sic dictum est à serendo, quasi serimen, & sicuti vegetabilium semina fertili commissa telluri plantas, fructusque germinant; ità prorsùs ex virili semine in agrum muliebrem deposito homo generatur. Et sanè nil aliud, dùm coitum exercet homo, facere videtur, quàm plantare, quod nos pariter docuit Philosophus ille, qui interrogatus, dùm coitum exercebat, *planto*, respondit, *hominem*, de quo semine in præsenti nos sumus tractaturi, undè sit.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit Semen.

ALicujus rei quidditatem scrutantes, quid nominis cognitum præsupponere debent: cùm igitur nos seminis quidditatem scrutemur, libebit tantisper in hujus articuli vestibulo circa seminis ethymologiam immorari. Semen itàque (ut diximus) à serendo dici

dici communiter volunt, undè satis omnibus commune est quoddam vocabulum, quod ad aliud usque propagandi principium se extendit. Semen græco nomine γόνος nuncupatur, & hinc nomen accipit gonorrhæa, quæ latinis fluxus seminis spontaneus dicitur. Vocatur etiam σπέρμα, & hinc albæ corporis partes, & exangues, quæ ex semine genitæ creduntur, spermaticæ dici solent, quia nimirum ex seminis crassamento efformantur. Appellatur quoque *genitura*, quo nomine sæpiùs utitur *Hippocrates* pluribus in locis: sed distinguitur à giturâ semen; semen enim latè patet, quàm genitura, quia largo modo sumptum accomodatur etiam plantis, genitura verò solis animantibus, iisque perfectis convenit. Sed estò in loquendi rigore differentia hæc inter semen, & genituram statuatur, communiter tamen DD. hæc confundunt nomina. Verùm quid inter semen, & genituram intersit, liquet ex *Arist.* sententiâ; nàm genitura est humidum illud excrementum, quod suo sexui alteruter genitale subministrat; semen autem est conceptus ille, qui ex utroque parente perficitur.

Quò ad seminis naturam, seu quidditatem mirum est, quàm variæ, quàm discrepantes sint de illo assignatæ definitiones, tùm à priscis, tùm à recentioribus. Nos hîc celebriores tantùm adducemus, & ad trutinam revocabimus.

Ut verùm in primis philosophantûm sententias attingamus, *Stoici* secuti principem sectæ *Zenonem* volunt seminis, seu genituræ illam potiorem partem, quæ unà cum crassamento ex viro exiit, esse animæ partem, & avulsionem.

In simili pariter sententiâ constat fuisse *Epicurum*, qui dixit, *semen esse corporis, & animæ detractam partem, ideòque Venereorum usum officere valetudinis commodo.* Id autem *Epicurus* ut pleraque omnia, mutuatus fuisse videtur à *Democrito*, qui apud *Plinium* Venerem damnabat, ut in quâ homo alius exiliret ab homine.

In eâdem quoque sententiâ fuisse *Tertullianum*, & *Gregorium Nyssenum*, constat ex his, quæ litteris consignârunt: *In illo ipso*, inquit *Tertullianus*, *ultimæ voluptatis æstro, quo genitale virus expellitur, nonnè aliquid de animâ videmus exire? Atque adeò marcescimus, & denigrescimus cum lucis detrimento. Gregorius* autem apertè prodidit inesse in hominis semine animam, omnesque animæ facultates in eo delitescere suo & tempore edendas: Id autem ad hunc modum concludit: *Nulla res inanimata vim in sese habet movendi, atque crescendi: atque perspectum est eos, qui in utero aluntur, & incrementum suscipere, & de loco ad locum moveri: igitur unum, ac idem esse debet, tùm animæ, tùm corporis constitutionis principium.*

Hæc autem sententia estò egregios habuerit authores, tamen suspecta illis videri debet, qui verâ religione tenentur? Etenim animæ nequaquàm ex progenitoribus dantur, sed illæ à Deo immediatè creantur.

Inter antiquiores etiam *Hip. lib. de geniturâ* semen definit, *quod sit portio quædam robustissima universi illius humoris, qui in toto corpore continetur.*

Hanc *Hip.* definitionem rejiciunt aliqui, dicendo non esse omninò bonam, quia in ipsâ relucet semen à toto decidere, quod apud omnes ratum non est,

est, sed maximè controversum. Verùm hæc confutatio nihil concludit, quia ex hac definitione nil aliud elicitur, quàm semen esse robustissimam sanguinis portionem, non autem à toto corpore, quia reliqui humores à sanguine differenter in propriis resident conceptaculis, undè ad ipsum distinguendum à reliquis, expresse subdit: *illius humoris, qui in toto corpore continetur.*

Meliùs itaque dicendum hanc *Hip.* definitionem ex eo adæquatam non esse, quia excedit definitum, nàm si sumatur robustissima sanguinis portio hominis non adhuc adulti, de hac etiam verificatur definitio.

Insuper *Aristoteles*, quem nonnulli ex recentioribus sequuntur, 1. *de generatione animalium cap.*18. *Semen* definivit *esse excrementum utile ultimi alimenti.*

Hujus definitionis fundamentum ex sufficienti partium enumeratione ab argumento desumitur adducto ab ipsomet *Aristotele* qui inquit: *Vnumquodque quod est in humano corpore, vel est illius pars secundum naturam, vel præter naturam, vel colliquamentum, vel excrementum, vel alimentum: at semen non est pars secundum naturam i.e. integralis ejusdem corporis, quia ipso deciso, corpus adhuc integrum remanet.*

Neque est pars præter naturam, quia in corpore benè se habente nihil præter naturam inveniri potest; quoniam quod præter naturam est, non nisi in corporibus ægrotis observatur: semen autem in corporibus sanis multum, & efficax reperitur. Insuper non est pars præter naturam, quia in perfectis, & nullo modo monstruosis animalibus reperitur.

Neque est colliquamentum, nàm nostra substantia in ardentissimis tantùm liquatur febribus, proindè in maximis caloribus, & corporibus morbosis cum calore consumptis, ac sine aliquâ delectatione excernitur, quæ excretio semper periculosa erit, cùm mortem minari soleat: Sed semen in ardentibus febribus non excernitur, ejusque excretio est voluptuosa, & quandòque utilis, ut alibi dicemus: igitur semen nostri corporis liquata substantia non erit.

Neque tandèm est alimentum, quoniam ea, quæ nutriunt, forinsecùs adveniunt: at semen intra nos est, quin etiam si alimentum foret, nequiret universas corporis partes nutrire: ergò ex sufficienti partium enumeratione semen est excrementum, & ut excrementum excerni debet, & quia quàm maximè non solùm generationi inservit, sed etiam robori masculo, ideòque utile dici debet: & cùm ex sanguinis reliquiis dependeat, eo quod humor nutrititius superfluus demittitur ad testes pro seminis generatione, meritò deindè concluditur ultimi alimenti i.e. sanguinis: igitur semen est excrementum utile ultimi alimenti.

Verùm tàm *Aristotelis* definitio, quàm aliquorum recentiorum ratiocinatio in multis claudicat, & primò non videtur discriminare semen à sanguine menstruo, qui multò magis excrementum dici debet, cùm singulis mensibus à naturâ excernatur. Insuper utile additum supra excrementum destruit rationem illius, nàm excrementum, ut excrementum inutile est etiam ex *Aristotelis doctrinâ* 2. *de generat. animalium c.* 4. ubi excrementum dicitur quid incoctum, & terreum, adeòque expur-

gandum : semen autem maximè coctum, spumosum, & spirituosum est, ut præ cæteris notavit *Zaccutus Lusitanus*, id ipsum deducens ex *Aristotelis* doctrinâ. Præterea excrementum ex communi medicorum sententiâ, juxta *Galeni* doctrinam *lib.* 2. *de diff. febr. c. ult.* vel est excrementum quantitatis, vel qualitatis: modò semen nec excrementum quantitatis dici potest, quia in corpore sano non exuperat, & assiduò in suis conceptabulis conservatur, quod si quandòque abundat, natura per pollutiones involuntarias expellit illud, quia fatuum, & generationi ineptum. Neque excrementum est qualitatis, quia putredinosum, aut corruptum non est, nàm aliter minimè esset generativum, etsi aliquandò corrumpatur, potiùs statum morbosum, quàm naturalem consequitur; undè cum semen degenerabit, æquivocè solùm semen dici potest: ergò verè excrementum non est.

Secundò in multis claudicat ratiocinatio, etenim per illam non sufficienter enumerantur omnes corporis partes; siquidèm ex anatome constat, quod aliæ sunt partes continentes, aliæ contentæ, & aliæ impetum facientes, ut propterea quamvis semen pars continens, & solida corporis non sit, non tamen negari poterit pars humoralis ejusdem, sicut etiam spirituosa, quia à sanguine dependet, & fluxilem retinet conditionem, ac pluribus abundat spiritibus, ideòque in propriis conservatur vasis. Neque solùm dici potest semen pars humoralis corporis, verùm etiam alibilis, si non totius, saltim testium, & reliquarum partium, in quibus continetur; etenim secundum plurimorum sententiam semen est testium, & partium pudendarum nutrimentum. Tandèm licèt semen ex sanguine fieri dicatur tanquàm ex materiâ, non tamen rationabiliter dici potest illius excrementum, quemadmodùm nec sanguinem appellamus excrementum chyli, licèt ex chylo (ut dicunt) originem trahat, aliàs homo ipse esset seminis excrementum.

Alij semen definiunt, quod sit instrumentum effectivè viventis à vivente decisum pro similis generatione.

Statuerunt isti animam à semine provenire, sed non immediatè. Ideòque in semine negârunt esse animam; vim tamen in eo à generante communicatam esse docuerunt, à quâ, & formatio corporis, & ipsa anima generati proveniat. Hujus sententiæ fuit *Iacobus Schegkius*, *Albertus Magnus*, & alij Peripatetici, qui docuerunt generans quidèm semen communicare, non tamen cum semine animam, sed saltim semini virtutem tribuere, quâ mediante, etiam mortuo generante, semen animam generato tribuat, ità ut semen, quod in se animam non habet, vivens tamen, & animam generet, non à se ipso, sed in virtute generantis. Sicut enim videmus in motu projectorum, ea moveri non à seipsis, sed vi à projiciente impressâ, etsi projiciens cum projecto ampliùs non conjungatur, & à malleo artis habitum non habente aliquid artificiosum produci, non propriâ, sed artificis, qui malleo utitur, vi: ità etiam à semine inanimato animatum produci, vi ab inanimato impressâ.

Cùm animadverterent multa absurda sequi, si semen simpliciter pro instrumento habeatur, ac proindè distinguunt inter instrumentum conjunctum, & separatum. Hujus autem distinctionis

nis necessitatem sumi putant ex diversitate perfectionis agentium, & naturâ ordinis rerum. Quædam enim operari cum medio, & sine medio, ut viventia; alia inferioris ordinis, non habere tantam perfectionem, eaque operari per seipsa. Instrumenta ergò separata docent operari per virtutem permanentem, quam habent participatam ab agente; conjuncta verò successivè suscipere virtutem operandi, & ob id dependenter à suo principali agente operari.

Separati instrumenti naturam explicant exemplo politico: Rex enim in locis dissitis operatur, quasi esset præsens, per derivatam à se potentiam, quam tribuit legibus, & judicibus: sed homines privati, & idiotæ sibi solùm viventes, oportet, ut per seipsos operentur.

Afferunt & aliud exemplum, quo suam sententiam probare volunt, machinarum scilicèt artefactarum, seu automatum, & horologiorum, in quibus rotæ plures ordine moventur, absente artifice, impressâ tamen virtute ab artificis primâ directione.

Conjunctorum naturam explicant exemplo Serræ, quæ jacens habet talem dispositionem, ut possit recipere motum in ordine ad secandum; non tamen est instrumentum agens usque dùm recipit directionem ad motum, & secandum ab artifice.

Instrumentum separatum dari etiam motu projectorum probant; Lapis enim projectus moveri potest, etsi statim moriatur projiciens.

Ità etiam rem de semine sese habere statuunt, docentque generare animalia extra se projecto semine, virtute derivatâ permanenter in illo existente, ut possit operari, & operetur de facto sine actuali generantis influxu.

Verùm hæc opinio quocumque etiam modo explicetur, & pallietur, falsa, & à veritate aliena deprehenditur; ipse enim *Arist. etiam 7. metaph. c. 9. tex. 31. Semen inter agentia univoca recenset.* Omnia verò agentia univoca non sunt è numero causarum instrumentalium, sed principalium. Deindè omnia instrumenta propriè dicta cum principali conjunguntur, & per se nullam habent efficaciam, nisi in virtute agentis principalis.

Quæ de instrumento separato afferuntur, nisi rectè explicentur, falsa, & sine ratione conficta sunt. Equidèm posset semen instrumentum separatum appellari, quatenùs nimirùm semen cum generante non necessariò conjungitur, sed ab eo subordinatur, & eandem vim, imò eandem animam, quam generans habet, à generante accepit. Verùm quia ipsi animam semini esse negant, inanem operam sumunt, dùm semen instrumentum separatum esse dicunt. Etenim etsi, dùm instrumentum non agit, re ipsâ ab agente principali separari possit, ut Penicillus à pictore, Serra à fabro, Calamus à scriptore; tamen in ipsâ actione nullum instrumentum dari potest, quod insitâ virtute agat, (ità enim agens principale esset, non instrumentarium) sed omne instrumentum in operatione per se nullam habet efficaciam, sed pendet, & dirigitur à principali agente, & separatum ipsum ampliùs per se non agit.

Distinguendum igitur est inter actum primum, & secundum instrumenti. Ut aliquid sit instrumentum actu primo, sufficit dispositio instrumenti ad actionem aliquam edendam necessaria. Malleus per suam duritiem, gravitatem, for-

mam, & instrumentum ad ducendum, & dilatandum metalla, eaque in certam formam fingenda, sed actu primo. Malleus hoc modo formatus nunquàm per se aliquod metallum ducet, & dilatabit, sed præsentia, & motus artificis eum dirigentis est necessarius, & tùm actu secundo malleus est instrumentum. Ita calor nativus est instrumentum, quo natura ad coquendum utiur; calor tamen ille id non præstat, nisi anima, quæ est causa principalis, concurrat. Et de ratione instrumenti est, agere supra vires suas, & producere effectum se nobiliorem, quatenùs scilicèt à causâ principali movetur, & dirigitur: quòd dùm ea facit, non aliquam virtutem instrumento imprimit, per quam illam actionem, quæ est principalis agentis, edat. Neque n. instrumenta ipsa necessariò fabricatur artifex, sed ea vel à naturâ, vel arte accipit, & ab arte, vel naturâ pro suo usu dispositis utitur; ut in serrâ, quam faber lignarius à fabro ferrario accipit, videre est. Ideòque exemplum politicum Regis in locis dissitis per leges, & judices operantis, ut morale, ad physica non quadrat. Et subordinati judices supremi judicis potiùs ministri, quàm instrumenta sunt, neque virtute physicâ aliquâ communicatâ agunt. Neque n. instrumenta propriè dicta vicariam operam causæ principali præstant, & ità eandem actionem, quam causa principalis, etsi concesso, & communicato modo, edunt, sed saltim concaussæ sunt, & nisi artifex ageret, ipsa etiam nihil agerent, & cessante agentis principalis motu, ipsa etiam ab actione cessant.

Exemplum de impulsu, & motu projectorum quod attinet, vim instrumentis impressam non satis probat. Quâ ratione motus ille projectorum fiat, non satis clarum, & inter philosophos valdè controversum est. Sed magis consentaneum motum hunc fieri potiùs ab aëre, vel ratione aëris, quàm à vi projecto impressâ. Nemo n. hactenus explicare potuit, quæ & qualis sit virtus illa à movente impressa, & quomodò motu locali, brachii v. g. imprimi potuerit, & nunc quidèm immediatè, nunc mediante re aliquâ, ubi inhæreat; quomodò iterùm tàm brevi destruatur. Et plura omninò sunt absurda, quæ hanc opinionem comitantur, & proptereà pro confirmandâ virtute receptâ instrumenti separati afferri non possunt.

Exempla verò illa machinarum artificialium quod attinet, artificialia sunt, in quibus arte non ipsa movendi vis, quæ naturalis est omninò, ut patet in ponderibus appensis, machinis communicatur, sed motus ille totis arte fabrefactis dirigitur, longè verò alia ratio est agentium naturalium.

Nonnulli alio adhuc exemplo instrumenti separati naturam declarare conantur, ferri scilicèt igniti, quod stupam accendit; ajunt n. calorem ferri producere ignem instrumentaliter in virtute ignis, qui ferrum calefacit, & jàm ut instrumentum ejus non ampliùs conjunctum, sed separatum, agit: Potest n. jàm ille ignis, quo ferrum calefactum est, esse extinctus. Verum enim verò ferrum ignitum non accendit stupam vi communicata ab igne jàm absente, sed propter ipsum ignem, qui ferro ignito inest, eique sese per minima insinuavit. Nec calor est instrumentum ignis, nàm in nostrâ sententiâ, calorem ab igne penes gradus tantùm differre probavimus in nostrâ *Pyrotechniâ Sophicâ.*

Et

Et propterea verba sunt, quibus nulla veritas in physicis subest, agens principale transmittere suam actionem per virtutem à se derivatam: sed tota instrumenti ratio, ut dictum est, in eo consistit, ut effectum se nobiliorem producat, eumque non sibi similem, sed artifici. Et hæc communis ratio omnis instrumenti est. Ideòque instrumentum dividi non potest in conjunctum, quod agat, & operetur per aliquod participatum, in esse successivo, & separatum, quod agat per aliquod participatum inhærens. Nàm de omnis instrumenti naturâ est, operari per aliquod participatum ab agenti principali in esse successivo. Et cum primùm successivus ille influxus causæ principalis cessat, etiam tota illa actio instrumentalis cessat: quod verò agit, & operatur per aliquod participatum sibi permanenter inhærens, non est instrumentum, sed jàm ut principale agens operatur; neque supra suas vires agit, quod de essentiâ instrumenti est. Summa agens, cujus effectus respondet, & æqualis est virtuti sibi formaliter inhærenti, est agens principale, non instrumentale; nullumque datur agens in rerum naturâ, quod recipiat virtutem ab alio sibi permanenter inhærentem, per modum instrumenti, aut quod agat virtute sibi communicatâ, sibique permanenter inhærente, ut agens quo, sed quicquid agit, agit ut quod.

Et propterea etiam semen à plantâ, vel animali emissum, quia virtute insitâ, etiam si à nullò ampliùs regatur, corpus plantæ, vel animalis efformare potest, non est agens instrumentale, quia non agit ut instrumentum; sed principale, quia agit ut caussa principalis, virtus autem illa non aliundè fluere potest, quàm ab animâ semini insitâ.

Semen nos juxta nostra principia definimus: *Est spiritus quidam, cui anima, & virtus plastica proximè insidet, & ideam corporis organici, à quo decisum est, in se continet, & proindè corpus organicum simile ei, à quo decisum est, formandi, & individuum ejusdem speciei cum generante sese perficiendi potentiam habens.*

Constat semen ex duabus substantiis, nempè ex humido illo crassamento, quod corpus seminis appellatur, & hoc sensibus nostris est manifestum, atque ex tenuissimâ quadam substantiâ, quæ cùm nostrum effugiat sensum solâ ratione deprehenditur. Cæterùm in hac omnem efficiendi vim, atque energiam inesse demonstrabimus: nam crassior illa substantia, quæ oculis est manifesta, nil aliud est, nisi quoddam vas, seu conceptaculum illius subtilissimæ naturæ, quæ quidèm philosophorum oculos hactenùs elusit, qui pro nucleo cortices acceperunt.

Hoc seminis crassamentum nemini in dubium vertitur, cùm sensibus observandum se præbeat, major difficultas, & obscuritas est de parte illâ tenuissimâ, in quâ efficiendi vis inest: Hæc n. oculorum aciem omninò fugere videtur; authores ferè omnes inculpant celeberrimum illum *Aristotelis* sermonem 2. *de generat. animalium c.* 3. *Inest in semine omnium, quod facit, ut fœcunda sint semina, videlicèt, quod calor vocatur, idque non ignis, non talis facultas aliqua, sed spiritus, qui in semine, spumosoque corpore continetur, & natura, quæ in eo spiritu est, proportione respondens elemento stellarum.*

Verùm ex hisce *Aristotelis* verbis nihil

hil eruere possumus, quod ad explicandam, cognoscendamque seminis naturam facere videatur: nàm *Aristotelicæ* rationis fundamentum positum est in discrimine cœlestis, & elementalis caloris. Nobis autem persuasum est ignem à Sole excitatum esse ejusdem rationis cum illo, qui chalybis, silicumque attritu producitur.

Paracelsus vim, atque energiam seminis positam arbitratur in mumiâ, ut vocat, seu vitali balsamo, & sulphure, quod per animalis corpus se dispergit, suoque favore omnia complecti; ejus autem naturam penè incorpoream vult esse, & conservari in humido genituræ crassamento, ceu in vase idoneo, donec in uterum conjecta vires suas possit exercere.

Pro exactâ hujus spiritus disquisitione dicimus dari agens internum in naturâ, tàm omnibus corporum motibus universale, quàm particularibus rerum naturalium operationibus de naturâ spiritûs, & omninò in se intelligibile.

Hæc thesis licèt scholasticis paradoxica videatur, quia illis nova est; tamen eam subodorasse videntur tàm prisci, quàm recentiores philosophi, qui non tantùm phantasiæ purâ imaginandi thymosi, ut scholastici quidam solent, sed naturæ lumine ducuntur ad rerum naturalium indaginem.

Et quidèm primò *Plato in Timæo* insinuat spiritum in universo Mundo corporeo, ceu animam in corpore omnibus naturæ corporibus veluti præsidere, atque regere, & singulas hujus spiritûs ideas esse veluti particulares actrices, & rectrices quorumcumque corporum, à quibus ideis, & spiritu universali tanquàm à sensibilis hujus orbis, & singulorum corporum ejus Archetypo; omnes tàm ad commune bonum, quàm ad singulorum corporum conservationem, & perfectionem conspirantes motus, atque operationes pendere demonstrat.

Hunc eundem spiritum naturæ nomine videtur etiam designâsse *Aristoteles*; undè quorumcumque naturalium corporum generationes, ac operationes naturæ tribuere videtur, tanquàm ei, quæ verum principium operativum earum est; undè eam quoque definivit *per principium motus, & quietis, ejus in quo est &c. elemento stellarum, in seminibus animalium statuit 2. de generat. animalium cap. 2.*

Hoc idem ens *Hippocrates* calidum appellavit innatum, quod in nostro corpore tanquàm vitalium omnium operationum initium speculatur; hinc 1. *aph.* 14. inquit: *Qui crescunt, plurimum habent calidi innati &c.*

Hoc idem *Galenus* statuit, *tùm in commento hujus aph. tùm lib. de tremore, convulsione, & palpitatione*, aliisque in locis, ubi passim spiritum, sive agens in corde, hepate, & cerebro stabulans, tanquàm omnium vitæ operationum statuit principium.

Hoc idem spagyricæ facultatis cultores variis etiam nominibus insignire conantur; hinc *Lullius quintam essentiam* appellavit, putans nàmque cuncta naturæ corpora componi ex quatuor elementis materialiter, cùm id vitam, esse, & motum eis tribuat, aliud quid ab alimentis diversum esse conspexerit; hinc ei quintæ essentiæ (tanquàm aliud quid præter quatuor elementa) nomen dedit.

Paracelsus cum spagyricis rerum *sulphur* appellat. *Helmontius ens seminale*, ac in

ac in viventibus animatis *Archæum* appellat. *Petrus Io. Faber Spiritum Mundi* appellat,& alij passim recentiores lumine naturæ etiam talem spiritum in universis corporibus tanquàm operationum omnium efficientem causam statuunt.

Undè patet,quòd licèt omnes hi philosophi diversis utantur nominibus, ac mediis, ut hunc spiritum in rerum naturâ designent; tamen omnes in eo convenire videntur, quod esse corporeum minimè participare asserant, licèt in corporibus, & in toto Orbe tanquàm universale agens statuant, quibus præmissis, ut à Scholasticis tanquàm nova hæc thesis non esibiletur; nunc

Probatur posita conclusio lumine naturæ: observantur in naturæ corporibus variæ operationes prodeuntes ab intrinseco eorum esse, attamen id,à quo prodeunt,minimè à sensibus est observabile: ergò de naturâ spiritûs; nam omne,quod est, vel est corporeum, & materiale,ac sensibile,vel incorporeum, spirituale,& intelligibile: at tale agens incorporeum excludit à suo esse corporeum: ergò est de naturâ spiritûs.

Confirmatur, quia id quod in corporibus est principium operationum eò ea permeat, penetratque, ut liberè in eorum penetralibus excurrat, summâque celeritate suâ exequatur munia: sed talis est natura spiritûs, ut scilicèt nil ab esse corporeo impediatur: ergò tale agens est de naturâ spiritûs.

Ex quibus intelligi potest, quid sibi velit *Plato in Timæo*, dùm inquit: *Orbem corporeum, & sensibilem in esse, & operari pendere ab esse intelligibili*, nam de hoc spiritu videtur loqui;qui est universale agens in rerum naturâ, à quo hujus orbis machina, & singula naturæ corpora habent esse,vitam, & motum.

Hinc colligi poterit, quòd quò magis corpora naturalia de esse spiritûs participant,eò magis activiora sint:nam cùm omnis actio corporum pendeat ab eorum spiritu intrinseco,hinc quò magis habent, & participant de spiritu,eò activiora sunt.

Ne verò gratis, & absque ullo fundamento talem spiritum tanquam agens assignari à nobis asserant scholastici, quoniam non determinamus, quomodò in naturâ venerit, atque nunc perseverat tanquam agens, tam universale quorumcumque motuum naturæ in universum,quàm particulare concurrens,scilicèt ad particulares singulorum corporum motus.

Dicimus, quod talis spiritus, qui nunc in rerum naturâ perseverat, tanquam agens universale, à quo tam generationes, quàm conservationes, ac operationes rerum naturalium pendent naturaliter, nil aliud est,nisi illa Idea, quæ in principio creationis rerum naturalium in mente Creatoris fuit concepta; (estò alij dicant esse Spiritum Domini, qui ferebatur super aquas) in mente n. Conditoris Universi præcedere debuit tam universalis Vniversi,quàm particularis in Vniverso contentorum Idea;quia velle non poterat,quod priùs non intellexerat. Præcesserat igitur in mente Creatoris creandi orbis,& singulorum corporum Idea, antequàm omnia, & singula crearentur corpora omnibus completa numeris. Hæc Idea,ut extra divinam mentem specificaretur, requirebat subjectum, in quo sigillaretur, ut tanquam formale, activumque initium produceret in materiâ, & ex materiâ quicquid primò fuit in mente Creatoris conceptum. Hoc tale subje-

ctum omni Ideâ carere debebat, & esse simplicissimum, immaculatum, perspicuum, ac translucidum, ad hoc ut sigillanda in ipso Idea, ab aliis Ideis, compositionibus, maculis, opacitatibus, renitentiis, ac umbris in ipsius instituto non confunderetur, eapropter DEUS primò creationis die lucem creavit, & patet ex primò *Genesis* lucem fuisse primam universi creaturam: nàm antequàm reliqua generabilia, & corruptibilia naturæ creâsset corpora Altissimus, constat fecisse lucem, quam non quidèm aliquam particularem creaturam esse observamus, ut in ipsâ omnium creandorum sigillaret Ideas.

Nullum ens in naturæ universitate tantam diversarum formarum expressionem, tantam ætherogeneitatem, contra distinctionem, tantam colorũ diversam repræsentationem habere videtur, nisi lux; constat n. solam lucem hasce peculiares habere dotes, ut ex simplicissimâ sui entitate, tot invicem factis reflexionibus, refractionibus, complexibusque suorum radiorum, diversas rerum exprimere valeat species, sivè formas. Sed id ad sensum patere potest sequenti modo.

Ponatur aliquis in conclavi itâ clauso, ut lucem non aliundè admittere possit, nisi per exiguum foramen, quod parvæ avellanæ nucis magnitudinem æquet, foras autem ex oppositâ foraminis parte varia adsint corpora à solis, vel aliâ luce insigniter illuminata, tunc intra conclavis foramina apponatur alba papyrus; nàm pingentur in eâ rerum foris illuminatarum imagines cum suis coloribus, sed tamen inversæ, eòque distinctiores, quò longiùs à foramine papyrus abfuerit. Et si forsan simulacra sic visa, luminosiora, & distinctiora videre cupiat, atque accuratissimè delineata ea cernere velit, poterit in foramine vitream lentem convexam adaptare ex earum specie, quibus senes in conspiciliis utuntur, trans quam meatus lumen, exprimat in albâ papyro imagines ipsa visibilia objecta accuratissimè repræsentantes.

Ex quâ experientiâ constat vim efformandi, sivè exprimendi rerum imagines propriam esse lucis: In hac luce DEUS creandorum Ideam sigillavit, quam nos spiritum, seu agens universale appellamus, à quo omnes generationes, conservationes, & operationes rerum naturalium pendent, à quo omnia sunt, vivunt, & moventur.

Iste spiritus replet totum terrarum Orbem, movetque singula naturæ corpora secundum eam exigentiam, quam lux formalis, sivè essentia cujuscumque corporis exigit; ità ut ipse sit principalis motor in naturâ, regula verò, & determinatio differentialis motus pendet ex formis, in quibus ipse coërcitus movetur, & eas movet: non secus ac mens in corporibus animalium movetur, & movet singula corporum organa juxta exigentiam constitutionis eorum.

Hujus thesis probatio est evidens ex dictis: nam cùm agens universale quorumcumque motuum productivum sit spiritus, & totâ in rerum naturâ emergunt diversi motus, ac operationes, quot sunt corporum formæ; dicendum igitur consequenter, videtur diversos motus corporum pendere à diversitate formarum, atque eorum exigentiâ. Vndè Poëta 6. *Æneidos* ad hunc finẽ cecinit.

Principio cœlum, ac terras, camposque liquentes,
Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque astra,

Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Sicut individua uniuscujusque creatæ speciei dicunt dependentiam à DEO per creationem in initio creationis hujus Orbis, quandò creaturæ omnes secundum Creatoris Ideam proprium habuerunt esse: ità hanc ideam, seu spiritum corporibus generabilibus, & corruptibilibus sigillavit Altissimus, in quibus naturaliter gliscit, & propagatur, quæ fuerunt fœcunditatis benedictione repleta, ut sibi simile ens producerent, postquàm ab Altissimo creata fuêre cuncta corpora naturalia, quæ productio non secus ac lumen de lumine pendet, ác producitur.

Patet etiam ex *Genesis* authoritate, nàm constat dedisse Altissimum cunctis creatis corporibus facultatem, quâ producerent semen juxta genus suum, quo mediante crescerent, & multiplicarentur super terram, producendo unumquodque sibi simile ens: nec similitudo formalis individuorum potest pendere, nisi ex similitudine Ideæ producentis.

Hanc Idealem formarum productionem lumine naturæ intelliges, si per singulorum corporum naturalium generationes discurrens, observabis unumquodque innatâ facultate ferri ad productionem peculiaris seminis, ex quo non alia emergit forma, nisi similis illi fuerit, à quâ tale semen fuit productum; semen autem utpotè quid conservandis naturalium rerum speciebus destinatum non potest ab alio naturaliter potestativam habere illam virtutem producendi similem formam, nisi ab eo, à quo fuit productum.

Spiritus iste, sive Idea communis fuit omnibus corporibus creatis, tàm vegetabilibus, quàm animalibus perfectis, vel imperfectis, ac mineralibus, diversificantur tamen juxta corporum exigentiam, & organorum dispositionem; nàm unumquodque vivens suo modo corpus organicum habere debet; undè si bruta haberent organa ità disposita, ut homines, utique nihil ab hominibus, quoad vocem, multasque functiones, non verò quoad sermonem, differrent, patet id quod dicimus de Tauro illo æneo à *Valerio Maximo relato lib. 9. cap. 2. de Crudelitate, & à Perillo Siculo invento, in quo inclusi, subditis ignibus, longo, & abdito cruciatu, mugitus, resonante spiritu edere cogebantur; ne ejulatus eorum humanæ sono vocis expressi Philaridis tyranni misericordiam explorare possent.* Ita contrà si formaretur corpus humanum ex ære exactè organizatum, ac intùs clauderetur aliquod brutum, hoc ejulando, humanam ederet vocem.

Inest brutis aliqualis intellectus, cognitio, memoria, & judicium, quibus mediantibus, quasi aliquâ rationalitate prædita, sua præstant munia, quamvis non æquali cum perfectione peragantur in omnibus brutis, nàm prout analoga illa ratio secundum majorem, vel minorem organorum aptitudinem in aliis excellentior, atque vegetior, in aliis verò magis torpida est, ità etiam alia bruta ab aliis ingenij acumine, intellectu, memoriâ, docilitate, ac stupiditate differunt. Verùm hoc non tantùm provenit in brutis ab organis, & eorum partibus benè dispositis, & proportionatis ad actiones peragendas, nisi aliquid adsit, quod illas ad actiones destinatas aliter, atque aliter immutet, ac incitet, nihil agent. Hæc actio, seu operatio mediatè pendet ab innatâ partium

dispositione, & ab objectis, sed immediatè ab eo, quod objecta cognoscit, & dispositas partes ad agendum diversimodè incitat, quod ipsum etiam anteà partes disposuit, earumque dispositionem, ut modò tali, modò alio modo agant. Hic est ille spiritus, qui è seminis crassamento eductus, & solutus, in materiam rursùs agit, eamque variis modis ità disponit, ut præter multas alias etiam dictæ nobiliores, & admirandæ actiones in brutis proficiscantur.

Multa de elephantorum ingenio, & solertiâ tàm mira narrantur, ut fidem superare videantur, nisi à viris dignis recenserentur. Videmus canem magnâ curâ domui invigilare, quippè nostras sedes ingredientes, si nobis, ipsique sint noti, magno excipit gaudio, caudâ adulatur, multisque blanditiis amicum esse testatur; sin minùs suo latratu ignotos esse indicat, in illo ringendo invehitur, nec sinit domum intrare, donec dominus illos amicos esse admoneat; præterea etsi dormiat per totam noctem, excubias agit, dormiens somniat, & per somnium latrat. Cane etiam nullum animal fidelius: quòcumque Dominus tendat, sequitur, mandata intelligit, & exequitur, illum sollicitè custodit, proque suo domino in quælibet pericula promptus, vel adversus ipsam mortem propriæ vitæ discrimine pugnat, & quod maximè est admirandum, tunc majori afficitur lætitiâ, cùm labores, curasque cum ipso dominus partitur. Nutui obedit, pulsatus etsi domino irasci videatur, nullatenùs tamen si statim vocetur, omnis injuriæ immemor ingenti gaudio occurrit. Idem in venatione aliquo modo ratiocinari videtur; nã ad trivium veniens, cùm duas vias odoratu indagavit, per quas fera non transiit, quasi sic ratiocinaretur: aut hac, aut istac, aut illac transiit fera; sed neque hàc, neque istac, ergo illac. Quis simiarum gesticulationes, & humanarum actionum imitationes ignorat? Psittacos ad humanam vocem imitandam assuescere nemini ignotum, imò idem de Picâ observamus. Grues certâ disciplinâ peregrinari, & excubias agere non notum est? Tacemus formicarum ingenium, & miram solertiam. Tacemus singulare artificium, quo aviculæ nidos construere, araneæ telas texere, apes favos conficere, ac mella colligere sciant, & alia innumera hîc necessariò prætereunda.

Præterea sunt quidam homines, quibus, vel unum humani intellectûs granum superest, & aliqualis brutorum intellectus quotidiè conspicuus fiat per eorum actiones; quapropter ex rationibus manifestissimè patet ab objectis nullum motum in brutis suscitari posse, nisi percipiantur bona, vel mala, etsi taliter percipiantur, necessariò iis debere inesse aliquod per modum recipientis, & aliquod percipiens ab objecto percipiendo diversum.

Præterquam quòd indigent homines conveniente educatione, culturâ, & exercitatione, ut ad summum perfectionis culmen deveniant. Patet in iis, qui in ipsâ infantiâ per matrum immisericordiam, aut propter hostium persecutionem, vel alium casum in sylvis depositi, à brutis nonnullis animalibus illic enutriti sunt, atq; inter illas feras adoluerunt, diuque vixerunt, qui posteà casu à venatoribus capti, prorsùs ferale ingenium, & mores ab omni rationalitate alienos induisse, atque sic non nisi corporis figura à brutis, ac sylvestribus feris distingui visi sunt, quorum exempla

inves-

inveniuntur apud *Plinium*, *Ph.Camerarium*, *Jacobum Cars*, & plures alios.

Non per hoc sequitur (quod inferre possent nostri adversarii), si in brutis esset aliqualis intellectus,& cognitio: ergò etiam habent animam, eamque non minùs immortalem, quàm est hominis anima. Quod n. aliquam animam sentientem, & percipientem habeant, omninò concedendum existimamus, sed negamus, quod immortalis esse possit, æquè ac hominis anima: nam maxima istarum animarum differentia, & origo longè diversa omninò contrarium ostendunt.

Constat namque in sextiduo creationis rerum omnium naturalium,DEUM creativâ actione dedisse esse singulis Universi creaturis, & dedisse eis potestatem, quâ naturaliter ad sui similis productionem ferrentur: post autem sextiduum præter animã nostram intellectivam,nil nisi miraculosè creare videtur, at homini non videtur tributa talis facultas productiva alterius hominis juxta genus suum,quoniam animæ humanæ productionem sibi soli tantùm reservaverat Altissimus,nec n.ab alio produci congruum erat ipsius Altissimi ter gloriosi iconem, nisi à seipso, ut habetur *Genesi cap.primo. Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo Terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem. Et creavit Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creavit illum masculum, & fœminam creavit eos. & Joan.1. Quæ neque ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo originem ducit.* Animam hominis spiritualem, & immortalem nos credimus sub indubitabili certitudine, & claritate intemeratæ Catholicæ fidei, in quâ obsequentissimè noster quiescit intellectus,licèt per sensus nostros, & ratiocinii inductiones naturaliter confirmari possit,eam tamen disputationibus committere non audemus. Animam humanam esse spiritualem, & immortalem, nec morbis, nec morti obnoxiam candidè profitemur.

Loquimur hîc de spiritu impetum faciente,ut loquitur *Hippocrates*, Archæo secundum *Helmontium*,animâ viventis, & animâ sensitivâ (quæ ut synonima concipi debent, ne confusionem pariant) alterabili,caducâ, mortali,morbis, & passionibus subjectâ,quæ tam in specie brutali,quàm in specie humanâ parentum seminibus per individua propagatur per feracem illam benedictionem:Benedixitque illis Deus,& ait:*Crescite, multiplicamini, & replete Terram.* Quæ in homine eò vivit,quo perseverat immortalis animæ præsentia, cùm utriusque requiratur concursus in humanâ vitâ exercendâ.

Ex rationibus, & quotidianis experimentis inferimus aliquod animæ humanæ analagon brutis,sed mortale concedendum.Confirmamus saltem hoc ex uno satis notum, quod interdùm bruta etiam delirent, (hoc patet in simiis, similiter in canibus, vel aliis brutis hydrophobiâ correptis) cùm tamen delirium non corripiat, nisi animalia, quæ bene valentia sapiunt:nam potentia, & impotentia naturalis ad idem subjectum referendæ sunt. Cùm n.homo delirat, non insanit secundum animam immortalem, sed secundum sensus internos, quos cum brutis commune habet, qui bene,vel malè operantur, prout organa sunt benè,vel malè disposita, & secundum

dum internum percipiens, quod anima ſenſitiva eſt: atque ſic etiam bruta ſecundum hos ſenſus, & internum percipiens delirant, & non ſecundum aliam animam.

Ex his, quæ diximus clarè patet omnia viventia per ſemina generari, creſcere, & ſeſe multiplicare, ac in ſemine, ſive illo craſſamento eſſe ſpiritum, ſive animam, quæ à generante in generatum transfunditur, & traducitur. Quæ, ut hæc clariora fiant, demonſtranda ſunt per viventium genera in ſpecie.

Duo ſunt viventium genera, ſcilicèt plantæ, & animalia, quæ etiam diverſum propagationis modum habent; alia n. viventia habent ſexus, alia non. Ea, quæ non habent ſexus, ſunt plantæ, quæ tunc generant, cùm producunt ſemen, quod eſt corpus ita à generante elaboratum, & diſpoſitum, ut ubi perfectum eſt, à generante ſeparari, integrum ſubſiſtere, & cum eo anima generantis in generatum transferri poſſit.

De plantarum ſemine duo adnotamus; Primum multiplicationem illam, quâ anima in numeroſam ſeſe diffundit prolem, ut patet de tritico turcico, millio, nicotiana, &c. per feracem illam benedictionem: *Creſcite, & multiplicamini.* Quantùm potuit divina illa benedictio! Secundum plantarum ſemina duas habere partes, (ut de humano ſemine diximus) unam primariam, quæ ſola ſeminis nomine digna eſt, hæc conſtat animâ, quæ vitæ, & formationis plantæ opifex eſt. Hic internus opifex totius plantæ ideam, & delineationem in ſe continet, undè ſemina quocumque loco humecta, & quocumque calore fota extra terram quoque dehiſcunt, & radiculas protrudunt, poſteà etiam prima germina: integrum verò plantæ corpus, niſi è terrâ, tanquàm ex utero per primas radiculas alimentum attrahatur, è ſemine formari non poteſt. Habet & ſemen pulpam, tanquàm materiàm, ex quâ prima plantæ rudimenta formantur. Hæc ſeminis pulpa non tota animata eſt, ſed tantùm illa pars, quæ vulgò *corculum* nominatur, quæ, ſi corrumpatur, nihil ex ſemine gignitur. Ideòque formicæ illam particulam erodere feruntur, cùm ſemina congregata ab iis germinare incipiunt. Contrà verò ſi reliquum corpus à vermibus erodatur, nihilominùs germinant, modò corculũ ſalvum ſit, ut videre eſt in fabis, piſis, phaſeolis, &c. Reliqua pulpæ pars non fruſtrà facta eſt, ſed nutrimenti loco eſt pro tenellâ plantâ.

Inſuper adnotamus, quòd pulpæ ſeminum accidit cortex exterior, quaſi theca, quæ pulpam, & internum ſemen contra externas injurias tuetur. Reſpondet cortex ille exterior corticibus, & putaminibus, ac membranis ovorum. Cùm n. plantarum ſemina non ut animalium viviparorum in uterum matris conjiciantur, ſed ſæpè diù extra terram, quæ ipſis matricis loco eſt, aſſerventur. Cortex hic contra externas injurias ſemen illud internum defendet, ne priusquàm germinare incipiant, aut in ipsâ germinatione ab externis cauſis occurrentibus lædatur.

Quomodò autem plantæ ex ſemine progignantur, non ratione tantùm, ſed ipſis quoque ſenſibus percipi poteſt; Ineſt n. in plantarũ ſemine germen quoddam ſatis conſpicuum, quod quidem abſolutam formam, & ſimulacrum futuræ plantæ repræſentat, ut videre eſt in amygdalis, nucibus, pineis, & fabis, quæ diſciſſæ, & bipartitæ, eodem præſertim tempore, quo humoris plenæ turgeſcunt, produnt genuinos ſurculos, ſeu germina plantarum.

Semina

Semina in terram commissa à causâ occasionali germinare incipiunt, & una pars deorsum tendit, & radicem, altera sursum, & reliquũ plantæ corpus constituit. Huic tenellæ plantæ à latere adjacet seminis corpus reliquum, è quo canalis in ipsam plantam tenellam tendit, per quem succus alimentarius tenerrimæ advehitur, donec adoleverit, viresque acquirat proprias succum alimentarium è terrâ alliciendi, & elaborandi.

Verùm quanquã similitudinaria plantarum in naturâ productio hæc, per ea quæ suprà diximus, aliquo modo patere videtur, tamen ignota remaneret adhuc earum generatio, nisi internum earum agens in rerum universitate detegatur; siquidèm patet ex dictis, latere in earum semine spiritum, per quem semen fertur ad productionem sui similis entis, à quo ipsum fuit productum. Cæterùm quid sit illud, quod promovet seminum productionem, ipsaque semina ad formulam corporum, adhuc ignotum mansit Scholasticis Peripateticis, notum verò iis, qui lumine naturæ ducti ejus scientiam aggrediuntur, secuti recentiores sunt, qui non nisi dependenter à sensuum observatione physicam aggrediuntur scientiam. Eapropter dicimus id, à quo efficienter dependet omnis formarum expressio, & effectiva productio in rerum naturâ, esse quendam motum intrinsecis corporum seminibus insitum, secundum expromendæ formæ, vel seminis naturam, ac indigentiam, qui motus proprio vocabulo fermentum appellamus.

Hæc thesis aliâ non indiget probatione, nisi ipsâ autopsiâ, quâ sat patere potest, quid sit in rerum naturâ fermentum; motus namque omnis intrinseco corporum spiritui, sive luci internæ insitus est ille, quia suâ vi agitat, quo agitato, & moto in suas destinationes procedit, materiamque, cum quâ ludit in universo, secundum sui Ideam delineat, format, & determinat, undè varias materiales in eâ pingit, exprimitque formas. Sic immediatè, & per se dùm ex plantæ semine planta consurgit, procedit plantæ generatio ex interno seminis spiritu procedente juxta sui Ideam ad plantæ productionem. Sic per se ex ovo pullus generatur, dùm internus ovi spiritus procedit juxta sui Ideam ad pulli generationem.

In plantæ productione dantur causæ excitantes, & merè occasionales, & sunt illæ, à quibus planta non per se, & immediatè dependet, sed mediatè quatenùs causas naturales, sive interna rerum semina promovent, excitantque ad effectuum productiones, sive generationes, uti se habet calor gallinæ ova foventis, à quo occasionaliter, sicut & ab omni alio proportionali calore, & merè excitativo procedit pulli exclusio ex ovo, quatenùs scilicèt calor ille externus penetrans internum ovi spiritum aliàs torpescentem, undè illum excitat ad sui complendam destinationem, sive pulli generationem. Eodem etiam modo Sol suâ luce, & calore Veris tempore præsertim seminum, & stirpium internum excitat spiritum ad suas patrandas generationes, qui aliàs totâ hyeme torpidus mansit.

Sunt quidam, quorum intellectus itâ elementis est immersus, ut præter elementa nihil sciant; ac propterea ex elementorum mistione non tantùm plantas, & animalia, verùm etiam omnia ex ipsis deducere conantur. Cæterùm nos juxta nostra principia dicimus, quòd terra plantarum generationibus inservit;

vir, ceu uterus, aqua pro nutrimento, aër ut absque impedimento ad earum proceritatem assurgant, ignis nullatenùs plantarum Compositionem ingreditur, quia est mors rerum. Hoc totum patet ex mechanicâ adducta ab *Helmontio tract. cui tit. complex. atque mist. elemental. figm.* §. 30. *p. m.* 68. in quâ apertè probat non tantùm vegetabilia, sed omnia corpora naturalia, ex duobus constitui causis, sive principiis in esse, & operari, materiâ scilicèt, & efficienti intrinseco, seu materialiter constare ex aquâ, essentialiter verò ex ente seminali, sive interno spiritu, seu efficienti intrinseco.

Hinc eruimus nullas plantas absque semine nasci, cæterùm quia internum efficiens, sive ens seminale in re ipsâ latet, & sensibus ita manifestum non est, sine semine multas plantas in campis, pratis, & alibi spontè nasci Philosophorum vulgus decrevit. Non unus est spontaneæ plantarum generationis modus; sæpè namque terræ ex se sterili aliundè semen communicatur, patet ex eo, quod post pluvias, & inundationes, ventorum vim, vel per aves novas plantas in quibusdam locis pullulâsse, & provenisse observatum est. Condidit Altissimus ille rerum patrator singula corpora in hoc sensibili Orbe, quibus proprium dedit esse per ferax illud verbum, *Fiat*, ac fœcundâ benedictione terram (quæ erat inanis, & vacua) postquam seminibus replevit, indidit quoque illis potestatem crescendi, & multiplicandi super terram, ut scilicèt successivis generationum periodis illam replerent, ut habetur *Genesi cap.* 1. *Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum, cujus semen in semetipso sit super terram. Et protulit terra herbam virentem, & facientem semen juxta genus suum, lignumque faciens fructum, & habens unumquodque sementem secundum speciem suam.*

ARTICULUS II.
Ex quâ materiâ Semen constet?

De materiâ, ex quâ semen constat, variæ, discrepantesque sunt Philosophorum sententiæ, &

Primò, *Galenus* ineptè putavit primariam seminis materiam esse sanguinem benè coctum. Id docent arteriæ spermaticæ insignes ad testes delatæ, quæ certè majores sunt, & plus sanguinis conferunt, quàm qui soli testium nutritioni inserviat. Docent prætereà venæ spermaticæ sanguinem residuum à testium nutritione, & seminis confectione referentes ad cavam. Docet tandèm experientia, in nimiâ Venere loco seminis non rarò sanguinem cum aliquâ voluptate excretum fuisse, signum evidens illum in seminis materiam convertendum esse, quod primùm suscipit in pampiniforme rudimentum, & ultimò in testibus elaboratur.

Verùm decipitur *Galenus* cum sociis suis, si credit seminis crassamentum fieri ex superfluitate sanguinis magis elaborati, & in albam crassioremque substantiam mutati, atque concreti, idque probare nititur, quod semen quamquàm cruentum enixum fuerit ab illis, qui præter modum re venereâ usi sunt. Atque nos certissimis freti conjecturis, atque observationibus affirmabimus seminis crassamentum non ex purpureo sangnine in album humorem mutato constitui, sed tale, quale est, de propriis vasis affluere, & in propria receptacula recludi; indè concubitûs tempore exiliat nec unquam purpurei sanguinis speciem exhibuisse. Quòd si aliquando compertum sit

sanguinolentum effluxisse semen, id potiùs crediderimus ex venæ, vel arteriæ alicujus hiatu, quàm ex seminis defectu provenisse: nàm verosimile est libidinis œstrum languere, tentiginemque cessare, ubi universum semen è corpore exilierit.

Nec sanguis nutritionis materia est, ut perperàm hactenùs creditum est, quia obesi multùm nutriuntur, & pauco tamen sanguine abundant, ut ex venarum, & arteriarum exilitate conjectari licet, contrà graciles plurimo potiuntur sanguine.

Multi antiqui confici semen ex quodam succo è cerebro, & spinali medullâ deciduo tradiderunt. Sic notat *Hippocrates lib. de geniturâ*, semen è cerebro in lumbos, & spinæ medullam diffundi, & ex hac in renes, indèque ad testes defluere. Id etiam dicit *Plato in Timæo* semen esse medullæ spinalis defluxum: & *Alcmæon* illud esse cerebri portiunculam.

Verùm nullas eximias vias à cerebro, & spinali medulla ad testes anatomicorum culter invenit, ideòque horum authorum opinio neglecta mansit.

Glissonius, *Warthonus*, & *Charleton* scribunt seminis materiam esse chylosum quendam crudiorem liquorem è mesenterio in cerebrum, indèque ad testes delatum per nervos, quos copiosos testibus, & epididymis inseri tradunt.

Sed horum opinioni repugnat experientia, cùm pauciores tantummodò eosque exiles nervos eò pervenire doceat ocularis inspectio. Præterquamquòd istum chylosum liquorem nunquàm natura cognovit, ut fusiùs in nostrâ *Trutinâ Medicâ* rationibus, & experimentis improbavimus.

Alii, ut *Clemens Nyloe*, & *Hieronymus Musitanus de Morbis Mulierum. Barbatus*, putant semen generari ex liquore lymphatico, seu ex sero generari. Verùm adeò frigidis rationibus hanc suam confirmant opinionem, ut confutationem non mereantur.

Quidam tandèm pro proximâ seminis materiâ nutrititium stabiliunt succum, ex quo omnes corporis humani partes nutriuntur, atqui pro nutrititio succo album intelligunt gluten in sanguine innatans, cujus viscìditas, seu fibrosa textura causa est, ut partibus opponi valeat.

Verùmenimverò vulgaris est eorum sententia, nec subsistentes habet rationes; nàm hic succus alimentitius, est putatitia Galenistarum pituita ex crudo proveniens chylo, nempè sanguis crudus, & incoctus, qui majori indiget coctione, ut in sanguinem vertatur. Præterea docere deberent, quomodò hic succus glutinosus, & fibrosus subtiliatur, ut per ἀναστόμωσεις venarum arteriarumvè poros permeet, & iterùm in gluten redigatur, ut partes nutrire, & in semen redigi possit? Et si partes spermaticæ hoc nutriuntur succo: sanguineæ dictæ, quo nutriantur succo, isto, an sanguine? Insuper quare aliquâ sanguinis tincturâ imbutus utplurimùm non pervadit succus iste nutrititius? Sed de hoc succo fusiùs de *actione ventriculi* egimus.

Nostra sententia est, crassamentum illud constare ex nutrimento à cibis separato, & in ventriculi, ac intestinorum fibras recepto, quod per processus, quibus mesenterium per vertebras lumbales spinali inseritur medullæ, tùm per alios ductus, quibus diaphragma per dorsi vertebras ipsi spinali medullæ fit continuum, in ipsamq; spinalem medullam, in ipsam cerebri substantiam recipitur, & ibi elaboratur, mutaturque in hoc ali-

C quid,

quid, quod gluten album, spermaticumque repræsentat. Hoc ros,& cambium dictum antiquis per fibrarum spermaticarum substantiam distribuitur,ferturque per universum corpus,nàm universum corpus fibris conflatur à cerebro & spinali medullâ descendentibus, & hoc nutrimur; iisdem .n. nutrimur, quibus constamus. Hujus liquoris tenuis, albi, & glutinosi optima, & purissima secernitur pars, & pro spiritûs receptaculo in vesiculas seminales deponitur, ac usque ad excretionis tempus asservatur, ab eo quòd testes pervadat, ut videre est in castratis, qui dum libidinantur,etiam hoc ejaculantur crassamentum.Hoc crassamentum quod ex nutrimẽto constat,juxta nostram sententiam rectè nos *fatuum* appellamus *semen*, quia spiritu caret, hujus conditionis est illud, quod per pollutiones involuntarias in somno excernitur.

Ex hujus crassamenti nimiâ excretione, ortum ducit dorsalis tabes,quæ è cerebro, & spinali medullâ oritur; debilitato .n. post nimium coitum cerebro,fit magnus affluxus hujus tenuis,albi, & glutinosi crassamenti non satis depurati è cerebro in spinalem medullam,indèque colliquatio ad debilitatas vesiculas seminales. Hinc Veneris ludibria, pollutiones, multique crassamenti profusio in somno absque voluptate.

Hoc crassamentum in vesiculis seminariis servatum,salinis abundat particulis, ac proinde salsuginosum gustu deprehenditur. Vndè eruimus has particulas salinas Venerem stimulare, fertileque reddere hoc crassamentum, ob id Ægyptii canes ad coitum inertes salsamẽtis,carnibusque sale maceratis,ad Venerem reddebant alacriores;hinc Veneri dediti salaces dicuntur:Propterea Venerem è sale natam finxêre Poëtæ. Hinc etiam deducimus obesa corpora,in quibus pingues,ac sulphurei prædominantur humores, parum crassamenti generare, & inertia esse ad Venerem, contra verò ficciora, in quibus salsi prædominantur humores, multum crassamenti generare, illudque copiâ auctum titillationem pruriginosam, & irritationem excitare, ac proindè esse ad Venerem proclivia,& validiora.

Non tantùm hujus crassamenti fertilitatem à salinis particulis pendere docemur, verùm etiam ipsamet experientiâ duce, comiteque ratione terram à sale fœcundari; observamus,nàmque nec terram in fructus germinare, & herbulas, vel minimum cespitem edere suo sale seminali (ut ità dixerimus) orbatam, loca siquidem montana,& maximè acclivia,vel prorsùs sterilia evadunt,vel rarâ circumvestiuntur herbâ brevi duraturâ: quippe aquæ lapsu ad declivia fertur unà sal cum ipsâ aquâ dilutum, ubi verò in aliquas vallecula deprimitur mons, ibi fertilior seges, & luxurians herbarum copia lætissimè frondet, nec ex stagnanti humore sal abluitur, imò magis abundat, cùm aqua ex supernâ delabens parte illo referta sale, & inibi stagnans, illud quoque deponit, totumque à terra exhauritur. In sale igitur terræ semen residet, nec ob aliud campi stercorantur, & stipula incenditur,nisi ut pinguior fiat, nimirùm sale abundet copiosiore; stercus, & cinis multum salis nitrati, & alkali continet. Patet id, nàm si ignis culinarii cineres, in primis lignorum quernorum per agros dispersi, illi multò fertiliores evadunt, quàm si fimus bubulus inspergatur, & diuturniorem conferunt fertilitatem, quia multo plus salis in se conti-

continent. Si humano ſtercore in cloacis collecto, vel etiam columbino, aut gallinaceo ſtercorentur agri, decuplo majorem fertilitatem iis præbent, quàm ſi bubulo, vel equino eâdem, aut duplâ, triplavè quantitate ſtercorati fuerint, quia ſcilicèt duplo plus ſalis in ſe continet. Aqua pluvia, multo ſale volatili, calore Solis attenuato, & unà cum aquoſis vaporibus in ſublime elato, imprægnata herbas, & plantas multò feliciùs creſcere facit, quàm ſi aliâ aſpergantur aquâ. Sic piſces in piſcinis etiam feliciùs degunt, & prolificant, cùm pluit. Eſt itàque ſal non tantùm plantarum, verùm etiam animalium proxima materia: vis, & vitæ quidam fomes. Hinc ſatis probatum putamus omnium rerum viventium fertilitatem à ſale, & ex ſale produci, ità ut minimè alienum videri debeat, quod neceſſariò multò copioſiores ſalinæ particulæ ad ſeminis craſſamentum concurrant, quàm ſulphureæ.

ARTICULUS III.

An Semen decidat à toto?

AN ſemen decidat à toto, an verò à parte aliquâ determinatâ, variæ recenſentur opiniones, & majorem dubitandi rationem induxit antiquitas.

Prima opinio *Hippocrati* tribuitur *lib. de morbo Sacro*, ubi aſſerit ſemen ab univerſo corpore generari, & à ſingulis ejus partibus decidi, quia *lib. de geniturâ* inquit: *Semen eſſe particulam quandam validiſſimam univerſi illius humoris, qui in toto corpore continetur*; ac proindè aſſeverat ſemen ex toto corpore ex ſolidis, & mollibus partibus, & ex univerſo totius corporis humido ſecerni.

Hanc *Hippocratis* ſententiam ſectatores probant primò: Ubi Venus exercetur, tantillo ſeminis emiſſo univerſum corpus languet, & Caballus ſemel tantùm ad coitum admiſſus tantas amittit vires, ut per aliquot dies eas etiam largiori victu vix recuperat: evidens eſt ſignum quod ſemen ab univerſo corpore ſit deciſum.

Verùm univerſalis ille languor accidit, quia in Veneris palæſtrâ per inſenſilem perſpirationem alimentum, & ſanguis in vehementi illo motu copioſiùs difflatur, ac reſoluto alimento, & magnâ ſanguinis parte per diaphoreſim, magna ſpirituum reſolutio contingit.

Hinc humidiora corpora ſemper minùs moleſtè ferunt Veneris incommoda, & alacriora fiunt, & poſt coitum magna exoritur fames ad corporis indigentiam reficiendam, & reſtaurandam. Hæc eſt ratio, quare Veneris uſus homines ab aliquibus vindicat morbis; nàm hoc contingit circa morbos vulgò frigidos, & humidos, ut habet *Hip. 6. epid. ſect. 5.* qui in corporibus humidis, & carnoſis coitum commendat, & vituperat in gracilibus, nempè quia caliditatem inducendo, illa magis ſalubriora reddit, hæc verò magis extenuat, & lædit.

Secundò fœtus ſimilis eſt parentibus, & tamen intelligi nequit, undè talis oriatur ſimilitudo, niſi intelligamus ſemen à toto corpore deſcendere, & omnium partium impreſſionem ſuſcipere ſimilium partium in fœtu productivam.

Hæc autem ratio inefficax eſt, quia ſimilitudo nullum affert indicium, neque concludit ſemen à toto deſcendere; cauſa n. principalis univoca, dùm cauſat, intendit tantùm aſſimilare ſibi effectum in ſpecie ſimilem, non autem individualibus lineamentis oris, & om-

nium membrorum comparem: quòd si quandoque hæc eveniat similitudo, potiùs fortuitæ sorti conceptionis, quàm naturæ legi attribui debet. Prætereà admirabilem Dei providentiam in tantâ individuorum humanæ speciei varietate admiramur. Imò aliquandò filii generantur parentibus similes in voce, motu, unguibus, capillis, & si quæ sunt aliæ id genus, partibus, quæ nullo modo generare semen, aut demittere possunt. Aliquandò etiam avis, aliisque majoribus, ex quibus semen non receperunt.

Quo pacto fiat, ut fœtus similitudine formæ externæ modò patri, ut plurimùm matri, & quandòque alieno similis existat?

Hujus rei varias olim causas *Hippocrates* annotavit *lib. de genitura* à diversâ qualitate, & quantitate seminum viri, ac mulieris simul mistorum desumptas, cujus sententiam quamplurimi sequuntur, sed non eodem modo explicant, quorum opiniones, quia nullis solidis innituntur fundamentis, non refutamus. Juxta nostra principia dicimus, totum hoc negotium à matris imaginatione pendere, quippè mulier gravida, cùm vigilans vix unquàm non imaginetur hoc, aut illud, & cogitationes suas ad fœtum in utero contentum plerùmque convertat, si philautiâ laborans, sui proprii corporis externam figuram, & formam super omnes alias admiretur, erit infans ei similis: si verò mariti forma ei placeat, ejusque imaginem sæpè attentâ mente concipiat, erit fœtus patri similis. Si tandèm alieni forma mulieri perplaceat, & altâ mente externi idolum concipiat, nascetur fœtus externo simillimus.

Lubet in hujus rei confirmationem historiam recensere nobis tantùm referatam: Adolescens quidam, & nobilis virgo mutuò sese diù ardenter amavêre, pacti invicem conjugii fidem, at pater invitam virginem alii juveni in matrimonium collocavit. Hæc ità primos servavit amores, ut amasium altâ mente repostum etiam in, & extra viri congressum volutarit; quot peperit filios, tot adamussim in oris, & totius corporis lineamentis amasio perquam similes spectabantur. Quarè viro multoties uxorem tanquàm mœcham perimendi in mentem venit, propriosque liberos ad necem usque diverberabat. Pudica uxor in desperationem acta, id viro, quod ei innocenter exprobrabatur, machinata est; undè occasionem nacta ex viri absentiâ, compressa fuit ab amasio, concepit, suoque tempore filium viro simillimum peperit, quia in compressione fortem viri ideam concepit. Hunc filium maritus tanquàm legitimum amplexabatur, ac deosculabatur, cæterosque tanquàm nothos aspernabatur.

Hanc autem similitudinem à seminis viri, aut mulieris, ut vulgò fertur, qualitate, vel quantitate non procedere, ex eo satis liquet, quòd mulier prægnans etiam cujuscumque alterius hominis (qui nullam cum eâ familiaritatem exercuit, nec quidquam seminis ad fœtum formandum contulit) externam formam firmâ imaginatione concipiens, fœtum ei similem producat, imò sæpè monstruosas formas videns, earum aliquas fœtui multoties imprimat.

Mirabiles sunt imaginationis vires, præcipuè in gravidis, quæ tantâ animi impotentiâ, & aviditate prægnantium totam vitæ œconomiam exagitant, perturbant, & depravant, ut in tantâ animi perturbatione, & agitatione, nisi alicujus rei comestibilis concupitæ compotes

potes fiant, vel abortiunt, vel appositâ manu ad aliquod membrum, licèt inadvertenter, & citra voluntatis concursum sui appetitûs, concupitæ rei in fœtûs carnibus stigma depingunt, ejus objecti repræsentans, quod à matre fuit per desiderium conceptum, membro contacto correspondens, imagine objecti illius perturbationis. Undè si appetitus fuit ad cerasum, depingitur cerasum utique in fœtu, & in membro simili, quale prægnans sibi manu tetigit, quod viridescit, flavescit, & rubescit quotânis, iisdem temporibus, quibus arboris cerasa has colorum varietates acquirunt.

Quomodò id contingat, dignum inquisitione videtur, pro quo dicimus hominum perturbationes circa stomachi os fabricari, & indè ad cor descendere, mulierum verò procliviùs ad uterum mitti, quia mulier naturaliter inspirationes vitales mittit ad fœtum, ideòque omnis præcordiorum commotio in mulieribus continuò respicit uterum, sive in eo adsit fœtus, sive non. Omnis generatio imaginationem, seu ideam præsupponit, juxta quam suas exsequitur dispositiones, undè tàm in animantibus, quàm in plantis sua cujusque est imaginatio suo modo; hæc imaginatio est in spiritu, qui est internus fœtûs formator, & organorum ejus faber est lux formalis sensitiva in seminis germine contenta, quæ sicut à matris sensitivo spiritu regitur, & conservatur in utero, ità per conceptum, seu desiderium cuditur. Idea rei conceptæ, & desideratæ in matris sensitivo spiritu, qui sicut fœtûs conservationi, & regimini incumbit, ità impressam in eo Ideam concupiti objecti in subjectam fœtûs materiam sigillat, & exprimit. Prægnans non operatur, nisi sit perturbatione perculsa vel conjuncta sit libidinis perturbatio: Ità igitur prægnans mulier fortiter per suam ideam operatur, ut nec vir, nec alia quævis fœmina operatur. Insuper in prægnante manus requiritur, organum organorum, ut externum, & signum determinati membri, in quo imago sculpenda est, quia anima perpetuò utitur mediis, super quæ imago fertur ad esse, & operari. Quarè notandum, si prægnans fuerit dextra, sinistrâ tùm manu aliquod sui membrum attigerit sub perturbationis insultu, nihil indè super fœtum signabitur. Undè apparet, quòd manus illa, quæ communis, quotidiana, & ordinaria est cogitatuum exsecutrix, sit etiam directiva ad imaginationum loca, & operationes. Per fortem matris imaginationem concupitæ rei idea ad uterum, & ad fœtum jàm formatum defertur, qui, quia tenellus est, ob summam corpusculi sui mollitiē facilè suscipit ideam per matris imaginationem sibi fortiter impressam in illo membro per dexteram contacto, quæ admodùm exigua est in exordio, sed in dies magis, magisque cum fœtu crescit: Sicut litteræ, vel picturæ in corticibus fructûs cucurbitæ, aut peponis, alteriusvè, acu, vel scalpello leniter insculptæ paulatim crescunt cum fructu. Si vegetantium fuerit idea, stigma quasi vegetanti vivit vita in sensitivâ vitâ, undè quotannis suo tempore colorum vicissitudines adipiscitur, & sic discurrere de aliis stigmatibus.

Tertiò, morbi parentum hæreditario jure, & quasi per fideicommissum transeunt in filios, ut podagra, epilepsia, phthisis, lithiasis, & alii: quod non contingeret, nisi semen à contaminatis descenderet partibus.

Non eſt perpetuum, nec verum ſimpliciter hæreditarios morbos in filios propagari, cùm expertum ſit ex ſanis parentibus filios affectos, & ex affectis parentibus ſanos ortos fuiſſe. Quòd ſi quandòque morbi hæreditario jure à parentibus in filios traducantur, non per hoc ſemen à toto deſcendere infertur; nàm hæreditarii morbi in ſeminis ſpiritu ideantur, & ſuo tempore cùm idea in prole adoleverit, in liquorem proximè aſſimilandum, in partes ſimilares, & in ipſâ corporis recrementa ſe diffundit, ac juxta illius ſuæ ideæ nocuæ proprietates fructus parit.

Quartò, à mutilatis parentibus mutilatos filios, à claudis claudos, à cœcis, cœcos ſæpiùs naſci videmus; oculo v. g. vel brachiis in patre deficientibus, non habetur undè deſumi poteſt pars oculi, brachiorumvè productiva. Et non raro cicatrix, & ſimilia externa in ſobole propagantur: ſignum evidens à toto fœtui quid communicari, ut traduce quodam ea omnia in iſtum derivari queant.

Huic argumento facilè reſpondent vulgares medici, quòd non omnes mutilati parentes filios generant mutilatos, ſed ſunt multi mutilati, qui filios generant perfectos, & idem de claudis, cœcis, &c. dicendum putant, etſi quandòque accidat eſſe potiùs caſu, & per accidens, quàm ex neceſſitate. Optima quidem reſponſio, ſed digna cachinno, cùm non voto reſpondeat.

Inveſtigandum igitur, quomodò ex ſemine etiam illæ partes, quibus parentes diù ante generationem caruerunt, ſuppleantur; cùm tamen ab iis nullus ſpiritus architectonicus emanare poſſit?

Reſpondemus hoc fieri, quia defectum iſtum ſupplet parentum imaginatio, qui cùm quotidie videant alios infantes, pueros, & adultos, omnibus membris benè natos, ſibi firmiter imaginantur, ſe tales etiam producturos, atque ità deficientium partium ideas dicto ſpiritui ſeminali non minus imprimunt, eumque non aliter modificant, quàm ſi ex talibus partibus modificatio illa præceſſiſſet, idque non tantùm ſecundum figuram, verùm etiam ſecundum totam naturam. Quantùm valeat fortis imaginatio liquet in mulieribus gravidis, quæ per hanc ſolam mirabiles ideas effingentes, mirabiles ſæpè rerum imaginatarum, non ſolùm figuras, colores, & maculas, ſed ipſas res ſecundum totam ſuam naturam fœtibus interdùm addiderunt. Sic nati fuêre aliqui cornuti, quòd mater à cornuto animali exterrita, iſtius cornu tàm firmam ideam concepiſſet, & fœtui impreſſiſſet, ut non macula, aut ſolus color, ſed ipſum verùm cornu in eo excreverit. Experientia. n. docet, ſi mulier de alicujus hominis parte mutilatâ, à quâ fortè exterrita fuit, continuò, & fortiter cogitet, illam fœtum mutilum in lucem edere, licèt ipſa, & maritus ambo integri ſint: & contrà ſi de fœtu integro, & ſano fortiter cogitet, eam fœtum integrum parere, quamvis, vel ipſa, vel fortè maritus aliquâ parte ſit mutilatus. Ità etiam vir per fortem imaginationem poteſt partium deficientium ideas multò faciliùs ſpiritui ſeminali imprimere ſecundum totam naturam, quàm mulier illas per ſuam imaginationem poteſt delere, immutare, vel depravare: & quia illud de muliere per experientiam certum eſt, hoc de viro adhuc multo certiùs habendum eſt. Nec de eo dubitandum, ſi parentes de partibus ipſis deficientibus continuè, multùmque

tùmque cogitent,nec per alias imaginationes iſtarum deficientium partium ideas ſpiritui ſeminali imprimant, eos tunc genituros fœtus talibus partibus mutilatos. Hoc ex eo in primis patet, quòd ſi parentes noti fuerint aliquâ parte mutilati, cùm poſteà de partis iſtius integritate non facilè aliquas ideas ſibi imaginari poſſint, ut potè quàm nunquàm integram in ſe cognoverunt,ſæpè etiam fœtus eâdem parte mutilatos producunt. At ſi diù poſt nativitatem aliquâ parte mutilati fuerint,tunc iſtius partis, cujus integritatem, & uſum anteà in ſe ipſis cognoverunt, ideam facile, & fortiter imaginari, atque ſic in ſemine, ejuſque ſpiritu ideæ illius defectum ſupplere poſſunt.

Quintò, ſuaviſſima voluptas, quæ in ſeminis emiſſione percipitur, eſt in toto corpore,igitur à toto corpore ſemen ſeparatur.

Suaviſſima in ſeminis ejaculatione percipitur voluptas, non quia ſemen à toto fluit corpore, ſed ſentitur in toto corpore,quia egreditur per partem cum quâ omnes corporis partes conſenſum habent; undè non mirum, ſi corpus geſtiat univerſum. Nec voluptas eſt in toto corpore per ſe, quia non accidit in principio, ſed potiùs in fine coitus fit tota ſimul,non autem diviſa;at ſi eſſet ex ſemine à toto deciduo, priùs fieret delectatio in unâ corporis parte, deindè in aliâ. Prætereà ſuaviſſima eſt, quia naturalis, & omne ad naturalem rem pertinens ſummam habet voluptatem, & hæc facit, ut animantes ad coitum ardentiùs excitentur, ac proindè

Per victum, & coitum pugnant animalia quæque.

Similiter neceſſaria eſt ſumma voluptas, quia per iſtam perpetuantur ſpecies, & ideò in omnibus ſatietas, in coitu nulla.

Secunda opinio ſemen è cerebro,tanquàm à fonte deſcendere aſſerit ità ſcribit *Alcmæon*, & reverà hæc ſententia non multùm à veritatis ſcopo aberrare videtur, ſi animo volutemus, quæ Venus ſalacibus incommoda affert,quibus cerebrum, functionesque maximè animales læduntur. Sunt Veneris incommoda: capitis dolores, ingenii offuſcatio, ſenſuum obtuſio, vertigo, artuum imbecillitas, imò quod pejus eſt, *Arnoldus* cujuſdam juvenis ſine cerebro caput repertum fuiſſe refert, & medici cauſam ad immodicam Venerem retulerunt. Hinc Poëta cecinit:

Eſt Veneris fugienda tibi immoderata voluptas;
Nàm capiti, mentique nocet, ſenſuſque retundit,
Virtutemque hebetat animalem,& corporis omnes
Debilitat nervos, infirmaque corpora reddit,

Verùm hæc ſententia falſitate convincitur, quia nullas eximias vias à cerebro ad teſtes anatomicorum ſolertia invenit. Præterea animales functiones in cerebro, tanquàm in proprio organo, exercentur, & quia in coitu maxima fit ſpirituum jactura, ideo libidinoſis in immoderato Veneris uſu enumerata accedunt incommoda. Ad id, quod refert *Arnoldus* medicos illos, quid pro quo accepiſſe dicimus.

Tertia opinio eſt Platonis in Timæo aſſerentis ſemen à ſpinali medullâ derivari.

Sed hæc ſententia convincentem non affert rationem, nec uſque modò à ſpinali medullâ in teſtes anatomicus culter

ter vias invenit. Ad id, quod in hanc ſententiam de tabe dorſali adduci poteſt, reſpondemus, quod excernitur, non habere ſeminis rationem, ſed tantùm eſſe craſſamentum ſeminis, ideſt ſpiritu ſeminali deſtitutum. Prætereà nos multos Eunuchos tabe dorſali correptos obſervavimus.

Quartam opinionem adducit *Fernelius* 7. *de procreatione animalis*; ſuſtinens ſemen non in ſolis teſtibus perfici, ſed in omnibus partibus ſpermaticis elaborari, at non in ſanguineis. Ejus autem ratio eſt: Vnumquodque eo nutritur, ex quo conſtat, nàm nutritio ordinata eſt ad reſtaurandum id, ex quo partes conſtant, & formatæ fuerunt, nutriri debent illo, ex quo factæ: ſed partes ſpermaticæ factæ fuêre ex ſemine: ergò debent ſemine nutriri: at unaquæque pars generat alimentum, quo nutritur, ergò omnes partes ſpermaticæ debent ſemen generare, quo nutriuntur.

Errat *Fernelius* exiſtimans ſemen in omnibus partibus ſpermaticis perfici, (niſi loquantur de craſſamento;) nàm partes ſpermaticæ licèt ex ſemine conflatæ ſint, non per hoc ſemen generant, ut eo nutriantur, ſed unaquæque pars ſecundum ſui naturam proprium nutrimentum ſibi elaborat, & id in eis particulis efficit, quod eſt ad conſervationem ipſius partis aptum. Vndè eſt, quòd nutrimentum in medullis eſt medullare, in oſſibus oſſeum, in venis venoſum, in arteriis arterioſum, in nervis nerveum, in cartilaginibus cartilagineum, &c. Quod ſummâ providentiâ fuit à naturâ ordinatum; enim verò cùm defectus, corruptiones, & lacerationes propriarum partium reparare fuerit huic nutrimento demandatum, ut ipſum reparandæ partis exigentiam neceſſe erat. Neque verum eſt unumquodque nutriri eo, ex quo formatum fuit, nàm materia nutritionis, & generationis non debet eſſe eadem, niſi in qualitatibus, ut fertur; aliàs ſi *Fernelii* argumentũ efficax eſſet, convinceret os debere oſſe nutriri, membranam membranâ, &c. cùm in vivente non diſſipatur id ex quo, ſed id, quod formatum fuit.

Quinta opinio eſt *Avicennæ*, qui notavit à cerebro, corde, & hepate, tãquàm à partibus principalibus ſemen deſcẽdere. Verùm hanc ſententiam rudem, & craſſam arbitramur; nàm congrua ratio & via aſſignari non poteſt, quare à cerebro, corde, & hepate, & non à reliquis etiam partibus ſemen decidat, cùm cæteræ partes quoque progigni debeant.

Pro Sextâ ſententiâ ſtat *Ariſtoteles* 1. *de generat. animal. cap.* 4. qui arbitratus eſt ſemen non ab univerſo corpore decidere, nec in teſtibus generari, ſed produci in pampiniformibus, hoc eſt in vaſis illis prope teſtes poſitis, ſemen continentibus, & ità dictis, quia capreolorum vitis formam referunt. Inquit. n. teſtes ad ſeminis generationem nihil aliud conferre, quàm quòd pondere ſuo vaſa ſeminalia ampliora, & patentiora teneant, quò commodior fiat ſeminis ejaculatio, (& reverà in concubitûs actu teſtes non contractos, ſed nimiùm pendulos obſervavimus) non ſecùs ac pondera textorum telis appendi ſolent, ut texenda fila aperiant, & diſtendant. Ità *lib.* 5. *de generat. animalium cap.* 7. exemplificat: *Quemadmodum textrices telam jugo jungentes, & tamen diſtendentes appendunt pondera, quæ lapides vocant: eodem modo teſtes ſunt appenſi vaſis ſpermaticis.*

His argumentis *Ariſtoteles* teſtes ad generationem non eſſe neceſſarios, probat, &

Primò,

Primò, Pisces, serpentes, multaque alia animalia testibus destituta coëunt, semen emittunt, & generant.

Respondemus, quòd estò aliqua animalia testibus destituta generent, non per hoc sequitur testes non esse ad seminis generationem necessarios; quoniam illa animalia non testiculata habent aliquod aliud testibus analogon, in quo ipsis semen præparatur, idque secundum eorum naturam non minùs bonum, quàm aliis conficitur in testibus. Sic in piscibus masculis cognovimus illud corpus albicans subire testium vices, & quòd coëant, in fluviatilibus manifestè videmus, idque in marinis etiam fieri certum est: Balena quoque habet penem longitudinis sex, septemvè pedum, proculdubio ipsi ad coitum à naturâ concessum. Hinc minimè dubitandum pisces quoque minores genitalibus esse præditos, quæ licèt nobis invisibilia existant, (sicut etiam in Ranis, & Bufonibus) tamen adesse coitus docet, iisque aliquod testibus analogon inesse, quo semen conficitur, generatio ostendit. Quantùm ad serpentes, quos *Aristoteles* carere testibus dicit, illud verum non est; nàm serpentes mares à fœmellis distinguntur per penem, & testes: & si fortè multi etiam sunt, qui testibus carent, in iis, sicut in piscibus, proculdubio reperitur aliquod testibus analogon, quod testium vices suppleat.

Secundò, nonnulla animalia testibus exsectis, posteà adhuc generasse observatum est: sicut *Aristoteles lib.* 1. *de gener. animalium cap.* 7. refert taurum post exsectos testes, vaccam implevisse.

Respondemus, quòd licèt animalia quædam, exsectis testibus, adhuc generasse dicantur, hoc (si verum est, quod

Musitanus de Morbis Mulierum.

nos falsum putamus) ex eo factum fuit, quod ante testium excisionem crassamentum in vesiculis seminariis fœcundatum fuerit ab ente seminali, quod postmodùm testibus jàm privata per coitum in uterum injecerunt, & sic generârunt.

Tertiò, *Cabrolius refert observ. anatom.* 3. se vidisse adolescentem intestatum, qui tamen uxorem duxit, & complures genuit liberos.

Respondemus isti adolescenti intestato judicato testes intus delituisse in abdomine, nec illum sine testibus generasse.

Quartò, idem *Cabrolius cit. loc.* refert se Monspelii dissecuisse cadaver cujusdam viri, qui virginem stupraverat, in quo tamen, neque exteriùs, neque interiùs ullos testes, sed tantùm vesiculas seminarias invenit.

Respondemus *Cabrolii* historiam nihil contra nos probare, quia proponit casum præternaturalem, rarissimum: neque liquet ex historiâ, an stuprator ille semen emiserit: præterea si fortè emiserit, proculdubio, in isto homine fuit aliquod aliud testibus analogon, in quo ipsi semen confectum fuisse potuit.

Tandèm *Galenus lib.* 1. *de semine cap.* 17. Semen in solâ testium substantiâ generari, & perfici putavit, quem sequuntur *Cardanus*, *Argenterius*, *Vallesius*, *Andreäs Laurentius*, & alii. Consideravit namque *Galenus* quòd quibusdam læsis corporis partibus, illæsis remanentibus testibus, semper perfectum producitur semen: contrà, solis his ablatis, vel læsis, absque ullâ in aliis partibus læsione semen perfectum fieri non potest, hinc decrevit in testium substantiâ generari, & perfici semen.

Non consideravit *Galenus* primò, quòd

quòd nunquàm ſemen in teſtibus invenitur. Nec quicquam probat hiſtoria à *Donodæo* relata, cùm inquit: *Hiſpanus quidam teſtis dolore intolerabili diù vexatus, maluit ſibi teſtem amputari, quàm diutiùs vitam in tormentis trahere, extractum teſtem, cùm adhuc calentem per medium diſſecaret, in faciem ipſius prorupit ſemen:* nàm ſemen non fuit, ſed teſtium alimentum degeneratum, quod in cauſâ doloris erat, & teſtis in ſtatu verſabatur morboſo.

Secundò, nullas manifestas cavitates, aut ventriculos habent testes, in quibus ſemen colligi, vel aſſervari poteſt.

Tertiò, nulla manifesta vaſa recipiunt, per quæ ſeminalis materia fluit, aut effluit; Quia utique non ità lubricus pro ſeminis generatione, & perfectione testium ſubstantiam ſtatuiſſet. Bardus fuit *Galenus*, qui putârit parenchyma testium proprium, tùm ob temperamentum calidum, & humidum, tùm ob ſpecificam proprietatem ſemen conficere, cùm ſeminis materia testes non ingrediatur, nec unquàm ſemen in illis reperiatur.

His itàque rejectis opinionibus, noſtram ſtabiliamus oportet, pro quâ præmittimus, quod pluries diximus, quòd nos pro ſemine non intelligimus illud craſſamentum, quòd in veſiculis reconditur ſeminariis, cùm ſit ſemen fatuum, ſeu infœcundum, ideſt ſpiritu deſtitutum, ideòque ſeminis nomine planè indignum eſt, eſtque tamen corpus, conceptaculum, ſeu vas illius ſpiritûs, quem formatorem vocamus: ſed pro ſemine hîc intelligimus ſpiritum rerum agendarum ſcientiâ præditum, & hic ſpiritus veram ſeminis rationem habet, hæc ſcientia præſupponit in formante ſpiritu omnes ideas efformandi viventis, aliter illud efformare non poſſet, verùm ideæ non ſigillantur niſi in luce: ergò ſpiritus iſte eſt de lucis naturâ, & ſcintillæ lucis à centro defluæ in ipſo venerearum illecebrarum œſtro excuſſæ ſecum patrantis ferunt ideas, atque unà cum humido illo craſſamento ad exitum excitantur, ut concurrentibus diſpoſitionibus in materiâ ſe exprimant.

Spiritum iſtum, animam, vitamque vocamus, quem eſſe de lucis naturâ probamus.

Primò, In uſu Venereo, dùm ſemen emittitur, caligant oculi: igitur in lumine conſiſtit, ſi dùm propagat, in lumine defectum oſtendit.

Secundò, Omnium ſenſitivorum ſemina lucida ſunt, diaphana, tranſparentia, atque perſpicua, quæ ſic eſſe non poſſent, niſi lumen adeſſet.

Tertiò, ſi tota vitæ eſſentia conſiſtit in liberâ operandi poteſtate, atque ſe movendi, hæ operationes, & hi motus nunquàm fierent à vitâ, niſi illam moverent objectorum imagines, ſive ideæ, quarum complacentia, ſive diſplicentia ad amorem, vel ad horrorem vitæ arbitrium verterent: ergò ut vitæ liberè operandi, & ſe movendi poteſtas reducatur ad actum, neceſſariò imaginibus indiget, ipſaque talis ſit eſſentiæ, ac proprietatis, ut imagines, & ideas recipere, & conſervare poſſit; at in magno mundo, cujus perfectum vivens eſt epilogus, imagines, & ideæ tantùm recipiuntur in diaphano lucido. Ergò ſi in vitam perfecti viventis imagines, & ideas recipi neceſſe eſt, ipſam diaphanam, ac lucidam eſſe quoque concedendum eſt.

Quartò, In mundo viſibili non datur

celerior transitus à termino à quo ad terminum ad quem, quàm ille, qui fit à luce; nàm in quasi infinitâ distantiâ, quanta est à Sole ad terræ superficiem, non potest imaginari instans, quo dicatur radium solarem in superficiem terræ excurrisse; sed eodem visionis actu, quo Sol videtur in Cœlo, conspicitur radius in superficie terræ, ità ut dici non possit: visus fuit Sol in Cœlo, & post brevissimum instans pervenit illius radius in terram; sed voluntas, in quâ præcipuè vita consistit, in vivente movet pedis digitum tantâ immediatione, ut non possit assignari instans inter actum voluntarium movendi, ac motum ipsum: Ergò vita necessariò est de naturâ lucis, cùm hæc pernicitatis actio tantùm luci inter visibilia competat.

Quintò, In quavis parte animalis vita principaliter cùm resideat, indè necessè est vitalitatem universis membris impertiri: at id fieri non potest per canales, & surculos, vel alimentum, vel voluntatis jussum deferentes, ut sunt venæ, arteriæ, ac nervi; nàm vita non minùs in venæ cavo, ac substantiâ membranarum ejus, prout in ejus convexo, adjacenteque illi carne, succedentibusque particulis, usque in extremum cutis; quod idem non solùm de sociis arteriis, ac nervis, sed etiam de ossibus, quæ à vitâ penetrantur citra, ultraque, illa, suas functiones exercet, nosque in nobismetipsis experimur inculpatissimam, & unitissimam quandam per universum corpus vitæ continuitatem, ità ut levi extremi digiti puncturâ toto corpore concutiamur, à viperino dente vix perforatâ cute brevi spatio contabescimus; sic etiam vix in epidermidem transfusa saliva rabidi totum hominem dementat; at in universi systemate nihil invenitur, quod hanc æqualitatem cætera corpora penetrando servet, præter lucē: Ergò in microcosmo de naturâ lucis esse debet, quod universa membra penetrando, illis inæqualibus, æqualem vitalitatem tribuat.

Sextò, in lipothymicis, & deliquiis oppressis sensibiliter observatur defectus cujusdam luminis in toto aspectu; livescunt nàmque ungues, totaque corporis superficies cadaverosa evadit, terminatis verò his vitæ eclipsibus, pristinum restituitur lumen, idque est in dies obvium, dùm in domicilio vitæ scilicèt internis in visceribus degener nutrimentum, lucem vitalem eclipsat; nàm extemplò pallor, icterus, aliusque depravatus color corporis habitum defœdat: neque id ex defectu sanguinis, ejusque vitio evenire tibi suadeas; sed omninò ex cessatione, vel obumbratione radiorum vitalium; etenim corpus optimè nutritum, atque exquisitè floridum si sit panico terrore perculsum, pallescit illicò optimo, & copioso in habitu existente sanguine; timor enim non secus ac nebula densa discum vitalis luminis in suo domicilio circuit, radiorumque progressum ad superficiem intercipit.

Septimò, Viventium omnium oculi, qui fenestræ dici possunt, undè vita in prospectum nobis se offert, lucidi apparent, ac micantes; cessante verò vitâ, illicò cessat in oculis lumen, evaduntque tenebrosi, ac cornei, perseverante sæpè calore, corporisque temperie: Ergò spiritus iste, anima scilicèt sensitiva, sive vita in lumine consistit, sive in luce, ut habetur *Jo*: 1. *In ipso vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.*

Præmittimus tandèm, quòd hic spiritus, vita, seu anima de luminis naturâ in humano corpore suum habet thronum, sive sedem; sed non in corde, ut *Aristoteli* fuit cordi, non in cerebro, ut *Galeno*, neque in alio peculiari viscere: sed in corporis centro, in diaphanis membranis, in diaphragmate, & propriè in centro nerveo lux hospitatur vitalis, à seminalibus principiis accensa, & ex seipsâ subsistit, usque in subjecti dissolutionem. Hinc radicaliter in universam peripheriam vitale lumen secundum organorum capacitatem irradiat pro vitæ muniis exercendis. Hoc idem domicilium animæ rationali assignamus (una competit utrique sedes); in homine nàmque una ab alterâ non separatur, nisi per mortem.

Maximoperè hujus centri nervei structuram admiramur, cùm nihil in hominis trunco inveniatur, quod huic centro nerveo non persolvat, saltim dependentiæ tributum; nullibi nàmque tot corporis partes simul coëunt, non sine mysterio, vena cava, arteria aorta, spinæ vertebræ, hepatis, lienisque exortus, os ventriculi superius, mediastinum, pleura, sternum, costæ, cartilago xiphoides, & si quæ aliæ sunt in trunco partes, unaquæque in hoc nerveum centrum concurrit. Et hæc est ratio cur hoc centrum percussum, vel leviter vulneratum instantaneam, irreparabilemque inducit mortem cum immediatâ cadaveris refrigeratione, quam moriendi, ac refrigerandi pernicitatem transfosso, avulsoque cerebro, & corde, non observamus.

Nostram sententiam cultro anatomico demonstramus, nàm diaphragma superiùs arctissimè peritonæo connectitur, & cùm omnia extrahuntur vasa inciditur arteria aorta, seu magna, & vena cava sub diaphragmate, ac cum istis duobus magnis vasis unà extrahitur peritonæum, renes, ureteres, & omnia vasa generationi inservientia. Tempore sedulæ separationis horum vasorum præter venam, & arteriam vulgò dictam spermaticam, observantur filamenta quædam orta ex illâ parte, à quâ peritonæum fuit extractum. Hæc filamenta albicantia sunt, nec huc usque optima anatomicorum solertia observavit, an sint nervi, an alia vasa aliquem deferentia liquorem; verùm hoc unum scimus, quòd factâ arctâ ligaturâ, neque suprà, neque infrà aliquo modo intumescere videntur. Hæc rectà feruntur unà cum vasis sanguiferis, & in glandulas parastratas inseruntur, ac intra testium substantiam cum aliis vasis perturbantur, hinc in vasa transeunt deferentia, sive ejaculatoria, quæ nullam habent communicationem cum vasis seminalibus, & prostratis communicantur glandulis.

His itaque ex anatome rectè desumptis dicimus, quòd hic spiritus, qui est de naturâ lucis, & verum semen, in centro nerveo residens, in illo, vehementi Veneris œstro excutit lucis scintillas, quæ secum patrantis ferunt ideas, & per insensiles filamentorum cavitates defluunt ad vasa deferentia, & in crassamenti ejaculatione, quæ fit à vehementi omnium viscerum compressione, & expressione, ac grani hordeacei rarefactione, crassamento extra vesiculas se communicant, & unà ingrediuntur urethram.

Hinc colligimus ex nostro phœnomine nulli usque adhuc cognito testes pro seminis confectione, & perfectione non inservire, ut hactenùs creditum est, sed tantùm esse, mediantibus filamentis supra enarratis, ductus, per quos spiritus ille transit, & Eunuchos, ac testibus læsos ad generationem esse inhabiles,

quia testibus carent, scilicet organis, per quæ spiritus transire deberet, non carent tamen crassamento, quia illud, cùm libidinantur, emittunt: Verùm aquosum, & non spumosum est, ut in perfectis conspicitur hominibus, ob fermentationis defectum, quæ à spiritu tantùm procedit, quo eorum crassamentum caret.

In hoc articulo unum restat dubium examinandum, scilicèt, cùm illæ spirituosæ irradiationes contingant, tàm in corpore pueri, quàm in adulti, & generationis munus æquè peragi, cur non possit à puero, quàm ab adulto, cùm spiritus formator in utroque æqualiter adsit?

Ad quod respondemus duabus de causis; Prima, quia spiritus ille in puero, nondùm habet subjectum conveniens, quod inhabitet; nàm nutrimentum in puero facilè consumitur, & in corporis incrementum transit, atque ex eo nihil redundat, ex quo crassamentum confici possit. Secunda, quia in puero desunt requisita media ad opus illud perficiendum; nam præter nimiam nutrimenti difflabilitatem, & ineptitudinem, etiam partes spermaticæ sunt nimis debiles ad crassamentum conficiendum, in pueris penis nimiam habet brevitatem, & meatus sunt nimis angusti ad crassamentum ejiciendum; fæmellis genitalia sunt nimis parva, & constricta, ipseque uterus nimis angustus ad semen recipiendum.

Hinc eruimus semen non generari, nisi cum corporis habitus jàm siccior, & robustior evasit, cùmque ad summum ferè incrementi corporis perventum est. Atque hinc inter 14. & 20. annum hoc robur, hæcque firmitas corpori maximè accidit, eo tempore crassamentum generari incipit, tantòque majorem perfectionem in dies nanciscitur, quantò corpus validius evadit, & minore incremento opus habet.

ARTICULUS IV.

An Semen sit Animatum.

CEleberrimam aggredimur quæstionem, quæ tantoperè tàm philosophorum, quàm medicorum ingenia torsit, an semen sit animatum, duplicem continet assertionem hæc quæstio, unam negativam, alteram verò affirmativam, & revera magis consentaneum est animatum ab animato, ut à causâ principali produci debere, quàm animatum ab inanimato.

Affirmativa itàque est nostra assertio juxta nostra principia, asseveramusque semen animatum esse, non verò, ut impiè contendit *Daniel Sennertus*, animâ rationali, ipsamque animam cum semine à parentibus in sobolem propagari per illam benedictionem; *Crescite & multiplicamini*, sed tantùm animatum esse illo spiritu interno, quem impetum facientem vitam sensitivam, animam viventis, naturam, essentiam, ut synonimè nos vocamus. Nec nostra sententia nova est, sed pro nobis præstantissimi quique omnium sæculorum philosophi, & medici certant, hujus sententiæ est *Hippocrates lib. de diæta*, *Plato in Timæo*, *Galenus p. de semine cap.* 7. *Themistius*, *Scaliger*, *Cardanus*, *Argenterius*, *Mercatus*, *Capivaccius*, *Volcherus*, *Coiter*, *Christophorus à Vega*, *Zabarella*, *Ioubertus*, & plerique alii.

Possemus ad nostram confirmandam senten-

ſententiam horum authoritates adducere, verùm authoritatibus certare nobis non licet, cùm hoc tantùm vulgarium Philoſophorum, & Medicorum ſit proprium: pugnandum igitur nobis reſtat rationibus, & experimentis.

Sunt aliqui, qui hanc quæſtionem obſcuritatibus involvunt, dum diſputant: An ſemen ſit animatum; nec ſatis ſuam explicant mentem, an ſemen hominis, an brutorum, an plantarum intelligant. Verùm nè in re tàm ſeriâ aliqua dubii ſuſpicio relinquatur, per animatum nos intelligimus ſubſtantiam cui anima actu ineſt, & quærimus, an talis ſubſtantia ſit ſemen. Sunt nonnulli, qui nullum ſemen actu animatum eſſe contendunt; alii plantarum quidem ſemina animata eſſe ſtatuunt, animalium verò, & in primis hominis ſemen actu animatum eſſe negant. Nos verò ſecundum noſtra principia omne ſemen animatum eſſe ſuſtinemus, ac proindè in genere de omnibus probandum ſuſcipimus, eorum ſemina eſſe animata, quorum rationes ſunt:

In ſemine ſunt animæ operationes; ab omnibus .n. Philoſophis conceditur hoc principium: omne quod movet eſt actus, & hæc tria indiſſolubili nexu ſeſe ſequuntur: *eſſe, poſſe*, *& operari*, & proindè operationes nos ad potentiam deducunt, & potentiâ ad eſſentiam; potentiæ n. ejuſmodi promanant ab ipsâ animæ eſſentiâ, & ſunt ab eâ inſeparabiles, nec migrant de ſubjecto in ſubjectum. Et tàm abſurdum eſt, ut nihil excogitari poſſit abſurdius, ſtatuere conformationem, ut & nutritionem, & augmentationem, quæ cum ipsâ animâ incipiunt, à principio non vitali provenire. Neque potentia vitalis alii rei non vitali ſuam vim communicare poteſt, ideòque cùm in ſemine operationes animæ appareant, rectè, & neceſſariò concluditur in eo eſſe animam potentiis haſce operationes exercendi inſtructam.

Duæ ſunt in ſemine operationes, quæ nos ad latentis animæ cognitionem deducunt, una ſeminis, ac conceptûs vivificatio, altera partium omnium formatio, quæ ad vitæ actiones edendas neceſſariæ ſunt. Primò .n. quodlibet ſemen, ut in plantis manifeſtum eſt, ab animâ conſervatur, & aliquandiù prolificum permanet, aliud breviore, anni ſcilicet biennii, aliud etiam plurium annorum, pro ſpecierum diverſitate, ſpatio, & quamdiù integrum, & incorruptum eſt, ac locum idoneum, præſens alimentum, & calorem externum excitantem nactum, in plantam ſuæ ſpeciei creſcere aptum natum eſt. Videtur aliquibus abſurdum, tritici ſemen in granario actu vivere, ſed nullam, cur id abſurdum ſit, reddunt rationem. Contra rationi magis conſentaneum eſt, ſemina vivere. Etſi .n. in plantarum ſeminibus ad ſenſum nullus appareat motus: tamen anima intùs latens otioſa non eſt, ſed ſemen id vivificat: eodem modo, ut in arboribus tempore hyberno nulla ad ſenſum actio apparet, quæ tamen animâ non deſtituuntur, ſed intùs latente vivificantur, quæ tempore verno actionibus manifeſtis ſeſe iterùm prodit; quod idem fit in ſeminibus. Semina .n. dùm vivunt, fœcunda ſunt, & ſationi apta, quæ verò emortua ſunt, ſationi apta non ſunt, neque in iis ulla

planta

planta pullulat. Etsi, nisi viverent semina, undè quæso, fit, ut humectata saltem & calore tota statim germinare incipiant? Altera operatio est corporis organizatio, opus planè præstantissimum, & admirandum, cujus humana intelligentia non videtur capax, & suam fateri oportet ignorantiam, ac Creatoris immensam admirari sapientiam.

Secunda ratio est: Quicquid sibi simile generat, necesse est genito suam communicare essentiam, aliàs non secundum essentiam, simile: Sed quodlibet vivens sibi simile generat: igitur genito suam communicat essentiam, ac proindè non tantùm materiam, sed etiam formam, quâ in primis rei essentia absolvitur. Et nisi hoc fieret, nulla daretur generatio univoca, & generãs nihil, nisi materiam præberet, neque undè anima proveniret, doceri posset; Cùm sæpè generans, antequàm ex semine planta, vel animal efformatur, mori possit, & posteà ad plantæ, vel animalis efformationem, nihil eorum, nisi calor externus, accidat. Ità interdùm semina, & bulbi plantarum multis annis asservantur, antequàm planta indè enascatur plantâ, à quâ semen, vel bulbus generatus fuit, dudùm emortuâ. Ità ex ovo etiam fornacis calore pullus excluditur, gallinâ, & gallo à quorum coitu ovum generatum est, dudùm jugulatis. Et omninò si in semine non esset principium activum à parentibus communicatum, parentes verè generare dici non possent, cùm saltim materiam suppeditarent.

Tertia ratio est: Si semen esset inanimatum, & nihilominùs animatum produceret, nobilius ab ignobiliori produceretur, & seminis virtus substantiam produceret; quod ab surdum, cùm nihil ultra vires suas agat: & id quod animatum non esset, ederet actiones animæ proprias, conformationem, nutritionem, auctionem, attractionem, formaret ossa, carnes, membranas, quæ actiones omnes simul in primâ statim conformatione, quæ mox ab initio conceptionis fit, exercentur.

Et licet nonnulli respondeant, agens aliquod à virtute alterius producere posse effectum nobiliorem, quàm virtute propriâ aliàs perficeret: tamen si id fiat, fit agente principali præsente, non absente, quod in generatione non accidit; Pater n. abesse à loco, in quo fit generatio, imò jam mortuus esse potest. Ità & mater abesse potest, vel extincta esse; id quod fit in pullis, qui excluduntur à calore fornacis, vel avis alterius speciei.

Sunt plerique, quibus hæc nostra opinio multùm displicet, quorum argumenta perpendamus oportet, &

Primùm: Neque in seminibus plantarum, neque in ovis, neque in conceptu perfecto, operationes, quæ plantæ, vel animalia edunt, apparent.

Verùm iis ipsis non ignotum est, differre actum primum, & secundum, neque à negatione actûs primi argumentandum esse; est n. animæ essentia in semine actu primo, neque ullâ ratione monstrari potest, quòd posteà eandem aliundè accipiat: saltem actus secundus semini deest, cùm careat instrumentis expressis ad operationes necessarias, quæ tamen apparandi potestatem habet. Atque ità deest semini saltem illa à corporis, & partium corporis structurâ, non illa, quæ ab animâ est, perfectio. Imò nec in plantis à negatione actûs secundi ad negatio-

nem

nem actûs primi argumentari licet; id quod in arboribus, & plantis aliis perennantibus tempore hyberno videre est, in quibus nulla operatio manifesta est: anima tamen reverà in iis adest.

Secundum: Animæ subjectum non potest esse, nisi corpus organicū, & persuadentur hi *Aristotelis* verbis, qui animam definivit *esse actum corporis organici.*

Sed *Aristoteles* non definivit animam in suâ essentiâ simpliciter consideratam, sed in ordine, & respectu corporis. Quod tamen cùm ipsa non inveniat, sed sibi formet, ac fabricet, necesse est, quod anteà fuerit in organico. Verùm quod ad animæ receptionem corpus organicum non requiratur, multa sunt, quæ probent.

Primò. n. cùm ad organicam constitutionem requiratur certa partium quantitas, numerus, figura, situs; hæc omnia ad animarum receptionem non sunt necessaria. Animæ .n. cùm per se quantæ non sint, in materiam recipiuntur sine ullâ quantitate, & figurâ. Et manifestè hoc videmus in plantis, in quibus quantitates, & figuræ variæ mutantur, manente eâdem animâ. Alia n. est quantitas, & figura germinis è semine primò pullulantis, alia proceræ posteà arboris. Tempore hyberno in hortis caules emoriuntur, manente radice salvâ, atque in eâ animâ. Deindè, figura corporum est effectus animarum; ergò non est prævia ad eas dispositio. Anima n. ipsa est, quæ terminat quantitatem sui corporis, & quælibet anima suo corpori determinatam figuram inducit, eamque in nutritione, & augmentatione conservat, undè tot figuræ, & tot magnitudines sunt corporum viventium, quot sunt animarum differentiæ, aliamque magnitudinē, & figuram habet rosa, aliam quercus, aliam abies, aliam perdix, aliam gallina, aliam pavo. Tertiò, anima per se, & primò est in partibus, quatenùs sunt similares, & non quatenùs organicæ. In organis verò saltèm est, quatenùs constant è similaribus. At similares partes, ut tales, nullam certam figuram habent: & proindè anima non est in iis, ut certam figuram, vel quantitatem habeant, sed saltèm quatenùs tales sunt. Nimirùm anima est in osse, non quatenus dens, tibia, ulna, talus, sed quatenùs os, & omnibus æquè inest: ideòque & in fracturis, in quibus ossa aliam, quam naturaliter habent, figuram sæpè acquirunt, manet nihilominùs anima, & æquè posteà est in callo, etiam nimis magno, atque in osse anteà integro. Undè & in nutritione in alimentum nullâ figurâ præditum introducitur, & sufficit, ut hanc saltèm, vel illam constitutionem similarem habeat. Atque ità organica dispositio non est necessaria ad actum primum, sed solùm ad actum secundum, seu operationes edendas. Neque corpus, ut organicum, simpliciter est subjectum adæquatum animæ, sed tùm solùm corpus organicum, quandò jàm corpus perfectum est, & debet operari, & suis operationibus se in vitâ conservare. Et organa requiruntur ad operandum, non ad essendum simpliciter, ut tùm solùm necessaria sunt ad essendum, cùm esse sine operationibus non potest conservari; quod accidit, quandò corpus jàm ad statum perfectum est deductum. Figura verò, & organizatio, ut nonnulli loquuntur, est animâ posterior, non prior; & proindè non est dispositio ad animā suscipiendam necessaria. Prætereà dispositiones ad formā sunt immutabiles: at figura, & organizatio in viventibus non est immutabilis.

bilis. Patet utrumque in animalibus, & plantis. Terminus, quem omnes, qui animam infundi statuunt, longissimum ponunt, est dies quadragesimus. At eo tempore adhuc rudis est partium delineatio. Quid verò de brutis dicetur, quibus animam infundi nemo docet? Annon ibi anima est primis statim conceptûs diebus? At quantum temporis progressu figura corporis mutatur? Et multò magis in plantis hoc accidit; primis enim diebus, ubi plantæ jam è semine pullulare, & germinare incipiunt, tam rudis adhuc est plantæ conformatio, ut non nisi à peritissimis Botanicis agnoscatur, hanc, vel illam plantam esse, quæ posteà temporis progressu multis modis mutatur.

Tertium, Si in semine esset principium activum conformationis, seu generationis, ut alij confundunt, semen ageret in se ipsum: at nihil agit in se ipsum, ut docet *Aristoteles*: ergò. Quia, si ageret aliquid in se ipsum, idem esset agens, & patiens actu, & potentiâ respectu ejusdem; quod est impossibile. Secundò, quia esset destructivum sui ipsius, & maximè semen: quia illa actio ejus tenderet per se ad destructionem ipsius; tenderet etiam ad generationem viventis, quæ fieri non potest absque seminis destructione.

Ad solvendum hoc argumentum, communiter solet responderi, in semine esse diversas substantias: unam tenuem, & spirituosam, alteram crassam, & terrestrem. In illâ residere virtutem activam, hanc esse materiam, & principium passivum; & illam virtutem activam ex spirituosâ parte agere in partem seminis crassiorem, tanquam in materiam; & hac ratione unum, & idem non agere in seipsum, sed in diversum, nec unum, & idem habere rationem principii activi, & passivi respectu ejusdem, sed solùm respectu diversorum. Activum illud principium, seu illam virtutem residere in spiritu seminis, docet *Arist. 2. de generat. cap.* 3. his verbis: *Inest quid in semine, quod facit ut fœcunda sint semina, videlicèt quod calor vocatur, idque non ignis, non talis facultas aliqua, sed spiritus qui in semine, spumosoque corpore continetur, & naturâ quæ in semine est, respondens elemento stellarum.* Idem docet *D. Thomas* 1. *part. q.* 118. *art.* 4. *ad* 3. his verbis: *Et ideò non oportet, quòd vis illa activa habeat aliquod organum in actu, sed fundatur in ipso spiritu incluso in semine, quod est spumosum, ut testatur ejus albedo.*

Verùm hæc solutio non valet, & in rei veritate non est nisi mera evasio, ad inventa argumenti elusionem. Quia non est verum talem virtutem in spiritu seminis residere. Quod probatur primò, quia spiritus, qui in semine est, vel est pars essentialis ejus, vel non est: si est, sequeretur unam partem essentialem alicujus entis esse destructivam alterius partis essentialis ejusdem. Hoc esse non potest, primò; quia infinitæ inveniuntur res in mundo, constantes diversis, ac heterogeneis partibus, in quibus tamen non videtur unâ unquam destruere alteram, seu unam esse ordinatam ad destructionẽ alterius. Etenim si una esset ordinata ad destructionem alterius, sequeretur, quòd esset ordinata ad destructionem totius, & consequenter sui ipsius. Unâ enim parte essentiali destructâ, totum destruitur. At contrà est: quia partes essentiales unius entis non sunt comparatæ ad pugnandum inter se, seu se mutuò destruendum, sed ut concordi nexu colligentur, & amicâ

unione valeant formam sustentare: & forma vicissim comparata est, ut partes illas teneat unitas, & regat, ne à se mutuò secedant, vel se mutuò destruant. Nisi etiam n. esset, nunquam posset forma in rebus hæterogeneis, vel ad minimum tempus subsistere, ac permanere. Accidit, quòd actio omnis promanat ab ente toto, & ab ente perfecto, & à supposito; partes autem essentiales unius entis non sunt ens totum, neque ens perfectum, nec suppositum: & ita per se non agunt.

Sed hoc tertium argumentum non est tanti, quanti adversarii æstimant. Primò enim sciendum est, propriè loquendo non semen esse causam conformationis, sed spiritus, seu anima, quæ est in semine. Atque ita dum à semine vivens corpus formatur, non idem agit in se ipsum; sunt enim in semine duæ partes, anima, & corpus seminis. Agens autem primum est anima, quæ non in seipsam agit, sed in subjectam sibi materiam, corpus scilicèt seminis, & prætereà in nutrimentum maternum, quod in animalibus ad fœtûs formationem attrahit, in plantis verò in alimentum, quod è terrâ allicit. Et licet ubi animal, vel planta generatur, semen esse designat: tamen ea generatio non est corruptio, sed perfectio, & corpus illud, quod semen appellatur, dum in plantam, vel animal abit in statum nobiliorem deducitur, & perficitur. Atque dum ita ex semine fit planta, vel animal, non ipsum seminis corpus in alium statum se transfert, sed ab animâ in eo latente in illum promovetur.

Quartum, si per traducem fieret generatio, migraret anima in aliam materiam, ut subjectam, aut esset per se divisibilis.

Hujus argumenti facilis est responsio; etenim sicut in augmentatione, & dum ex glande fit ardua quercus, anima sese novæ materiæ communicat, non transit de subjecto in subjectum, sed eadem manens, sese novæ materiæ communicat: ita dum anima sese semini communicat, non migrat de subjecto in subjectum, sed eadem in generante manens sese in semen diffundit, & procedit, ceu lumen de lumine, cùm sit de naturâ lucis.

Neque etiam propterea per se est divisibilis; ut enim dum à plantâ radix, vel surculus avellitur, è quo in terram immisso fit nova planta, plantæ prioris anima non fit minor, sed eadem integra manet: ita etiam dum semini à generante anima communicatur, anima generantis non fit minor, sed eadem manet. Neque ulla hîc est diversitas inter radicem, & surculum à plantâ avulsum, & semen; varia etiam est propagationis plantarum ratio. Et quòd radix, vel surculus sit animatus, non verò semen dicitur, sed non probatur. Etsi semen non est pars, ut radix, vel surculus: fructus tamen est plantæ, qui æquè, ut partes animatæ sunt, animatus est, imò excellentiore modo animam continet.

Quintum, Si semen plantæ esset animatum, esset jam planta essentialiter, cùm è terrâ crescit, nulla fieret plantæ generatio, & ita in arbore, & herbâ illâ, in quâ semen productum est, facta esset generatio, & in arbore, vel herbâ generaretur arbor, vel herba, non in terrâ, quod absurdum.

Sed concedimus suo sensu totum argumentum, & quod absurdum putant, nullo modo absurdum est, modò rectè explicetur. Equidem seminis in viven-

te ge-

te generatio generationem non absolvit; primarium tamen,& primum opus, quod est ad generationem necessarium est seminalis materiæ elaboratio, ut idoneum subjectum cùm sit, cum quo anima propagari possit, & animæ materiæ illi elaboratæ communicatio. Posteà tamen pertinet ad generationem & hoc, ut semen illud, quod à generante animam accepit, non ampliùs generanti cohæreat; sed ab ipso separetur, & quod anteà unum ejusdem speciei individuum fuit, jam plura fiant. Quod dum fit, dicitur revera generari arbor, vel herba, non cùm planta, è terrâ crescit, non est ejus generatio, sed plantæ in actu imperfecto constitutæ ad actum perfectum deductio. Neque curandum est, quòd vulgus appellet generationem, aut non appellet, quidve ejus intelligentiæ, sed quid rectæ rationi,& veritati sit consentaneum. Vulgus etiam Philosophorum est ignarum, nescitque ubi, & quando fiat verè productio formæ plantæ, & essentialis generatio, & nescit distinguere inter actum primum, & secundum; inter imperfectum, & perfectum, & ideò unum pro alio accipit, & tum primùm mutat plantam generati, quando jam perficitur, & operatur, & quando, jam radices, & folia producit, quorum productio non est ipsa plantæ generatio, sed jam genitæ operatio, & perfectio. Et ipse *Aristoteles* semen, & id à quo genitum est, synonima vocat. Distinguendum igitur est inter actum entitativum,& formalem, secundum quid, & simpliciter. Tum enim actu perfecto forma dicitur præsens, cùm habeat omnia organa ad actiones edendas necessaria, non verò cùm est in parte, aut materiâ seminis, & eâ nondùm omnibus organis instructâ. Aliàs enim ramus abietis, in quo animam esse negari non potest, dicendus esset abies; pes hominis, homo. Ideoque à præsentia formæ ad denominationem formati non licet argumentari,sed tum demum rectè dicitur quid esse animal, vel vivens aliud, cùm anima est in subjecto suo rectè dispofito, ut operationes suæ speciei edere possit.

Sextum, Si semen esset actu animatum, semen papaveris esset papaver, semen canis esset canis.

Respondemus, quòd species rerum naturalium non denominantur ab essentiali ratione, quam forma dat, sed ab eâ constitutione, quâ sunt species mundi sensibiles. Quapropter etsi una secundum formam sit essentia seminis canis: tamen quia alia seminis,alia canis secundum partes corporeas, & sensiles est constitutio, semen non appellatur canis, sed semen canis. Eodem modo etsi una anima est in bombyce, & papilione: tamen bombyx non appellatur papilio, nisi dum fit volucris.

Septimum,Si semen esset animatum, viveret, si viveret, nutriretur; omne enim vivens quandiu vivit, nutritur, teste *Aristotele de respir. c. ult.* Quia verò semina reposita in horreo, granario, vel cistis, & capsulis inclusa non nutriuntur, non vivunt, & proindè nec animata sunt.

Verùm vita dupliciter sumitur, vel pro actu primo, seu ipso esse viventium, vel pro secundo, idest, pro operari. Vivunt semina actu primo, sed non necessariò secundo, neque necessariò actiones viventium exercent. Et locus *Aristotelis* saltem intelligendus est de viventibus jam perfectè conforma-

tis. Interim tamen anima in ſemine non planè otioſa eſt, ſed id ipſa vivificat, unde tamdiù ſemina ſunt fœcunda, quamdiù animam habent: poſtquam verò animam amiſerunt, emortua ſunt, & infœcunda. Neque animæ operationes ſolâ nutritione abſolvuntur, ſed ſunt, & aliæ ejusdem operationes, ut conformatio. Quamprimum tamen aliqua facta eſt conformatio, & quamprimum locum, & materiam idoneam nacta eſt, anima nutrimentum pro corporis ſui formatione, & nutritione ſtatim attrahit.

ARTICULUS V.

An Fœmina Semen efficiat?

QUæ de ſemine hactenus diximus, ſoli virili competere arbitramur, ac proinde de fœmineo ambigimus, an fœmina ſemen efficiat, emittatque, cùm plerique Philoſophi, ac Medici mulierem ſemine deſtitui ſtatuant, eamque menſtrua ſeminis loco tantùm habere. Hujus ſententiæ fuit *Ariſt. lib.* 1. *de generatione animal. cap.* 19. 20. *& ult.* quem ſequuntur *Averroës*, *Avicennas*, *Albertus Magnus*, *D. Thomas*, & cæteri Peripatetici, quorum doctrinam libenter amplectimur, quia noſtris cohæret principiis, dempto tamen ſanguine menſtruo, de quo infrà, idque ſequentibus probatur rationibus, &

Primò, nulla patet via, per quam ſemen è teſtibus ad uterum pervenire poteſt.

Secundò, ſi ſemen emitterent fœminæ, citra prærequiſitum maris congreſſum fœtum edere poſſent, quia omnia haberent ad generationem requiſita, ſcilicet ſemen, unum generationis principium, & ſanguinem menſtruum alterum.

Tertiò, ſeminis emiſſio maximam affert voluptatem: ſed multoties fœminas concepiſſe nullâ perceptâ ex coitu voluptate compertum eſt: igitur ſine ſeminis emiſſione.

Quartò, Gravida interdum fit mulier ſine ullâ ſuæ humiditatis excretione.

Quintò, Quo tempore mas pubeſcit, & ſemen effundit, pubeſcit etiam fœmina, & menſtrua apparent: virili itaque ſemini muliebre menſtruum correſpondet.

Sextò, Sacræ literæ levıti. XV. viri ſeminiflui, & fœmineæ ſanguifluæ expiationem ponunt, quaſi huic menſtruum, illi ſemen inſit.

Septimò, Tandem per ſeminis muliebris in uterum injectionem in mulieribus gravidis, poſt coitum creber fieret abortus: illud enim ſemen vel in utero corrumperetur, & ſic incluſo fœtui varia mala, & tandèm mortem induceret: vel ex eo elaberetur, & aperto uteri orificio, ſequeretur abortus.

Verùm hæc ſententia ſuſpecta habetur, & rejicitur ab *Hip. lib. de geniturâ, & diatâ*, *à Gal. lib.* 2. *de ſemine c.* 1. & aliis, qui fœminas ſemen efficere, & emittere contendunt his argumentis, &

Primò, In mulieribus ſunt eadem organa ſemen generantia, quæ ſunt in viris, & non deficit in illis materia, ex quâ componitur ſemen: igitur mulieres verum gignunt ſemen, quia natura nihil fruſtrà molitur, quare non poſuiſſet eadem organa in mulieribus ſemen generantia, niſi ipſa ad ſemen etiam conficiendum deſervirent: ergo verè, & propriè ſemen conficiunt, & emittunt, dummodo non ſint defectuoſæ, & imperfectæ.

Sed

Sed hoc argumentum ab anatome desumptum nullius pretij est; nam perperam putârunt anatomici, sicut viri, qui intestati videntur, testes in abdomine delitescere, itá,quia in fœminis conspicui non sunt, rati quoque intra abdominis cavitatem fœmineos delitescere testes, & quia in superiori, & extimâ, utrinque lateribus, uteri parte duo corpora non rotunda, sed anticâ, & posticâ parte lata, & depressa,quibus accumbunt tubæ,observârunt,pro testibus acceperunt, illisque vasa præparantia duplicia, arterias, & venas spermaticas consignârunt,attamen nonnulli,ut *Laurentius*, & *Veslingius* prostatas denegârunt, qui eas quavis solerti dissectione nunquam observare potuerunt. Neque hos putatitios testes dissectos semine imbutos comperies;nec ipsas tubas,cùm sint corpora quædam ex pluribus, minutisque glandulis coagmentata, quorum usus usque modò latet.

Secundò, Mulieres in coitu magnâ cum voluptate semen excernunt, eademque symptomata,quæ viris quoque contingere solent,sentiunt,nempè tristitiam,laxitudinem, visûs turbationem, torporem, libidinis cessationem.

Certum est mulieres in veneris palestrâ liquorem quendam, seu colliquamentum magno cum impetu & summâ cum voluptate ejaculari, quem perperam mulierum fautores pro semine accipiunt: Verùm liquor ille ex lacunis meatûs urinarii orificio collocatis primariò erumpit, secundariò ex meatibus in uteri collo copiosè existentibus, cui multùm etiam conferunt glandulæ in vaginâ, & uteri collo existentes. Isti priores ductus circa colli orificium, & meatûs urinarij exitum conspiciuntur, & ex crasso, membranosoque corpore circumcirca meatum urinarium existente hunc accipiunt liquorem; posteriores verò ex nervosâ, & membranosâ colli uterini substantiâ, & etiam earum partium glandulis, & reliquum liquoris à vaginæ glandulis. Nec liquor iste à testibus provenit, quia testes muliebres dictos semper hoc liquore destitutos observavimus, nec à tubis, quia vacuæ reperiuntur, attamen mulierculæ salaces uno impetu è pudendis tantam hujus liquoris copiam exturbant,quantam,si testes, & tubæ pleni essent, non emitterent. Nec verum est à coitu mœrere mulieres; nam quædam mulier interrogata num post venerem pœniteret, & tristaretur, respondit: *Pænitet, & tristor ignaviâ viri, quod centies nequeat coire, & libidini satisfacere*; imò post coitum hilares, etsi plures sint coitus, hilariores conspiciuntur, nec quidquam afflictas potest lætificare mulieres, nisi coitus. Imò si puellæ in fasciis implacabiles vis sedare lacrymas, ejus titilla pudendum, & extemplò luctus vertetur in gaudium,quia hic sensus cæteros antecellit, & occupat,ut fusiùs de sexto Sensu diximus. Nec in coitu laxatur mulier, sicut vir;nàm Messalina prostitutæ libidinis mulier dicere solebat,etsi à viro centies in die comprimeretur,se quidèm lassari,non tamen satiari, de quâ *Iuvenalis Satyra 6.*

Et lassata viris nondùm satiata recessit.

Et non semper in coitu liquorem hunc exturbat,sed quandoque post plurimam vaginæ uterinæ perfricationem, in reliquo si centies comprimatur, non ulteriùs hoc emittit colliquamentum, nisi salacissima fuerit. Neque fœminæ visus turbatur, imò perspicuitatem nanciscitur, quia ejus corpus multâ exoneratur

colluvie, quæ visum turbare potest; Nec tandem libido in mulieribus à coitu cessat, imò potiùs defatigantur, quàm exsaturantur, quia in ipsis libido nunquam satiatur, & cessat, ut in viro, in quo libidinis œstrum languet, & tentigo cessat, ubi totum crassamentum è corpore exilierit; nam semen non emittunt. Hinc in mulieribus semel libidinis fax accensa inextincta perseverat, & extincta facillimè reaccenditur, usu crescit, & cæteris satietas in coitu fœminæ nulla.

Tertiò, Mulieres non minùs, quàm viri, voluntariis se delectant pollutionibus, & semen proliciunt, imò nocturnis infestantur pollutionibus. Insuper inter ipsas sodomiam exercent maximâ cum voluptate, & copiosum ejaculantur colliquamentum.

Non negamus mulieres voluntariis se delectare pollutionibus, infestari involuntariis, & sodomiam exercere: verùm juxta nostra principia, ambigimus, an talis actus vera pollutio, vel vera sodomia dici possit, sed tantùm, quid analogon, quod idem de Eunucho dicere possemus, cùm illud quod detrudunt semen non sit, cùm interno destituatur spiritu, sed liquor quidam prosiliens à membranoso corpore circa meatū urinarium, ab uteri vaginâ ejusque glandulis.

Quartò, In viduis, & iis, quæ hystericis vexantur passionibus, copiosissima seminis copia partiū titillatione erumpit.

Falsum est hystericas passiones fieri ex copioso semine, sed ex quodam sale excrementitio, quod in corpore muliebri suas habet digestiones, & exaltationis tempora, & quasi in momento ad agendum erumpit, ac ob consensum, quem uterus cum omnibus corporis partibus habet, varia emergunt symptomata. Hoc sal vel congeritur in sanguine menstruo in uteri emunctoriis detento, in liquore in uteri vaginâ, ejusque glandulis, vel circa meatum urinarium in corpore membranoso. Liquor iste ex se gustu deprehenditur salsus, quod nisi per coitum depleatur, ejus sal excrementitiam adipiscitur exaltationem, & hystericas excitat passiones. Quando fit hujus salis excrementitii congestio in supradicto liquore, si uteri collum obstetricis digito, vel pessariis titilletur, utique hujus liquoris cum excrementitio sale magna fit excretio, hystericæ vindicantur, quod non contingit, si à sanguine menstruo ortum habeat hysterica passio, nisi menstrua proritentur.

Quintò, Virgines, & Viduæ juniores uterino corripiuntur furore, dum illarum genitales partes nimio infarciuntur semine, & libidinis æstro agitatæ furias, & rabiem concipiunt, qui morbus seminis evacuatione cessat.

Concedimus Virgines viro maturas, & viduas juniores quandoque furore laborare uterino, verùm eas in hunc incidere morbum, quia illarum vasa spermatica copioso infarciuntur semine, negamus, cùm vasis, & semine destituantur. Furor fit uterinus ex liquore circa meatum urinarium in corpore membranoso congesto, & propriè in, & circa clitoridem, quæ pars amoris dulcedo, Veneris œstrum, & sedes amoris ab anatomicis nominatur. Et reverà in actu Venereo exquisitissimam sensationem, & titillationem jucundissimam mulieribus præbet, undè in hac parte delectationis mulierum maxima sodes est. Hic liquor congeritur in hac parte, & quia salsus, (undè libidinosæ appellantur salaces, quæ lassari quidem possunt, sed non

non ſatiari) niſi depleatur, nimiam ob cunctationem ſenſim ejus ſalinæ exaltantur particulæ, in excrementitium, fixumque abeunt ſal, acorem contrahunt,& in parte turgent. Immoderatus iſte veneris affectus mulieres ad inſaniam, ſeu delirium ex immodico veneris appetitu ortum redigit,quia mulieres omni verecundiâ, omnique pudore depoſito, imò honeſtatis ſubversâ ratione,laſcivis,& obſcœnis delectantur ſermonibus, venerem avidè, & effrænatè expetunt, ad libidinem explendam viros invitant,ſollicitant, iisque ſe proſtituunt.

Sextò, Gonorrhæam ſæpè patiuntur mulieres,quæ nil aliud deſignat,niſi ſeminis effluvium.

Errant, qui dicunt mulieres gonorhæâ corripi,cùm ſemine careant,ſed nutrimenti in uteri vaginâ, ejusque glandulis degenerati eſt fluxus, idcircò impropriè gonorrhæâ vexari pronunciant.

Tandem mulieres caſtrari poſſunt,& non modò fœcunditate deſtituuntur, verùm etiam venereæ voluptatis omnem deponunt appetitum. Ita accidit illius ruſtici filiæ, de quâ lepidam narrat hiſtoriam *Wierus*: *Ruſticus quidam*, inquit, *cùm filiam ſuam amaſio clam indulgere animadvertiſſet, ipſam congruè vinculis alligatam caſtravit, ut erat ſues fœminas caſtrandi peritus, undè nata amoris oblita, rei tantùm domeſticæ ſerva deinceps operam navavit.*

Mulieres caſtrari ſine maximo vitæ diſcrimine non poſſe dicimus: nam utrinque ilia ſecanda forent, quod periculo non vacat, cùm ex quolibet abdominis, & præcipuè ilii vulnere in cavitatem penetrante interiorem, mox inteſtina prorumpant; quæ vulnera hîc mediocrem magnitudinem habere deberent,ut digiti inſeri, & putatitios teſtes inveniri,ac educi poſſent. Prætereà ex teſtis ſectione etiam dicta vaſa reſecantur ſpermatica, quorum hæmorrhagiam in interiore ventre ſiſtere difficillimum foret,ut ex eo liquet,quod ſatis difficulter ſiſtatur in viris, quorum tamen vaſa in teſtis ablatione extrinſecùs commodè ligari, vel actuali cauterio, urgente neceſſitate, inuri poſſunt. Quamvis ſuibus teſtes abſtrahantur, & etiam canes fœmellæ eodem modô nonnunquam caſtrentur; tamen id pari ſecuritate in mulieribus tentari non poteſt, neque tantis periculis mulieres exponendæ ſunt, quantis bruta animalia exponere licet, quorum multæ fœmellæ in iſtâ caſtratione moriuntur. In illâ caſtratione, cujus meminit *Wierus* totus uterus extractus,& abſciſſus fuit pecudum more,nec mirũ,ſi ad conceptionem fuit inepta,& ex hac caſtratione nõ multò minùs periculi impendet,quàm ex priore.

Optima quidem reſponſio, ſed objectioni non ſatisfacit, qua de re juxta noſtra principia dicimus magnum diſcrimen inter mulierum, & virorum caſtrationem intercedere; viris namque in ſectione complura vaſa ad teſtes,& proxima loca pertinentia diſcinduntur, unde viæ intercluduntur, per quas ſpiritus ille ad procreationem neceſſariò permeare ſolet,ut notavit *Hip.lib.de geniturâ*, & hac de causâ ad procreationem redduntur inutiles. Quamvis non deſint,qui tauros,equosque teſtibus abſciſſos generaſſe fateantur; & ſunt, qui memorant mulieres cum caſtratis viris coëuntes nonnunquam concepiſſe, quod tamen tam ſcitu, quàm factu difficilius eſt: Caſtrati enim concubare nequeunt,niſi cum mulieribus impudicis, à quibus veritatem extorquere omninò difficile eſt. Mulieres in caſtratione infœcundæ evadunt, vel quia uterus ex-

trahitur, & sic procreationis loco destituuntur; vel quia testes vulgò dicti, vel tubæ extrahuntur, non quia in his locis semen conficitur, perficitur, vel asservatur, aut ova fœcundanda, ut ab aliquibus creditur, continentur, sed steriles redduntur, quia occluduntur, præciduntur que viæ per quas quidam liquor ad generationem necessarius permeare debet, ut sequenti articulo fusiùs. Et castratæ mulieres, non minus, ac castrati viri, effrænatè libidinantur, & in coitu crassamentum effundunt.

ARTICULUS VI.

An Mulier aliquo modo ad generationem concurrat?

INdubitatum est nec marem, nec fœminam solùm ad generandum animal sufficere, sed uterque ad animalis constitutionem concurrere. Negavimus in mulieribus & semen, & testes, verùm non dicimus ad ornatum solùm esse datos, quia in parte abditâ, minimeque conspicuâ nullus esse potest, sed illa duo corpora ad summam necessitatem esse à naturâ constituta. Nunc inquirimus, in quo illa necessitas consistat, & quid in animalis constitutione fœmina præstet; undè pro articuli intelligentiâ.

Præmittimus, ut ex plantarum semine aliquid producatur, æquè requiritur terræ fertilitas in conveniente calore, & humiditate salsis particulis debito modo perfusâ, atque imprægnatâ. Nisi hæc duo concurrant, nihil ex plantæ semine generatur; nam si optimum triticum in salis, ferri, plumbi, vel arenæ aridæ cumulum injiciatur, nihil indè excrescit, esto per se fœcundum sit, quia non injicitur in materiam convenientem, in quâ ejus germen dissolvi, & in actum promoveri possit: Similiter si injiciatur in terram, cui nimium salis inest, vel cui calx, ærugo, aliavè similis materia particulis corrodentibus, & valdè acribus prædicta admisceatur, tunc spiritus in suo germine extinguitur, nec quidquam ex eo producitur: at si injiciatur in terram pinguem, & stercoratam, mox accedente calore tenuiores terrei humidi particulæ subeunt minimos seminis tritici poros, ejusque substantiæ immiscentur, quæ intumescit, & sic germen ejus solvitur, ac prorumpit in actum (omnis etiam generatio in humido fit,) & quod indè formatur, mox ab eodem humido, unà cum crassioribus seminis particulis colliquato, ac misto, nutritur, augetur, & increscit, posteà projectis radicibus majus, & solidius nutrimentum ex ipsâ terrâ sumpturum.

Ita se quoque res habet in hominis generatione. Uterus ager, seu terra est, semen virile fœcundũ excipiens, idque rorido calore convenienter perfundens: sed nisi ille ager habeat humidum copiosum, & convenienter præparatum, atque excoctum, quod suscepto semini se illicò circumfundat, ejusque poros subiens, se cũ eo commisceat, sicque spiritum in crassamento latentem dissolvat, ac in actum promoveat, nihil è virili semine generatur. Illud autem conveniens, & præparatum humidum nonnulli semen muliebre appellant, sed perperam; nam indignum est vocari semen, cùm interno careat spiritu. Provenit hoc humidum à testibus, & per tubas, & vasa deferentia in uterum demittitur in fœcundo congressu, & est parvæ quantitatis, nec hoc humidum est illud, quod à mulieribus in coitu excernitur; nàm ille liquor, ut diximus, à membranoso corpore circa meatũ urinariũ, ab uteri vaginâ,

ejuſque glandulis proſilit in magnâ copiâ, & ad procreationem nihil confert, ſed tantùm fomitem præſtat, atque incitamentum, eſtque quoddam generationis quaſi lenocinium. Hinc liquet liquorem hunc in conceptione neceſſarium non eſſe, nec ſemper in Veneris congreſſu emitti; ac proindè vera fatentur mulieres ſæpenumero ſe concepiſſe, nullâ perceptâ ex coitu delectatione, ſeminis ideſt hujus liquoris emiſſione. Hoc humidum, ſi aut non infundatur in uterum, ut contingit, cùm mulieres nimis in veloci, ſeu brevi coitu, humidum non emittunt, vel propter ætatem, ut in vetulis, quæ hoc humido deſtituuntur; aut per ſe non benè conſtitutum, vel nimis frigidum, humidius, fervidum, accreſcit, atque ſic ad craſſamenti virilis convenientem diſſolutionem, ac fotum ineptum ſit, tunc non fit conceptio, quia ſpiritus in virili craſſamento latens non excitatur, ac diſſolvitur, ſed ſuffocatur, & extinguitur.

Et ſicuti modò diximus in plantarum generatione præter convenientem calorem, non minus neceſſarium eſſe humidum terræ conveniens, quàm ipſum ſemen, utpotè quo humido ſemen diſſolvi, ejuſque germen à craſſiuſculis particulis liberari, & in actum promoveri, quodque ex eo formatur etiam primitùs craſſioribus ipſius ſeminis particulis ab iſto humido colliquatis, eique permiſtis nutriri debet: ità etiam res ſe habet in homine, in quo humidum muliebre ſimile eſt pingui humido terræ, ac proindè æquè neceſſarium ad generationem, quàm ſemen virile, utpotè quo ſemen virile foveri, diſſolvi, ejuſque ſpiritum expediri, atque in actum produci, & quo unà cum craſſioribus ſeminis virilis particulis colliquato, prima fœtus delineamenta nutrii, augeri, increſcere, & ad tantam molem deduci debent, ut ſibi ipſis poſtmodùm per uterum conceſſa, ac per os, & umbilicum infuſa alimenta conficere, & præparare poſſint. Atque ille eſt verus, maximéque neceſſarius uſus illius humidi muliebris, ſine quo hominis generatio nunquam procedere poteſt, quàm plantarum ſine fœcundo humido terræ.

Solent Medentes gravem exagitare quæſtionem, an ſemen muliebre ſit neceſſarium ratione materiæ diſſolventis, foventis, & nutrientis? An verò illud etiam in formando ipſo fœtu aliquam efficientis rationem habeat? Verùm pro ſemine muliebri, ſivè intelligant ſenſibilem liquorem in coitu excretum, ſive illud humidum ſuprà à nobis relatum, perperàm ſentiunt, cùm tam liquor, quàm humidum veram ſeminis rationem habere non poſſint.

Uſque modò una ſententia fuit muliebre ſemen efficientis, & materiæ nutrientis rationem ſimul habere, ac ſemini virili admiſceri, ex iiſque ſeminibus commiſtis unam fieri maſſam; & ex eâ in utero ſimul fermentatâ educi ſpirituoſum germen, per quod, & è quo fœtûs membra delineantur. Hanc ſententiam tuetur *Sennertus*, cui etiam patrocinatur *Ludovicus Mercatus*, qui hoc uno herculeo argumento, ſe totum dubium penitùs ſublaturum, & formantem vim ſeminis muliebris probaturum exiſtimat.

Omne, quod aſſimilat paſſum cum victoriâ, neceſſariò agit: ſed filius aliquando aſſimilatur matri; ergo in generatione filii agit.

Reſpondemus concedendo totum argumentum,

gumentum, nec indè sequitur semen muliebre dictum in generatione præstare vim agentem formationem fœtûs: nam multùm certè differunt, mater agit, & semen matris agit. Nam mater agit in virile, & suum semen, dùm utrumque in utero amplectitur, fovet, & calefacit, sicque illius spiritus de potentiâ ad actum suscitat; hoc verò ad materiam nutrititiam aptum facit: Verùm nec illa, nec ejus semen ad partium conformationem quicquam tribuit, nisi media, per quæ latens in semine virili potentiâ ad actum promovetur. Sed de hac quæstione agetur de fœtûs formatione. Similitudo filii ad matrem nihil probat, ut fusiùs diximus, in forti matris imaginatione etiam diù formato fœtu consistit.

Præter *Mercati* argumentum, adhuc tria alia satis gravia objiciuntur ab aliis authoribus. 1. Quod ex equâ, & asino gignatur mulus. 2. Quod ex viro, & bestiâ, non homo, sed monstrum irrationale gignatur. 3. Quod mulier alba ex viro Æthiope multoties concipiat, & producat infantem album. Quæ non videntur posse fieri, nisi à formante vi seminis fœminini, quatenùs illa cum masculini seminis formante vi concurrat.

Sed antequàm hæc argumenta dissolvamus, notandum censemus, semen masculinum non procedere in actum, neque ex eo produci aliquod simile ei, à quo processit, nisi illi conveniens admisceatur fermentum, & alimentum: quòd si in utroque, vel in alterutro defectus, seu error, aut vitium fuerit, tunc vel nihil, vel aliquid vitiosi ex eo produci, quod tamen natura perficit, quousque potest: eodem modo, sicut videmus inter plantas semen tritici, vel hordei in terram incultam, & aridam injectum degenerare in lolium, aliasvè inutiles herbas, ferè nullam cum prioribus similitudinem habentes, scilicèt propter defectum convenientis fermenti, & alimenti. Sic peregrina semina, ut notavit *Aristoteles* ad postremum pro terræ naturâ redduntur: hæc n. materiam, corpusque seminibus præbent, & oves caprino lacte educatæ, durius lanitium proferunt. Hoc præmisso, nunc ad argumenta accedimus, & respondemus.

Ad primum, quòd illud non probat fœmineum semen concurrere cum masculino, ut causam formationis coëfficientem, sed in dicto casu ex masculino semine activum germen, nec debito modo produci, nec convenienter procedere in actum propter impedimenta, quæ occurrunt, scilicèt propterea quod à semine equæ semen asini, nec satis convenienter pro naturâ istius animalis dissolvatur, nec ei conveniens alimentum in primâ factâ formatione suppeditetur. Hinc internus spiritus operator, qui nunquàm otiosus est, cùm non possit ex isto asini semine formare asinum perfectum, gignit animal, quod proximè accedit ad asini naturam, scilicèt mulum, qui ratione seminis asinini formantis naturâ est asinus; at ratione alimenti, seu primi nutrimenti ab equâ copiosè suppeditati, & ab equæ naturâ participantis, corporis molem asininâ majorem, & equæ aliquo modo similem conquirit.

Ad secundum dicimus semini virili eodem modo dictum errorem contingere in utero brutæ fœmellæ, atque hinc internum spiritum loco humani fœtûs generare monstrum irrationale, eodem modo sicut etiam in mulieris utero interdùm ob similem defectum conve-

nientis fermenti, seu illius aliquod vitium, (nempè seminis muliebris malè dispositi: illud n. fermentat semen virile) vel ob primi alimenti vitium, loco hominis, ex semine virili fœcundo generantur molæ, modò animalia bruta instar ranarum, semicatum, lacertarum, aliavè similia monstra, quorum varia exempla inveniuntur apud Medicos observationum scriptores. Quæ monstra interim non generantur à semine fœmineo, tanquàm vim aliquam formantem in se continente, sed vitio seminis fœminini producuntur, quatenùs illud malè dispositum, impedimentum confert, cujus ergò virilis seminis formandi efficientiâ turbatur, & impeditur, ut benè agere non possit.

Ad tertium dicimus, quòd mulier alba, non propter seminis sui aliquam formandi vim, sed propter fortem de fœtu albo ideam, possit ex Æthiope nigro producere fœtum album: imò quòd propter eandem ideam mulier nigra ex Æthiope nigro possit fœtum album concipere, & in lucem edere, cujus rei extant exempla. Certè imaginatio in mulieribus concipientibus, & gravidis mirabilia præstat, non tamen circa fœtûs formationem, verùm etiam circa eum jam formatum, quorum nullũ activitati seminis fœminini adscribi potest. Fuêre nonnulli, qui putârunt in equâ modò dictâ, aliisque brutis animantibus imaginationem etiam fortiter operari circa fœtûs formationem. Illud autem strenuè negant, & quia bruta animantia ratione destituuntur, hinc etiam nullam imaginationem iis adscribunt, sed siquid alieni in utero genitum sit, id multoties à vi formatrice seminis fœminini procedere arbitrantur. His respondemus, etsi bruta dicantur imaginatione, intellectu, & memoriâ destitui, illa tamen habere aliquid istis analogum, (ceu diximus) ut ex eorum actionibus manifestissimè liquet. Bos cognoscit præsepe Domini sui, apes cum mella collegit, inter centum similia alvearia suum cognoscit & ingreditur, canis heri sui mandata intelligit, & exequitur &c. & quod tale imaginationi qualecumque analogon etiam in brutis concipientibus, & gravidis aliquid circa fœtum efficere possit, docuerunt *oves Patriarchæ Jacobi Genes. cap.* 30.

Noster *Thomas Cornelius Consentinus progymnasmate* 5. de hac re aliam concepit opinionem: quippè scribit soli fœmineo semini inesse, tum primam materiam è quâ, tum causam efficientem, per quam fœtûs formatio fit; virile verò semen neque materiam formandi conceptus esse, neque ipsum formatorem in se continere, sed nihil ad generationem conferre, præterquam substantiam quandam insensibilem, quæ materiam à fœminâ collatam dumtaxat subigit, ac movet.

Cum nostro *Consentino* consentit *Deusingius lib. de genesi microcosmi*: ubi apertissimè docet fœtum formari ex solo fœmineo semine, idque non tantùm esse materiam, ex quâ delineatur, sed eidem quoque potentiâ inesse animam vegetativam, fœtûs formatricem, verùm illam ex eo non posse extricari, & in actum produci, nisi virile semen accedat, tanquàm quoddam fermentum substantiam ejus dissolvens, sicque latentem animam extricans, & ad formandi actum promovens.

Verùm hæc nova opinio longè recedit à vero, dum imperfectiori semini muliebri, quod verum semen non est, ut

 diximus)

diximus) totam formationis vim, & formandi primam materiam adſcribit. Abſurditas in vegetabilibus manifeſta eſt, nam arboris ſemen tritici, fabæ, aut piſi, quod eſt inſtar ſeminis virilis, injectum in ſuam vulvam, ſcilicèt terram, terræ ſemen, ſeu ſuccum, accedente calore non diſſolvit, ex eoque ſibi ſimile producit, ſed ab eo diſſolvitur, & ſic ſpirituoſâ ejus parte compedibus ſolutâ, atque in actum prodeunte, ex ſeſe prima delineamenta formandi efformat, eaque formata primò colliquatis ſui ipſius craſſioribus particulis, hinc ſucco terræ conveniente (qui fœminei ſeminis vicem gerit) nutrit, & auget. Res patet in piſo, fabâ, aliiſque ſimilibus, quæ in ſolo aëre, ac humido tepido depoſita, non fermentant aërem humidum, ut ex eo aliquid generetur, ſed diſſolvuntur ab aëre, ſicque ſpirituosâ parte compedibus ſolutâ, & in actum prodeunte in ſeſe, & ex ſeſe formant formandum, gemmamque projiciunt primam. Sic etiam ſe res habet in ſemine maſculino, cùm beſtiarum, tùm hominum, quod in vulvam projectum non inducit ſemini muliebri aptitudinem ex ſe aliquid formandi, ſed à ſemine fœminino ſolutâ ejus maſſâ, maximè ſpirituoſa ejus pars formandi vim continens, colligitur in bullâ, in quâ compedibus jam ſoluta ex ſeſe efformat, quod formandum eſt, ſemenque muliebre, quod primò fermentacei ſucci vim geſſit, mox deinde pro formati alimento inſervit. Porrò quod citato loco dicit *Deuſingius* de ſemine galli in gallinæ ovarium conjecto, illud nihil contra hanc noſtram ſententiam facit: quippè pauciſſima ſeminis galli quantitas ſufficiens eſt, è quâ primum pulli delineamentum formetur, nàm ſi fœtus humanus primò delineatus formicæ magnitudinem habet, quàm exilis, & quantò minor erit in principio fœtus gallinaceus, & quantilla ſeminis portio ad ejus primam delineationem requiritur? Sed verum non eſt, quod addit *Deuſingius* gallum uno coitu totum ovariũ fœcundare, omniaque in eo contenta ova, etiam minima, vix piſi magnitudinem habentia, hinc fœcunda evadere, licèt gallus non ampliùs gallinam comprimat: nàm ſemen galli non ingreditur, nec fœcundat alia ova, quàm illa, quæ jam ad maturitatem pervenerunt, reliqua parva, & immatura non magis fœcundantur à ſemine galli, quàm puella trium, quatuorvè annorum fœcundari poſſet à ſemine viri; imò cruda illa, ſeu immatura ova adhuc inepta ſunt, quæ admittant, aut recipiant ſemen galli, atque hinc quotidiano ferè coitu opus eſt, ut ſic quæ quotidie matura evaſerunt ova, ſemine galli perfundantur, ac fœcundantur. Nec obſervatio à noſtro *Thomâ Cornelio* adducta vera eſt, cùm inquit: *Illud mihi aliquandò contingit obſervâſſe gallinam bis à gallo compreſſam viginti duo peperiſſe ova fœcunda.* Imò nec paritas quidquam probat ſcribens: ſed & id quoque contemplatione dignum exiſtit, papiliones illos, qui ex bombicibus per transformationem quandam oriuntur, magnam ovorum multitudinem, quàm fœminæ utero geſtant, unico initu complere, atque fœcundare (cùm tamen intereà ejuſmodi ova duriori obducantur teſtâ) nàm ejuſmodi ova ſunt matura, ac proindè non mirum, ſi unico, ſed initu diutino fœcũdantur. Atque hinc fit, quòd illæ gallinæ, quæ gallo rariùs utuntur, (eſt obſervatio ipſi vulgo nota) multa ova ſubventanea, ſeu infœcunda pariant: è quibus per gallinæ incubationem pullus non procedit, ea ſcilicet, quæ nihil de galli ſemine

receperunt; atque hinc etiam illi, qui ova gallinæ supponere, ex iisque pullos habere desiderant, talium gallinarum ova quærant, quæ generosi galli consuetudine utuntur.

His rectè trutinatis, statuimus semen muliebre, scilicet humidum suprà à nobis commemoratum in generatione concurrere, ut materiam necessariam quidem ad seminis virilis dissolutionem, & fotum, ipsiusque primò delineati embryonis nutritionem; sed nullam ad prima delineamenta effingenda materiam conferre, nullam quoque in fœtu formando efficientis rationem habere. Id docuit *Aristoteles lib. 2. de generat. animal. cap.* 4. Verùm muliebre semen, scilicèt humidum illud abdicare, & tanquàm nullius usûs æstimare non possumus, cùm illud in generatione maximè necessarium esse docuimus, probavimusque, & cùm necessarium sit, atque formandi potentiam non habeat, non potest esse necessarium, nisi ratione talis materiæ sine quâ virilis seminis potentia non potest suscitari, & exsurgere in actum. Efficientis autem nullam habere rationem, ex eo innotescit, quòd mulier absque maris congressu ex seipsâ non concipiat, licèt quandoque humidum hoc in nocturnis pollutionibus dictis è vasis spermaticis in uterum excutiat: quæ tamen, si semen esset, & duo contineret principia generationis, agens, & patiens, cùm in se locum, & tempus conveniens habeat, non posset, non ex se concipere. Prætereà sic à naturâ comparatum est, ut tantùm unicum sit agens, quod effectum naturalem producit, atqui si mulieris semen etiam efficientis rationem haberet; jam duo forent principia agentia, nempè semen viri, & semen mulieris, quod repugnat instituto naturæ. Ad hæc, si uterque sexus vim præstaret activam, mas aut idem produceret, aut fœmina, aut diversum; si idem, tunc alterutrum superabundat; si diversum, tunc semper generabuntur gemelli, aut hermaphroditi: atqui illud raró, hoc rarissimè contingit. Denique sententia nostra per naturalem instinctum vulgò ab omnibus confirmatur; nam liberi non denominantur à matre, sed communiter à patre, tanquam ab eo, qui efficiens principium ad eorum conformationem contulit.

Ex jam dictis igitur liquet, semen muliebre in se non continere virtutem formatricem fœtûs, in hocque formando nullam habere efficientiam, imò nec primam materiam ad prima formandi fœtûs delineamenta conferre: sed illud tamen maximè necessarium esse, ut materiam virile semen dissolventem, ac foventem, spiritumque formantem semini virili inhærentem solummodò ab impedimentis liberantem, & ad agendum, omniaque prima corporis stamina ex se ipso, suavè substantiâ formandum disponentem, ac delineatum embryonem nutrientem.

QUÆSTIO SECUNDA.

ARTICULUS I.

De Sanguine Menstruo.

HActenus credidêre Medentes non solùm semen ad fœtûs generationem concurrere, verùm etiam sanguinem menstruum alterum esse principium, idque materiale tantùm, non autem efficiens, sicut semen. Sanguis igitur menstruus absolutè menses ac menstrua vocantur, vulgò tempora, quod scilicèt statim temporibus fluat. A

nonnullis flores dicuntur, eâ proculdubio de causâ, quod ficut arbores fructum non ferunt, nisi flores præcedant: itâ ad concipiendum apta non est mulier, nisi priùs menses fluant. Sanguis menstruus est excrementum ad matricem confluens, quod natura singulis mensibus per ductus datos foras expurgat. Hinc falsa est nonnullorum Medicorum sententia asserentium hoc excrementum menstruum florem esse mulieris, velut arboris cujusdam. Optimus sanè Medicus, qui stercus pro flore aspiceret! Flos mulieris emergit, cùm concipit, eâ n. ipsâ horâ erumpit. Florem hunc deinde etiam fructus excipit, qui est fœtus. *Galenus* cum sociis suis tres sanguini menstruo consignavit usus, quorum primus est, ut sit rubratum partium materia in conceptione, ac proindè materiale principium. Secundus, ut factâ partium conceptione sit geniti fœtûs alimentum. Tertius tandem, ut excluso jam fœtu sit lactis materia, sed his deficientibus, ipsa natura corpus ad exonerandum copiâ singulis mensibus sanguinem ab utero excernit; attamen recentiorum observationes, & rationes hos usus, ut superfluos, & futiles explodunt.

ARTICULUS II.

Cur in Fœminis tantùm fiat Purgatio menstrualis?

FOeminas sanguinis menstrui tantùm tentari purgatione dubitabile non est, nec probatione indiget, cùm id sit Sole clarius; verùm cur talis purgatio fiat, digladiantur Medentes.

Communiter censent à fœminis, ut-porè humidioribus exuberantem sanguinis portionem singulis quibusdam mensibus per uterum evacuari.

Sed sunt mares fœminis humidiores, qui sanguinis evacuationibus obnoxii non sunt; sic etiam bruta quampluri-ma humidiora sunt, & tamen menstruæ non subsunt evacuationi.

Galenus quantitati refundit causam, tum ob frigidam naturam, tum ob mollem humidamque eorum temperiem, quæ magnam sanguinis copiam cumulare solet: undè fit, ut sanguis iste nimiâ luxurians quantitate, per uterum excernitur.

Verùm hæc *Galeni* sententia falsa deprehenditur; nàm non omnes mulieres frigidæ, humidæque naturæ sunt. Prætereà si menstrualis purgatio copiâ fieret, omnes mulieres essent plethoricæ, quod à nemine sanæ mentis conceditur, & si quandoque menstrua deficerent, nullum præsentaneum inveniretur remedium, quàm phlebotomia, quæ sanguinis copiam minuit, quod oppositum experimur.

Quidam non quantitati, sed qualitati tribuunt, tum manifestæ, tum occultæ; manifestæ, quia non sine molestiâ & mordacitate excernitur: deinde quia hujus sanguinis contactu virile membrum in coitu à fœminâ, quæ menstruo laborat, excoriatur; occultæ verò qualitati, quia sanguis menstruus venenatus est, idque ex ejus operationibus probant, & retentus gravissima infert symptomata. Sed qui ad qualitatem occultam confugiunt, nimis rusticâ utuntur philosophiâ.

Alii & quantitate, & qualitate peccare simul credunt.

Nos menstrualem purgationem in fœminis fieri non quantitate, sed qualitate asse-

asseveramus; natura n. fœminas expurgat, ut purget, & depuret. Hinc arbitramur magis sanguinem depurari, quàm minui. Undè, ut inquit *Hippocrates: Sana mulier à mensibus bene fluentibus judicatur : siquidem , si fluunt menstrua, expurgatur , iisdem verò deficientibus morbi fiunt* , quod signum est illam copiam excrementorum aggregatam , & non expulsam illorum causam esse malorum. Ob hoc ab interdictâ purgatione accidunt melancholica, insania , mania, apoplexia, epilepsia, sterilitas, uteri suffocatio, cancer , cephalalgia, cachexia , hydrops , arthritis , icterus uterinus, febris, impetigo, cordis palpitatio , deliquium : & sexcenta alia mala, quæ pravam sanguinis , aliorumque succorum qualitatem sequuntur , non verò sanguinis quantitatem.

Pro nostrâ de menstruali purgatione stabiliendâ sententiâ notandum, sanguinem multis redundare particulis salinis, & sulphureis , quæ circulatione summè volatilisantur , non tamen quandoque sine capitis mortui residuo propter terrestres particulas; multo abundare latice , qui ad ipsius circulationem, & sordium ablutiones inservit , multisque recrementis , quæ per vulgarium ora Medicorum pro humoribus resonant. Præterea , quia sanguis , dum conficitur in vasis inter circulandum , partes quædam continuò resolvuntur, & aliæ denuò reficiuntur , hinc à cruditate, aut nimiâ coctione , quid excrementitium congeri oportet, quod posteà effervescentiâ ab ejus massâ per insensilem evacuationem separatur. Hæc insensilis evacuatio omnibus sensibilibus simul unitis longè copiosior est , ut luculenter docet *Sanctorius libello de Medicinâ staticâ* , quòd si quandoque hanc insensilem diminui contingat, per sensilem comparari necesse est. His perpensis.

Dicimus menstrualem fieri purgationem, quia mulieres diminutam habent insensilem evacuationem ; eædem námque poros nactæ sunt exiguos , & inter cutim , membranamque carnosam uber substernitur adeps, ac proindè quantum sanguinis inficitur , perspiratione non absumitur , & licèt mulier multò minùs edat , bibatque quàm vir , plurimo tamen scatet sanguine, & quia multis abundat recrementis, quæ per insensilem perspirationem singulo quoque mense expurgari debent, ut sanguis depuretur , & quia non expiantur , natura ad uteri venas , tanquam ad destinata emunctoria, eum sequestrat , ut per ea expurget. Præterea menstruum primis diebus magis est infectum , quàm quod subsecutivis fluit. Hinc eruimus viragines , & rusticæ mulieres , quæ magis, quàm ipsi viri laboribus exercentur , pauco, vel nullo tentantur menstruo. Hic sanguis menstruus à naturâ depulsus in emunctoria , spiritu destituitur vitali , fitque excrementum , qui morâ vires, & virus acquirit , & nisi à naturâ eliminetur , recentis cadaveris proprietates assumit , & mala tot excitabit, quorum numerum comprehendere facile non erit.

ARTICULUS III.

In quibus fiat Sanguinis Menstrui purgatio.

Post vetiti pomi esum prima illa parens, Eva libidinis prurigini se obnoxiam

noxiam fecit, virum in congressus lacessivit, admisitque; eapropter humanam deturpavit naturam, cujus labes per successivam culpam, quasi per fideicommissum cruentam deturpationem in mulieres traduxit. Unde conjicimus, quòd Eva per membrum, quo multis subnoxiam se reddiderit ærumnis, apud posteros testificari debeat, sui lapsûs hæreditariam culpam, & in naturâ cruentam deturpationem. Ob hanc noxam in naturam menstruum sub maledicto permansurum introivit, ac proinde mulieres Harpyarum instar fœdissimæ per uterum, idest per cloacam singulo quoque mense cruentam exturbant colluviem. An omnibus, an verò quibusdam mulieribus eveniat, hîc inquirendum, pro quo

Dicimus infantes fœminas in primâ ætate constitutas, adultas utero gerentes, lactentes, vel quæ aliquo laborant morbo, vel diutinâ maceratas fame, vel in senio constitutas, innoxiè sanguinis menstrui destitui.

Putarunt vulgares Medici infantes mulieres sanguine abundare, universumque illum in corporis augmentum verti, quod eâ ætate plurimùm est, undè superfluum sanguinem, qui expurgari deberet, non remanere crediderunt, quâ ratione etiam à pueris semen non emitti existimârunt.

Verùm nostra sententia est puellas menstruâ purgatione carere, quia in illis sanguis menstruus non generatur; nutrimentum n. quod in sanguinem transire deberet, in corporis augmentum vertitur.

De utero plenis dicunt sanguinem in utero retineri ad fœtus nutritionem, tum etiam quia cùm clausus sit uterus, sanguis non effunditur; si n. uterus aperiretur ad sanguinem effundendum, fœtui noxa inferretur, quâ ratione *Hipp. 5. aph. 61.* inquit: *Si mulieri utero gerenti purgationes procedant, impossibile est fœtum esse sanum*, vel, ut inquit *Arist. 7. de generat. animal. cap. 2. Tunc proles procreatur aut minùs vitalis, aut infirma.*

Sed decipiuntur, & decipiunt Medici; nam fœtus in utero, ut dicemus, non nutritur sanguine menstruo, & ob id deficit, quia transit in placentam uterinam, & nutrimentum partim ad fœtus, partimque ad prægnantium nutritionem inservit, nec à nutritione superest, ut in menstruum transeat. Solent quandoque fœtæ multum in victûs ratione peccare, & tunc superfluum alimentum in sanguine vertitur, & sanguis menstruus singulo quoq; mense ab utero ferentibus excernitur, ut multoties nos observavimus, etiam sine fœtûs damno: quia hæc excretio non fit ab aceptabulis, & venis in uteri fundo existentibus, sed à venis, quæ disseminatæ sunt per matricis collum, & tunc nullatenus prolem lædit.

De lactantibus inquiunt universam sanguinis materiam, quæ per uterum expurgari deberet, ob lactis confectionem tendere ad mammas ob maximum consensum, quem hæ partes inter se habent.

Verùm errant; nàm lactis materia non est sanguis menstruus, sed nutrimentum, desideratur menstruum, quia in lac transit nutrimentum, & non in sanguinem.

Mulieres morbo correptas menstruali carere purgatione credunt, quia natura adeò illi morbo devincendo intenta est, ut hanc evacuationem complere non possit, vel quia ipse morbus vi suâ hanc impedit evacuationem.

Nos

Nos verò dicimus morbosas mulieres carere menstruis, quia extemplò ipsis tenuis victûs ratio instituitur, & juxta morbosarum affectionum conditionem vel minuitur, vel depravatur coctio, vel insensilis, aut quandoque sensilis augetur evacuatio; ac proindè non multum nutrimenti in sanguinem transit.

Vetulas menstruali purgatione destitui asserunt, quia eâ ætate maximus sanguinis est defectus, ita ut nec sufficiat corpori nutriendo, unde tunc mulieres emaciantur. Verùm nos hoc pendere ob nutrimenti inopiam statuimus.

In reliquis mulieribus, quæ nullum habent impedimentum, naturaliter ferè menstrua purgatio armonizari debet, quædam magis, quædam verò minùs, ut *Hippocrates lib. de morbis mulierum*, inquit: *Quæ pepererunt faciliores habent menses, quæ non pepererunt, graviores*; nam ex parte venæ tum majores, tum fluidiores, hoc est magis expeditæ fiunt, & uterus magis aperitur, magisque purgationi assuescit. *lib. de naturâ mulieris* inquit: *Albas mulieres habere copiosos menses, nigras verò pauciores*. Ratio est, quia mulieres illæ frigidioris sunt constitutionis, poros habent angustos, multo sub cute adipe abundant, quarum sanguis per insensilem perspirationem non defæcatur, & semper longiores eliminant menses; hæ verò calidiorem nactæ sunt corporis constitutionem, laxos habent poros, laboribus, & motu ferè virilibus exercentur, sanguinis incrementa absumunt, & difflabilia faciunt.

ARTICULUS VI.

Quo anno incipiant, desinantque Menstrua.

QUò ad primum in puellis dicimus menstrualem purgationem circa 14. annum incipere, sed non rarò ob regionis, sanguinis, uterique varias constitutiones nunc tardiùs, nunc verò citiùs incipiunt, quamobrem jure optimo definitum menstruorum tempus stabiliri non potest. Legimus nonnullas menstruâsse 5. 6. 7. 8. & 11. anno, attamen regulari lege circa 14. erumpunt. Verùm, quibus nimis præmaturè incipiunt, in hisce plerumque quoque eò citiùs cessare, & brevioris vitæ signum esse solet, in tardiori eruptione contrario modo. 14. anno variæ in corpore mutationes experiuntur, & hoc tempore mulieribus accidunt ea signa, quæ maribus evenire solent in primâ seminis emissione; circa eundem annum observamus mutari vocem; fit etiam gravior, quam vocis mutationem *Aristoteles* appellavit *caprire*, *Sennertus hircescere*, & nos appellamus *hirquitallire*. Sub primam menstruorum collectionem virginibus vox quoque fit aliquantulum asperior, & gravior. Ubera intumescunt ita, ut ad duos digitos promineant, quod *Aristoteles* appellavit *tractare*, pueris quoque protuberant mammæ ad verticelli magnitudinem. Utrique pubescunt: id est, parvam circa pudenda emittunt lanuginem, quæ deinde in pilos concrescit. Mammarum intumescentia contingit, quia harum venæ maximum cum partibus genera-

nerationi dicatis habent consensum, undè non mirum est, si unà in repletione consentiant.

Eodem quoque tempore pubescunt mares, & fœminæ, quia corpora, quæ semen, sive sanguinem effundunt menstruum, sicciora fiunt, quò ad viscera, quia humido illo crassamento, & cruento latice destituuntur. Laxior verò fit cutis, quia in seminis, & sanguinis menstrui effusione fit quidam motus, & effervescentia, quo totum concutitur corpus, cujus est aperire, aut laxare; tum etiam, quia partes illæ, quæ pudendis circumstant, majorem acquirunt calorem ex seminis, vel menstrui accessu, unde apertiores fiunt.

Mutatur eodem tempore, tum puerorum, tum puellarum habitus, ex macilentis fiunt pinguiores, & ex sanis morbosiores, sicuti ex morbosis saniores fieri solent. Ut *Hip.3.aph.*28.inquit: *Plurimi autem morbi puerulis judicantur, nonnulli quidem in* 40. *diebus, nonnulli in* 7. *mensibus, nonnulli verò in annis* 7. *quidam verò jam ad pubem accedentibus. Qui verò permanserint, nec in pubertate finierint, puerulis, aut fœminis cùm menstrua erumpunt, consenescere consueverunt.* Et de morbo comitiali præsertim affirmavit 2. *aph.* 45. *Quicumque juvenes morbo comitiali laborant, mutatione maximè ætatis, & temporum, & locorum, & victuum quoque liberantur. lib.* 5. *tex.* 7. *addit*: *Illæ virgines, quæ morbos non habent, illis simul cum pubertate, vel paulò post corripiuntur*, & ratio esse potest, quia pueri, vel puellæ multis antea abundant excrementis, cùm hæc deinde in coitu, vel menstruali purgatione excernantur, tunc non mirum, si corpora evadunt saniora; & cùm corpora quæ prius erant sana, & consequenter excrementa non habebant, necesse deinde est, ut per seminis emissionem, & menstrualem purgationem fiant morbosa; nam semper in his evacuationibus aliquid boni ad sanitatem facientis emittitur, quo emisso, non mirum, si sanitas evadat deterior. Deinde mutantur corpora quoad animi affectus; nam venustiora, hilariora magis evadunt, magisque civilitati, ne dicamus, vanitati student, ac fenestris faciliùs se exponunt, quia veneris stimulos sentire, juvenes amare, & matrimonii desiderio maximoperè incitari incipiunt, & tunc puellæ custodiri debent, quia tunc maximè ad veneris usum invitantur, & non ægrè comprimi sinunt.

Secundum quæsitum duplicem habet sensum; vel enim sensus esse potest, quamdiu desinere debeat menstruatio in actu primo, & in habitu, vel ut alii loquuntur, ad quantum tempus extendatur universale tempus, quo debet mulier singulis mensibus habere menstrualem purgationem, vel quæsiti sensus est de menstruatione in actu secundo, & in particulari, nempe quantùm unica menstruatio durare debeat, adhoc ut sit naturalis, & conveniens, pro quibus

Dicimus circa primum, experientiâ constare in mulieribus menstruationem utplurimum terminari circa annum 45. vel citiùs, vel tardiùs, & quandoque, sed rarissimè, ad occiduam usque ætatem perdurare juxta corporum varietatem, victûs rationem, cœli constitutionem, &c. Deficit menstruatio; (non enim per totum vitæ curriculum perseverare potest,) quia in mulieribus tali tempore diminuitur ventriculi

actio,

actio, & consequenter tanta nutrimenti copia, ut in floridâ ætate, non generatur, sed tantùm, quantùm ad totius sustentationem sufficere valet, & nutrimenti superflui pars in sanguinem mutatur, qui ad virilitatem tantùm sufficit. Undè eâdem ætate fiunt mulieres macilentæ & uteri tubuli ob quandam retractionem, vel laxationem ad menstruationem redduntur inhabiles: siquidem ut mammæ in vetulis exsuccæ, & collapsæ videntur, ita earundem uterus retrahitur, & ferè meatibus destituitur, & mutatâ pristinâ constitutione, ut ad menstruandum, & concipiendum redditus ineptus.

Circa secundum dicimus, quòd maxima in quamplurimis occurrit diversitas, patientibus quibusdam fluxum copiosum, aliis parcum, aliis velociorem, aliis tardiorem, aquosiorem, pluribusque differentiis interstinctum pro diversâ corporum constitutione, abundantes enim plurimo sanguine, & fervido citiùs, & crebriùs cruentationem emittunt menstruam, crasso autem, modico, & lento ditatæ sanguine tardiorem, & pauciorem experiuntur repurgationem. Quædam singulis mensibus, aliæ alternis, vel majori spatio interjecto, redeunte postmodum fluxu adeo confertim, ut magnopere debilitentur. Diversa quoque vitæ ratio multum parit discrimen, quæ si plenior sit, otiosa, frigidioris constitutionis, item sanguinis tenuitas, vel acrimonia, vasorum amplitudo, hæc, & similia copiosius parant effluvium. Ad hæc in quantitate, & tempore menstrua multùm variant; quædam etiam per duos saltem, tresvè dies fluunt, brevius autem tempus erit morbosum, & sterile, ut & longius: sæpè namque connaturale est, atque conveniens aliquem servare modum, quia sunt quædam mulieres, quæ vel idem excedunt tempus, ita ut purgari soleant per quinque, sex, vel octo dies; cunctæ tamen utplurimùm initio, & fine tenuiorem, & pauciorem emittunt purgationem, intermedio autem spatio abundantiorem, & crassiorem. Sunt aliquæ, quæ neque idem attingunt tempus, vel per noctem, vel diem tantùm expurgant, & hæ neque steriles, neque morbosæ observantur.

Verùm *Hipp. lib. de morbis mulierum* in qualibet sanâ muliere sanguinis menstrui quantitatem designat ad duas heminas Atticas, seu sesquilibram, aut duas fere libras. Quæ tamen quantitas in omnibus mulieribus non observatur, sed pro constitutionis, ætatis, victûs ratione variat; nam juniores, & cùm purgari incipiunt, minùs purgantur, & in suo fluore paulatim sanguis ad ætatis usque florem augetur, tum verò aliquandiu æqualitatem servat, ita ut neque crescat, neque decrescat; tandem ætate declinante paulatim rursus minuitur, donec omnino cesset. Ideoque ea menstrui quantitas naturalis est, quæ ætati, constitutioni, vitæ generi competit, eaque ex eo cognoscitur, quòd post menstruum fluxum neque alia corporis gravitas, neque virium debilitas relinquitur, unde prædicta *Hippocratis* doctrina utplurimùm semper intelligenda est.

ARTICULUS V.

Quænam sit causa periodi Menstrualis?

Cum jam constet causa, propter quam mulieres singulis mensibus men-

menstruum expurgant sanguinem, quia verò præterquam quòd simpliciter expurgant, habent pariter, ut hanc expurgationem faciant quodam cum ordine, ut quadam ordinatâ repetitione, ita ut singulis mensibus hanc habeant expurgationem, quæ determinata repetitio hujus purgationis singulo mense succedentis appellatur à Medicis periodus menstrualis; idcirco hujus quoque rationem assignare debemus, hoc est, quænam ratio sit, propter quam hujusmodi expurgatio fiat singulo quoque mense, & non singulâ quoque hebdomadâ, vel singulis diebus, ut fæcum excretiones fieri solent, vel etiam cur non fiat rariùs post duos, vel tres menses.

In quâ re tantus est labor, ut reverà voluerunt nonnulli talem determinatam periodum non servari; ita ut non quolibet mense necessariò mulieres hunc sanguinem expurgare contendunt: sed

Contra hos apertum est ipsarum mulierum testimonium, quæ non solùm se quolibet mense has habere purgationes fatentur, sed etiam per determinatum tempus, neque talis certæ repetitionis diem postponunt, ita ut quamvis in nonnullis peculiaribus variari possit, generaliùs tamen semper certa est singulis mensibus.

Voluerunt alij hujus circuitûs causas esse determinatam quandam excrementi sanguinei quantitatem, quæ determinata quantitas per unum mensem colligitur, & sic quolibet mense naturam stimulat ad expurgationem: hujus rei exemplum afferunt eorum, qui semper determinatè singulis diebus fæces expurgant, non aliâ ratione nisi propter aggregatam quantitatem.

Sed esto demus excrementi sanguinei quantitatem naturam ad expurgationem stimulare, non autem dicimus causam esse, propter quam determinatè hujus purgationis fit circuitus, & ratio est, quia non semper omnes mulieres, imò neque perpetuò una mulier eandem sanguinis quantitatem expurgat, sed nunc majorem, nunc minorem, & cum hac quantitatis varietate non variatur circuitus: sed si talis circuitus ab eâdem quantitate proveniret, tunc quantitate variatâ, variaretur circuitus.

Quidam ad hujus excrementi sanguinei qualitatem, sive proprietatem confugiunt, quod sui expurgationem exigit singulis mensibus.

Sed hæc sententia falsa deprehenditur, vel enim recurrit ad qualitates occultas, atque proprietates indicibiles, quæ semper ignorantiam specioso pallio, sed rusticano obductam ostendunt, & luculenter convincitur: nam mulieres non perpetuò unam excrementi rationem expurgant, cùm quandoque serosiorem, crassiorem &c. exturbent: igitur si hic circuitus ab excrementi qualitate, quod expurgatur, proveniret, variatâ hac excrementi qualitate, periodus variari deberet: variatur autem qualitas invariatâ periodo: igitur à qualitate non oritur periodus. Vel confugit ad manifestas qualitates, & hæ assignari deberent.

Ultima, & communis opinio est *Arist. 7. de hist. animal. cap. 2. & Gal. 3. de diebus decret. cap. 2.* quos innumera vulgarium sectatur grex, referentium ad Lunam hujus determinati circuitûs rationem, & reverà *Helmontius* menstruum lunare tributum appellat; verùm ad lunam recurrere, est miserum quæ rere subterfugium, unde pro hujus intelligentiâ.

Sup-

Supponunt primò, generaliter mulieres semper ferè hanc habere evacuationem circa tempus aspectuum lunarium, vel circa novilunium, vel circa plenilunium.

Supponunt deindè secundò Lunam in iisdem aspectibus inducere nimias commotiones in humidis corporibus; ita enim observatur in aëre excitare pluvias, vel ventos, in mare tempestates, & in echinis, cancris, aliisque testaceis, & crustaceis quoddam humiditatis augmentum, (luna namque præsidet aquis) sicut etiam in plantis in plenilunio, quod lunâ decrescente non observatur. Imo etiam in corporibus humanis videmus his temporibus excitare catarrhos, & generaliter humidorum excrementorum exuberantiam, quod magis verosimile est in ipsis mulieribus contingere, quæ humidiores sunt, ut *Arist. cit. loco* inquit: *Fœmineus sexus dicitur lunæ subjectus.* Ex his apertè patet hujus sententiæ ratio: nam cùm hæc purgatio circa hos lunares aspectus contingat, cùmque luna possit esse causa, cur tunc talis fiat evacuatio; humiditates commovendo, quæ in corpore sunt, meritò cur in tali corpore determinata recurrat hæc evacuatio, lunæ tribui solet, undè vulgò fertur, juniores lunâ crescente, adultiores jam mulieres lunâ decrescente purgari, undè versus.

Luna vetus vetulas, juvenes nova luna repurgat.

Optima quidem sententia, sed rationes insulsæ, & experientiæ ineptæ, quæ genuinam non pacant mentem. *Aristoteles, & Galenus* ignaviæ suspicione malè audiverunt, dum periodi menstrualis causam ineptè mendicârunt à lunâ, quasi luna aquis, corporibus humidis, præcipuè fæmineo sexui præesset. Ista periodica sanguinis expurgatio non ad lunam, sed ad internam uteri monarchiam pertinet, quia muliebris sanguis à recrementis expiari debet intercapedine, quâ luna per Zodiacum singulos metitur cursus. Luna non aggregat, vel hunc sanguinem extrudit menstruum, estò uteri purgatio cùm lunæ aspectibus coincidat; nam coincidere utrique termino est per accidens. Si istam mulierum purgationem luna causaret, saltem omnes juniores, lunâ crescente, & adultiores, lunâ senescente, ferè essent menstruæ, ac luna silente, menstrua feriarent, quod falsum ostenditur.

A novilunij aspectibus ad plenilunium usque in corporibus humidis nimias induci commotiones, ut in aëre pluvias, vel ventos, in mare tempestates; in corporibus humanis catarrhos, & humidorum excrementorum congeriem excitari ipsa autopsia falsitate convincit; cùm non tantùm in his aspectibus, quàm in aliis contingant.

Ad id, quod objiciunt Echinos, cancros, astacos, cæteraque crustacea, & testacea esse plena, lunâ crescente, & decrescente esse vacua, respondemus hoc esse maximum præjudicium à vulgo introductum; nam æquè in omnibus lunæ aspectibus plena sunt, unde in apophthegma transiit ridiculum: Quid luna cum astacis? Verùm id contingit, ubi ingentem eduliorum copiam hæc aquatica animalia pro victitando habent. Secus verò si incolant loca, in quibus ob victûs parsimoniam parcè victitant, nam in omnibus lunæ aspectibus

ctibus erunt inania. Verumenimverò negare non possumus plena interdum inveniri, lunâ crescente, & senescente, vacua; nam hæc noctu victitant, quia eodem tempore cernunt, & lunæ lumen aquas pleniùs, & splendidiùs illuminat, semper crescendo ad plenilunium usque, ob majus luminis spatium uberiùs utuntur alimento, ac proindè pleniora evadunt; lunâ verò senescente ob debile lumen debilis aquarum irradiatio succedit, & propter illuminati temporis angustias, parciori potiuntur cibario, ac parciùs nutrita observantur.

Non fabulas de pleniori, & debiliori lumine lunæ canimus, sed astronomicè id probamus; luna namque est globus quidam opacus, existens in cœlo sub Sole: unde quidem à Sole illustratur medietas globi lunaris, quando autem luna opponitur soli, illa ipsa medietas illustrata vergit ad superiorem cœli partem, ad nos autem versa est alia obscura medietas; in omni demum statu medio conversa est ad nos partim medietas lucida, & partim obscura, & eò plùs, vel minùs de medietate lucidâ, quò plùs recedit, vel accedit luna ad solem, & quia infra quadraturas medias plùs ad nos convertitur de parte obscurâ, & minùs de lucidâ, ideo apparet pars lucida corniculata. Hinc fit, quòd luna crescens sequitur solem, oriturque, & occidit post solem, quia nempè crescit recedendo à sole ab Occidente Orientem versus. Decrescens verò præcedit solem, & oritur, & occidit ante solem ab Occidente Orientem versus. Ideo quoque luna crescens lucet vespertino tempore, scilicèt post solis occasum: luna decrescens matutino, scilicèt ante solis ortum. Insuper luna crescens vertit cornua ad Orientem, quia pars illuminata est occidentalis ad solem conversa: luna decrescens vertit ad Occidentem, quia medietas illustrata est orientalis respiciens solem. Itaque à novilunio ad plenilunium pars illuminata respicit terram, obscura superiorem cœli partem; contrà in senescente pars obscura terram vergit, & illuminata ad superiorem cœli partem.

Objiciunt Lunæ fautores ad suæ sententiæ confirmationem experientiâ constare arbores, lunâ crescente, incisas ob maximam succulentiam brevissimè cariem contrahere, lunâ verò senescente, quia superfluo destituuntur humido, incisas perennari.

Non ita dicant; nam falsum est arbores, lunâ crescente, incisas, breviter cariari, decrescente, multos servari per annos; siquidem arbores hyberno tempore alimentum è terrâ non hauriunt, & earum anima torpescens non tantùm feriari, verùm extincta videtur, cùm veluti inutilia cadavera omnium operationum specificarum expertes appareant, & tamen animâ non destituuntur, sed ab intùs latente vivificantur. Hoc tempore crescente, sive decrescente luna, si arbores incidantur, diu constant. Verno tempore à radiis solaribus ad rectos angulos incidere incipientibus arborum anima, aliàs torpescens, ad motum excitatur, alimentum è terrâ uberiùs haurire incipit, & actionibus manifestis sese iterum prodit. Hoc, & ulteriori tempore incisæ arbores quacumque lunæ quadraturâ cariem contrahunt.

Trutinatis, explosisque pro periodo menstruali aliorum causis, nostram stabili-

biliamus sententiam oportet, cur menstrua statis temporibus, & per certas periodos fluant?

Revera magnum fuit naturæ opus hanc determinatam repetitionem cruentam mulieribus evenire, aliàs si singulâ hebdomadâ, vel singulis diebus fieret, mulieres nimis spurcæ, & viris essent invisæ, ac cunnus in naturâ admodum sterilis foret.

Fit periodica sanguinis excretio tunc, cùm sordibus expurgari debet; purgari namque est res à mistione alienorum, & ad rem non facientium corporum liberari, nec natura indistinctum excernit sanguinem, sed tantùm impurum, aliàs potiùs debilitaret, quàm juvaret. Hæc nullatenus contingere potest, nisi per intrinsecam fermentationem, idest fermentum, quo natura omnia perficit; contingit igitur per quandam sanguinis fermentationem in menstruo secretio, non aliter ac impuræ partes à puris in mustò per fermentationem intrinsecam in dolio quasi facto motu violento per collectionem sequestrantur, & in ejus fundum sequestrantur.

Menstruus sanguis abundat particulis salinis volatilibus, quæ per insensiles evacuationes, ac in hominibus, non resolvuntur ob pororum angustias, & magnam ob pinguedinis copiam sub cute latentem. Insuper mulieres quodam scatente sale acido, & hoc accidit, quia præ hominibus fel non admodum habent calidum; quapropter hoc fel ciborum reliquiis à ventriculo per pylorum demissis se immiscent in duodeno, & tali menstruo in liquorem resolvuntur, ut reliquus æthereus spiritus, qui antea in centro coërcebatur, ad superficiem evocatus in intestinorum fibras se insinuat. Si hic liquor amarissimus non sit admodum calidus, tunc pars æthérea, quæ in corporis fermentescentis superficiem non totaliter se extricat, & quia salis indolem præse ferre debet, ob materiæ ætherogeneitatem in salsum non transmutatur, sed acidus evadit, & spirituosa ciborum pars non probè ab acido liberatur, & fluidior redditur: quapropter virgines, quibus fel viget, vel parùm, vel nihil menstruantur.

Quoties particulæ salinæ non resolvuntur, in sanguinis massâ detinentur, ipsum reddunt impurum, & per mensem commoda acidi salis portio in eodemmet congeritur sanguine: supra hoc acidi corpus salinæ particulæ exaltantur, & magnus in sanguine excitatur præceps fermentum, non aliter ac fervor ex alkali, & acido, ac quod omninò fæculentum, & impurum est, à puro cum sero ad uteri emunctoria deponitur, & guttatim foras deturbatur.

Ex particulis salinis volatilibus, & acido sal fieri aluminosum, probat aluminis ex vini fæce confectio, quod nihil aliud est, quàm quoddam sal volatile vini, & sal acidum, quod ob fæcum copiam, & pondus quasi motu violento in musti fermentatione se præcipitavit. Constat igitur sanguis menstruus sale aluminoso, vel alumini analogo, & veritati consentaneum est acre quoddam aluminosum singulis mensibus exaltatum causam esse cruentæ purgationis. Præterquam quòd non phantasiæ lumine ducti, sed experientiâ duce id probamus: siquidem linteum menstruo intinctum, si in ebullientem demergatur aquam, maculam contrahit imposterùm indelibilem, quæque tertiâ saltem elotione excidat è linteo foraminato, non secùs ac si acido sulphuris spiritu corrosum foret. Id quod sanguini humano, aliàs

aliàs sit exoticum, sivè per nares, vulnera, hæmorrhoides, vel dysenteriam fluxerit.

Salinæ, & acidæ particulæ ex fermento acriores redduntur, & sanguinis massa rarescit, uterus fervore corripitur, & uteri vasa acrimoniâ dilatantur, ac impuritates tum volatiles, tùm acidæ unà cum sero sequestrantur, ad emunctoria præcipitantur, ac denique per vaginam foràs erumpunt. Hinc menstruum primorum dierum magis impurum est, quàm subsecutivis fluat, quia primis diebus impuriores partes à sero eluuntur, quàm subsecutivis; serum enim à naturâ institutum fuit ad sanguinis sordes eluendas. Ostendunt hanc fermentationem, instante menstruali excretione, fervor, & æstus uteri, distensio, & dolores, qui ad lumbos usque protenduntur, quos scilicèt ob quandam tensionem à sanguinis impulsu patiuntur partes, ne multum efficiat ejusdem acrimonia. Quandoque caput dolor obsider, & nostrates mulieres in menstrui argumentum tempora, & frontem sericâ ligulâ vinciunt. Venereus æstus circa pudoris sinum sensim serpit, unde menstruantes, & præsertim puellæ amoris incendia præsentiunt. Peractâ excretione, depuratâque sanguinis massâ, in eodem sanguine recolligi incipiunt salinæ particulæ, & acidum, quod quidem secundum corporis dispositionem, scilicet ob ætatis constitutionem, vel errores circa res non-naturales, mox tardiùs, mox citiùs suam perficit recollectionẽ. Unde est, quod vel citiùs, vel tardiùs noviter menstrualis subsequitur excretio. Quòd si nullum impedimentum sit obvium, intra mensem congeruntur, & menstrua perficiuntur.

Quæres primò, Quâ de causâ evacuatio per uterum instituatur?

Respondetur, vasa uteri laxiora esse cæteris ob specialem texturam, non tamen adeò laxa, ut inde sanguis continuo effluat, sed aliquandò portionem ab arteriis excidere ob hanc laxitatem, quæ omnis à venis recipi non valet, remanens in partibus magis exaltatur, & sic poros ampliat, & habitu communicato ad arterias, ampliat etiam illarum oscula, & sanguinem continuò reddit acriorem; cùm igitur ad quoddam acrimoniæ genus reducitur, quod sic orificia aperire valeat, & sanguinem inficere, ut valeat exire, accidit per uterum purgatio menstrualis.

Quæres secundò, Quare brutorum mulieres viviperæ non menstruant?

Respondetur, estò sint quædam menstruantes, ut simiæ, ferè tamen reliquæ non menstruant. Hujus causam suspicantur vulgares esse in brutorum fœminis redundantis illam sanguinis portionem, quæ vel in pilos, pennas, ungues, aut cornua commutatur. Verùm rustica, & non ingeniosa ratio videtur; siquidem nec fœminæ nostræ, nec simiæ pilis carent, & tamen menstruant. Imò multas mulieres barbatas menstruare observamus.

Vel hujus causam pro fœminis brutalibus ad immodica exercitia, continuosque referunt labores. Sed neque nostræ fœminæ suis destituuntur laboribus, ac exercitiis. Amazones, & Spartanas mulieres viris fortiores, laboribus deditas, ac bellicosissimas menstruâsse legimus: igitur vulgarium ratio, dum infirmo nititur fundamento, ruit. Si igitur brutales fœminæ à laboribus immunes vitam degerent, menstruarent-nè? minime profectò.

Nonnulli vulgò recentiores dicti, qui *Epicuri* sectæ sunt addicti, hoc speciali uteri structuræ tribuunt; nam aliter in fœminis, ac in brutis solertissima natura uterum conformavit, & quia est æquè persimilis uteri textura simiarum uteri texturæ mulierum, hinc est, quod pari menstruant jure. Sed hæc textura non est absimilis occultis Galenistarum qualitatibus. Non menstruant puellæ, & vetulæ, non quia uteri structura non est debitè disposita, sed quia sanguis menstruus non generatur. Hinc brutorum fœminæ non ob diversam uteri structuram non menstruant, sed quia menstrua non generant. Positâ speciali uteri structurâ, seu conformatione, & menstrui generatione in mulieribus adultis, equidem natura provida mulieris sanitati prospiciens, & mala, quæ ex mensium retentione oriri solent, præcavere cupiens, singulis mensibus alias compensare vias quærit, per quas sanguinem eliminet. Ità menses non per uterum, sed per alia loca excretos fuisse observavimus, per nares scilicet, hæmorrhoides, vomitum, alvum, cum urinâ, ex oculis; auribus, dente eliso, per mammarum papillas, umbilicum, &c. Eodem ferè modo brutis fœminis accideret, si menstrua deficerent ob diversam à nostris fœminis uteri structuram. Insuper natura alias parare sibi solet vias, ut nedum sanguinem menstruum, sed etiam reliqua excrementa extra corpus deponat, qua de re hominem observavimus, cui deerat podex, peractâ coctione, ciborum reliquias per vomitum rejicere.

Observatur in brutorum fœminis quid serosum statis temporibus per uterum excerni, cùm scilicèt fervore correptæ ad concipiendum libidinantur. Verùm hoc serosum non arguit diversam uteri conformationem, nec menstruum dici potest, sed illud est serum salinum, quo cunnus inflatur, titillatur, & ad libidinem proritatur. Insuper hoc serum in brutorum fœminis consultè natura generat, ad hoc ut brutorum penis libentiùs illo sero madidus in coitu intra viscera agitaretur, estque naturæ sputum. Brutorum fœmina à conceptione coitum repudiat, & tantùm admittit, cùm concipere vult, at nostræ mulieres quò prægnantes sunt, eò avidiùs, & delectabiliùs comprimuntur. Undè Poppea M. Agrippæ infandæ salacitatis mulier super hoc interrogata petulanter respondit: *Ideò bestias non coire gravidas, quia bestiæ sunt.* Et hac de causâ nostrarum mulierum pudenda semper sunt madida, ut perpetuò futuri possint.

Quæres Tertiò, cur brutorum fœmina à conceptione coitum repudiet?

Respondetur, Causa est, quia brutorum uterus gravidus valdè extuberat, & propinquus est foramini exteriori, ideò mares, qui alioqui genitalia magna, & producta habent, plenum uterum agitant, impellunt, & frangunt, quas molestias, & dolorosas brutorum percussiones fœminæ sustinere nequeūt, ac proindè repugnant. Prætereà bestiæ sensu tantùm feruntur ad id, quod actu est, ideòque præteritæ voluptatis, postquàm conceperint, immemores à coitu abhorrent; Veneris enim sensus solùm ad prolis generationem datus est, minimè verò ad voluptatem, & delectationem, quamobrem tunc temporis noxam sine delectatione sentiunt, quod si materia abundet, in pilos, cornua, ungues, ac reliqua integumenta transit.

Quæres Quartò, cur in animalium genere sola mulier gravida delectabiliùs marem admittat?

Respondetur, mulier locos circa uterum habet crassos, uterus plenus non extuberat, & à rimâ magnâ ad internum uteri orificium decem digitorum dimēsio interjacet, cujus dimensionis non est virga virilis, & imparibus pugnat armis, ideòque ab ipsâ uterus non molestè repercutitur, quod si quandòque, quod rarum est, tantæ longitudinis sit, mulier sterilescit, vel plena abortit: sed nūquàm reperiri potest chorda, quæ ad putei fundum pertingat. Hæc ratio ex anatome, & experientiâ desumptâ adeò certa est, ut aliâ non indigeat. Item Deus immortalis hominibus concessit, ut gravidæ uxores sine noxâ suos sustinerent viros, ne alienas comprimere cogerentur mulieres: sed hæc ratio est moralis. Optimè mulierem materiæ primæ comparavit *Aristoteles*: *Sicut mulier appetit virum, ita materia prima appetit formas*, insitus est appetitus mulieris ad virum, & viri ad mulierem, & in coitu à voluptate, & delectatione primò uterque trahitur: *Trahit sua quemque voluptas*, & non à primo matrimonii fine, qui est prolis generatio, unde voluptate tractus vir coit, & mulier eâdem allecta comprimi sinit, & impletur, & etiam impleta eò insatiabiliter virum appetit, ut potiùs laxetur, quam satietur, & tùm gravida nihil desiderare deberet. Hinc *Zenobia Palmerinorum Regina* inter alias spectabiles sui animi dotes summoperè celebratur, quia *Obedenatum* conjugem gravida nullatenùs admittere volebat; modestam namque mulierem non propter voluptatem, sed prolis causâ matrimonium celebrare dicebat.

Quæres Quintò, Cur mulieres prægnantes majorem persentiant in coitu voluptatem, & delectabiliùs comprimi sinant, quàm vacuæ?

Respondent nonnulli, quia mulieres gravidæ frequenti utentes coitu, semen intra uteri cavitatem defluere, & quia uteri os tunc exactissimè occlusum est, summam efficere voluptatem.

Verùm horum sententia falsa deprehenditur; nam semen in eâ detentum corrumperetur, ac putresceret, & gravia tum mulieri, tum fœtui oborirentur incommoda, qualia tamen eam ob causam nunquam accidisse observatum est.

Respondent alii, quòd sicut in gravidis menstruorum viæ fluxui destinatæ occluduntur, ita etiam viæ seminum influxui destinatæ tam arctè contrahuntur, ut toto gestationis tempore nihil seminis admittant, nisi cùm fortè per ferventissimum libidinis œstrum referantur, sicque admisso semine superfœtatio succedat, quæ certè rarissima est. Sic. n. uteri os, facto conceptu, exactissimè clauditur, seminisque virilis ingressum penitùs arcet: ita etiam dicti seminales ductus uteri protuberantiis alligati, tunc temporis occlusi, seminis muliebris illapsum in uterum prohibent. Ex his mulierem gravidam, propter hoc impeditum seminis ad uteri cavitatem influxum, in coitu aut nullam, aut longè minorem persentire voluptatem, quàm non gravidam inferunt.

Verùm potiùs esset tollere, quàm solvere, quod quærimus, & experientia oppositum docet, unde mulier prægnans apud scortatores in adagium transiit, quod nos ob verecundiam tacemus. Præterea ad nostram explorandam sententiam multas honestissimas, & modestissimas

stissimas mulieres, quibus familiarissimè utebamur, percontati fuimus, & liberè nobis confessæ sunt gravidationis tempore majorem persentire voluptatem quàm alio tempore, atque viri accubitu ægriùs carere posse, quàm aliis temporibus.

Respondent quidam semen gestationis tempore à testibus, & tubis per latera fundi utrinque versus inferiora descendere, ac peritonæo cum tendinibus musculorum obliquorum perforato supra pubis ossa clitoridi jungi, & semen, quia à dissitis titillando excurrit partibus, per clitoridem excernitur; ideòque prægnantes majori cum voluptate coire.

Sed hos ductus, sive convenientes semini transitus nunquam anatomicorum solertia detexit, ac proinde non absimiles sunt occultis Galenistarum qualitatibus. Falsum est per clitoridem semen excerni, cùm nullum foramen habeat extrinsecè pervium. Si occultum, ut hi fatentur, & invisibile, quis eis revelavit? est quidem anilis fabella in anatomicis institutionibus.

Respondemus ad quæsitum, & præmittimus, quòd non tantùm gravidæ mulieres, sed etiam eæ, quibus uterus exectus est, summâ cum voluptate coëunt, etsi illis nullum in uterum semen illabatur, ac proindè necesse est mulieri, ut aliquâ insit pars, quæ eam ad libidinem fortiter stimulet, & sicut in viris stimulus iste in glande penis fricatione suscitatur, & ad summum intenditur voluptas ex seminis transitu: ità in mulieribus quoque stimulus iste in tentigine, seu clitoris glande per fricationem manu factam, vel per coxæ supra coxam motationem suscitatur, & liquoris cujusdam ex uteri vaginâ prodeuntis titillatione maxima persentitur voluptas. Liquor iste, quem falsò pro semine accipiunt vulgares, circa colli orificium, glandulas vaginales, & meatum urinarium recolligitur. Prætereà gestationis tempore interius uteri orificium arctissimè occluditur, & primis mensibus durum, postremis verò molle, & pulposum existit, & nihil ex utero effluit, nec quidquam extrinsecùs in eum intromitti potest. Vagina sursum retrahitur, arctior, & inæqualis evadit, ejus rugæ orbiculares fiunt crebriores, & densiores, ac quia per uteri vaginam plurimæ arteriæ, & venæ distribuuntur sanguine turgidæ, vaginam calidiorem, & tumidiorem reddunt, labia quoque cunni tumidiora evadunt.

Ex his ritè perpensis eruimus in prægnantium coitu penem virilem vaginæ rugas omnes æqualiter contrectare ultrò citròque, & quia crebris ictibus clitoris cum turgidis labiis arietatur, cœteræque interiores confricantur partes, multo, gratoque perfunduntur calore, earum pori valdè rarefiunt, & liquor quidam, seu semen fatuum, eodem calore attenuatum à vaginâ, ejus glandulis, & à partibus circa clitoridem, & meatum urinarium existentibus foras exilit, & ex hac unâ parte magnum in coitu percipiunt oblectamentum, ex alterâ majorem adauget voluptatem partium confricatio, seminis virilis immissio, & emissio, ac quia pruriens semen, & spiritibus plenum titillat, suavissimè demulcet. Undè si in vacuis voluptas in congressu venereo ad tres uncias, in prægnantibus ad novem reperitur.

Sed ad nostrum quæsitum, quare brutorum fœminæ non menstruant, noster redeat sermo, & non menstruare dicimus, qui liquorem felleum habent cali-

 dissimum,

dissimum, & ipsæ, sicut & mares, calidissimæ sunt toto corpore actualiter, tolerant enim glaciales hyemis rigores sub aperto Jove, nec læduntur. Prætereà brutorum mares, ac fœminas natura piloso, vel laneo induit amictu, ac proindè pellem pluribus perviam meatibus, per quos emergunt excrementa, nactæ sunt, ut videre est in hominibus hispidis, qui diaphoresi copiosiori potiuntur. Id in humano patet capite, quod quia capillis est refertum, perspirationi maximè opportunum existit, sudoris, furfurum, sordium, & animalium immundorum excitat proventum, ac in vulgarium sententiâ pilorum, & capillorum usus ad ebibendas, absorbendasque totius corporis fuligines institutus creditur. Hinc responsionem pro nostrâ sententiâ eruimus brutorum fœminas non menstruare, quia fel præcalidum habent, ideòque copiosiorem adeptæ fuêre expirationem, per quam earum sanguis ab omni purgatur extraneo. Sic mulieres hirsutæ, vel barbatæ parùm, vel nihil menstruant.

ARTICULUS VI.

An Sanguis menstruus sit noxius, & quare?

NOn defuêre Medici, & Philosophi, qui miris encomiis sanguinem evexêre menstruum, hujus farinæ viri fuêre *Hip. Gal. Arist. Aëtius, Fernelius, Mercurialis, Rodericus à Castro, Sennertus*, cæterique vulgares, quos innumera posterorum sequitur grex. Crediderunt ii menstruum unum generationis humanæ primordium esse, fœtum in utero illo nutriri, ex illo sanguineas elaborari partes, extra uterum illo in mammis in lac converso cibari. Dissentaneum profectò, & à ratione alienum esset generationis principium ex pessimâ materiâ, & qualitate constare. *Hippocrates lib. de naturâ pueri* inquit: *Fœtum trahere, quod dulcissimum est in sanguine, pallidæque solent esse utero gerentes, quoniam purus ipsarum sanguis ad fœtûs nutritionem, & incrementum absumitur. Fernelius* existimat fœtum non ali sanguine menstruo in utero, sed purissimum, & suavissimum rapere, partemque illius sanguinis vitiosi circa uterum in venis hærere, partem maximam reliquo priori sanguini permisceri, & quia nequit naturæ vis omne illius virus mitigare, ac evincere, gravidis mulieribus plurima mala obveniunt. Contra *Gal.1.de sympt. causis. cap.* 7. inquit: *Fœtum non solùm nutriri optimo, & laudabili sanguine, sed impuro, & vitioso*, & adversus *Erasistratum, fœtûs nutriri in utero eo sanguine, qui ad uterum fluere solebat, quem 2. de semine salutarem vocat evacuationem in fœminis, quæ concipiunt, in gravidis verò materiam, ex quâ fœtus generatur.* Sed horum authorum ineptias refutabimus infrà.

Nos cum aliis authoribus sanguinem infamamus menstruum perniciosi, pravi, mortiferi, nihilque magis tritum, quàm illius truculentiam decantare, non quia copiosus, sed quia veneficus. Canes siquidem in rabiem incurrunt ab ipso deglutito mēstruo: nonne edunt sanguinem canes? sed nunquam inficiuntur, non fieret à sanguine, quia copioso, sed quia infenso. Menstruosa mulier suo intuitu speculum maculat, & fœdat: isto n. tempore venenosa est, & Basilisci oculos habet ex causa menstrui, & venenosi sanguinis. Hîc detestandus est enormis ille abusus, & ritus maledictus diabolicarum meretricum, quæ à diabolo

diabolo persuasæ, menstruum suum amasiis præbent, philtrum ad amorem conciliandum credentes, quod tamen diabolicum, & flagitiosum mendacium est; illud n. totum venenum est, vel fit haurienti, adeo ut nunquam convalescat, donec supremum exhalet spiritum. Et licet quidem talis validissimam habeat constitutionem, & spe, vel opinione diutius vivat: malum tamen id evincere nequit, sed cutis, & vitæ jacturam luere cogitur. Vel cæco insaniant furore, id à *Lucretio* celeberrimo Poëta expertum fuit, cui uxor credula, dum conjugem furore poëtico abstractum extraneo amore detentum temerè suspicatur, ei suum menstruum propinat, quo ductus in rabiem sibi tandem mortem conscivit. Hoc verum est philtrum non amorem, sed furorem inducere, hominesque ad insaniam redigere: cujus rei passim extant historiæ, quæ testantur meretrices amasios, & uxores maritos, quos in sui amorem philtris protrahere conatæ sunt, ad insaniam redegisse, & quandoque ad melancholiam asininam.

Sacro Legis Divinæ edicto ad mulierem accedere menstruantem prohibitum est Levit. 18. *Ad mulierem, quæ patitur menstrua non accedes, nec revelabis fœditatem ejus &c.* Coitum, concubitumvè cum fœminâ menstruante sub mortis pœnâ Deus prohibuit Levit. 20. *Qui coierit cum muliere in fluxu menstruo, & revelabit turpitudinem ejus, ipsaque aperuit fontem sanguinis sui, interficientur ambo de medio populi sui. Omne sanctum non tangat, nec ingrediatur Sanctuarium, donec impleantur dies purgationis suæ.* Quocirca *Divus Thomas in 4. dist. 32. art. 2. quæstiuncula 2.* inquit: *Prohibitum esse viro ad mulierem menstruantem accedere, & similiter prohibitum mulieri in tali fluxu debitum petere.* Scotus quoque *esse peccatum mortale ex parte utriusque.* Et Ezech. 18. conjungit peccatum adulterii cum peccato menstruatæ dicens: *& uxorem proximi sui non violaverit, & ad mulierem menstruatam non accesserit.*

Sunt maleficæ mulieres tempore menstrui fluentis, vini, cerevisiæ, hydromelis, aceti, & lactis summæ hostes; nam has res nisi tractent, circa eas versentur, easque inspiciant, & anhelitu tangant, corrumpunt; vinum n. mutatur, & fit pendulum, cerevisia, & hydromel acetosum, acetum infirmatur, & acredinem suam amittit, lac etiam acescit, & coagulatur; ferrum rubiginem contrahit, terra ut ab aceto fortissimo abraditur, arbores, flores, olera, frutices radicitùs exsiccantur, sterilescunt tactæ fruges, moriuntur, insita exuruntur hortorum germina, & arborum fructus, quibus insidere dicuntur. Hæc, & quamplurima alia patrat mala mulier, non solum dum menstruum per uterum excernit, verum etiam si per alias partes ordinato cursu deflectatur, ut per os, nares, mictum, hæmorrhoides, ubera, inguina, &c. ejusdem erit conditionis, & energiæ.

Dum menstruum in muliere supprimitur, nec statis emanat temporibus, gravissima infert symptomata, ut viscerum obstructiones, cachexiam, hydropem, apoplexiam, melancholicam insaniam, maniam, epilepsiam, sterilitatem, cancrum, cephalalgiam, podagram, fœdum colorem, febrim, impetiginem, cordis palpitationem, deliquium, hujusque perniciei quamplurima.

Videte quæso, quot mala patrat san-

guis menſtruus, & in conſcientiâ dicite: An unum humanæ generationis principium eſſe poſſit? An ex illo ſanguineæ dictæ partes conflentur? An fœtus illo nutriatur in utero? & tandem an in lac pro infantis nutritione vertatur?

Eſtò nos perniciei ſanguinem menſtruum incuſemus, non deſunt tamen aſſeverare multorum morborum remedium eſſe; unde inquiunt podagram, ſtrumas, parotides, ſacros ignes, furunculos menſtruatæ mulieris tactu leniri, geſtatione portiunculæ veſtis mulieris ita infectæ, tertianas, quartanaſque febres curari, ac illinctu comitiales morbos omninò ſanari. Verùm hæc omnia tam laudes, quàm opprobria mereri poſſunt, quia incerta, vana, & inexperta. Unum tantum nos expertum habemus, verrucas ſolo ſanguinis menſtrui illinctu curari.

Quoad ſecundam articuli partem, ſcilicèt quare ſanguis menſtruus ſit noxius, non convenit Medicorum vulgus, unde

Reſpondent nonnulli illos pravos effectus ex agitatione pendere, quæ fit in corpore, cùm ſanguis expurgatur menſtruus. Verùm hæc ſententia nimis ruſtica eſt; nam multos pravos obſervamus effectus à ſanguine fieri exiſtente extra corpus, & jam illâ agitatione remotâ.

Reſpondent alii cauſam eſſe hujus ſanguinis fœculentiam: ſed hæc opinio falſa deprehenditur; nam multa alia videmus fæculentiora, & illos pravos non producere effectus, ut ſunt alvinæ fæces, quæ canes potiùs nutriunt, quàm illos in rabiem adigunt.

Reſpondent multi eſſe ejuſdem ſanguinis mordicationem: ſed iſti pariter à veritate aberrant; nam quæ per mordicationem agunt, noſtras corrodunt partes, ſed multi effectus à menſtruo proveniunt abſque corroſione, quod ſignum eſt ipſum per mordicationem non agere. Prætereà ex ſanguine menſtruo nos virus tabificum elicere non latet, quod longâ enecat morâ, abſque eo quod corroſivum ſit.

Sanguis menſtruus ad deſtinata emunctoria, proſcriptus ſpiritum vitalem exuit, non ſecus ac vina quædam, exacto anno, vappa fiunt; & cadaveroſus evadit, horridas cadaveris proprietates, & vires in pejus eundo adipiſcitur; deinde fit virus, & niſi celeriùs foras extrudatur, detentus fit virulentior, & vitæ hoſtilis, quia à priſtinis ſanguinis naturâ, & proprietatibus degeneravit: ac proinde vim fermentalem potenti contagio imbutam, & lethales nanciſcitur acerbitates, ac juxta varios veneni gradus varia mulieri concitat pathemata, ut apoplexiam, epilepſiam, maniam, inſaniam, melancholicam, viſcerum obſtructionem, cachexiam, cordis palpitationem, deliquium, ſyncopen, & id genus alia. Dantur venena, quæ interimunt, & hos ſuprà citatos æmulantur morbos, & hæc ſunt vera venena, quæ caveri nequeunt, quia clanculùm ſe inſinuant, vitam ſuffurantur, & nullam veneni ſuſpicionem exhibent, cùm mors morbo, & non veneno aſcribatur. Hæc venenorum diverſitas juxta varios exaltationis gradus in ſanguine menſtruo reperitur, & prout has, vel illas impetit partes, varia ſuſcitat ſymptomata.

DE MORBIS MULIERUM LIBER VNICVS.

MISERABILIS præ hominibus eſt Mulier, tàm in cœlibi, conjugato, gravido, quàm viduo ſtatu, quia unius uteri ratione ſexcentis facta eſt calamitatibus obnoxia; in omni enim ætate, ſtatu, & conditione mulieris uterus angit, in varios caſus, & vitæ conjicit diſcrimina. Harum ærumnarum in causâ fuit prima Parens, nam poſt vetiti pomi eſum libidinis prurigine ſe obnoxiam reddidit, virum in congreſſum excitavit, admiſit, & in poſteras mulieres vitiatâ radice per traducem originalem innumeras propagavit qualitates. Per membrum, quo peccavit Eva, plexa fuit, & multis miſeriis ſe, ejuſque propaginem ſubmiſit, & ſui peccati lapſum non tantùm cruenta menſatim deturpatio in mulieribus teſtatur, ſed etiam ærumnarum multiplicatio, ut habetur *Geneſi cap.* 3. *v.* 16. *Mulieri quoque dixit: multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries filios.* Has mulierum ærumnas per capita digeremus, & unicuique medicas apponamus manus.

CAPUT PRIMUM.

De Menſium Suppreſſione.

MEnſtruis non fluentibus, ab utero morbi contingunt, verùm non omnes mulieres menſtruas patiuntur purgationes; nam puellæ ante annum 14. menſtruis carent, erumpunt verò cùm in veneris monte lanugo efflorescere, ubera intumeſcere, & papillæ prurire incipiunt, legitima maturitas ad matrimonium deſignatur, & aptiſſimum eſt tempus ad concipiendum. Menſtruis privantur vetulæ quinquageſimum ætatis annum transgreſſæ. Gravidæ, & lactentes menſtrua non habent. Viragines, & mulieres, quæ laboribus ferè virilibus exercentur menſibus deſtituuntur. Item, quæ diu alicui ſuccumbunt morbo, vel magna profluvia, & evacuationes paſſæ ſunt, vel diutinâ maceratæ ſunt fame. Imò ſunt nonnullæ mulieres, quibus nunquam menſes fluunt abſque ſalutis incommodo, & has inſuper concipere obſervamus. Non agimus hìc de menſium ſuppreſſione puellarum, vetularum, lactantium, viraginum, agreſtium, chronico morbo, profluvio, vel inædiâ maceratarum; nam hæ ſanguinem non generant

nerant menstruum, ac proindè nullam in corpore molestiam percipiunt, & in his nullatenus medicamentis provocari debet, quia incassum laborabis, & in gravidis abortum provocabis: sed de hisce agimus mulieribus, quæ purgationis legi obnoxiæ sunt, vel quibus fluere consueverunt, & menstruâ, vel penitùs destituuntur purgatione, vel non sufficienter purgantur, & hinc variæ molestiæ affectiones, & prava emergunt symptomata.

Dicitur menstruorum suppressio, ubi planè abolerur fluxus iste; ubi verò fluit, sed non sufficienter, & ægrè simul malè se habent, vocatur menstrui imminutio, & paucitas. Hic fluxus, dum in juvenculis primùm incipit singulorum mensium seriem ad unguem non observat; nonnullæ enim tertio quoque mense solùm menstruant, & in suo fluore ad ætatis vigorem augetur, cùm verò aliquandiù æqualitatem servat, ita ut neque crescat, vel decrescat, postmodum iterùm ad finem vergendo desinat. Quibus etiam nimis præmaturè incipit, in his plerumque quoque eò citiùs cessare, & brevioris vitæ signum esse solet, & tardiori verò eruptione contrario modo.

SIGNA.

Signa mensium suppressionem indicantia varia sunt, & facilè Medicum decipere possunt, verùm optima, & infallibilia signa à verâ ægrotantis confessione desumenda sunt: sed quia vel à causis p. n. vel naturalibus procedit suppressio, aut à graviditate, utriusque suppressionis signa distinguamus oportet; solent enim mulieres quandoque incautos decipere Medicos, accidit multoties ex illegitimo concubitu, ut impleantur, & ut abortum procurent, graviditatem contractam mensium suppressione adumbrant, & medicamenta menses provocantia sibi præscribi instanter expetunt, nè itaque Medicus gravidæ mulieri hæc medicamenta præscribat, sciendum est.

Primò, quod gravidæ utplurimum naturali potiuntur colore, qui in mensium suppressione valdè immutatur: faciei color fœdus efficitur, nempè luridus, pallidus, innaturaliter albus, lividus, vel virescens.

Secundò, Gravidarum symptomata in dies sensim mitescunt, in simplici verò mensium suppressione, quò diutiùs menses subsistunt, eò symptomata magis cumulantur, & intenduntur.

Tertiò, In gravidis tertio exacto mense infantis motus, & situs sensibiliter percipitur manu ventri inferiori admotâ; in aliis verò tangitur quidem aliquis tumor, sed œdematosus, maximè durus; qui circumscriptionem non habet semper cum utero limitatam.

Quartò, Si interius uteri osculum à peritâ obstetrice tangatur, non ità exactè clausum, ut in gravidis percipitur, sed potiùs durum, contractum, & quodam affecto dolore.

Quintò, Gravidæ utplurimùm sunt hilares, & in animi pathematibus parum moventur: in mensium verò suppressione plerumque mœstæ fiunt, & tristitiâ afficiuntur.

Cæterum optimum graviditatis indicium ex mammarum inspectione, & contractione nos desumimus, quotiescumq; in graviditatis suspicionem devenimus, ne nos decipiant fœmellæ, & sub prætextu, quia in menstruorum suppres-

suppressione sanguis ad mammas habet raptum, illis mammarum contrectationem suademus; nam graviditatis tempore glandulosa mammarum substantia turget, quam vulgus *Spongiam* appellat, areola fit fusca, & aliquibus tuberositatibus hinc inde conspergitur, quæ proximè, & actu menstruantibus etiam observamus.

In suppressionis itaque mensium signis faciei color vitiatur, appetitus prosternitur, & in ciborum vertitur fastidium, nausea comitatur, fiunt copiosæ sputationes, totum corpus redditur grave, sinciput, scapulæ, lumbi, & crura dolore vexantur, pectus difficili premitur anhelitu, præsertim si scalas ascendunt, imus venter torminibus protunditur, pedes intumescunt, urina nigricante tingitur colore. Si sanguinis visciditas obstructioni ansam dedit, tunc albo cruditatis colore lotium inficitur, & cruditatis concurrente signo, plerumque adest pèdum tumor, corporis, & in primis, faciei laxitas, & pallor, ac oculorum intumescentia. Fiunt tristes, laborum pertesæ, pulsus parvus, rarus, & debilis, somnolentiâ vexantur, & plerumque lipothymiâ corripiuntur. In quibusdam tempore, quo menstruationes succedere solebant, exiguum admodum signum exeuntis albi, vel rubei apparet, & statim evanescit, ideo incipiente, & non subsequente fluxu, gravatæ ita exasperantur partes, ut ægrotantes de capitis, pectoris, lumborum, ventris, artuum dolore, gravitate, & tensione conquerantur, & si pedes, & inguen vellicantur, hypochondria subinde vagis vaporibus, & dolorifica perreptatione vexantur; Venter inflatur, in abdomine rugitus exaudiuntur, sensus tensionis circa genitalia, & pubis regionem adest, pulsationes in variis corporis partibus, crebræ caloris, & frigoris vicissitudines. Si caput conturbetur, frequens aurium sonitus, tenebricosa oculorum obfuscatio, & vertigo succedit. Si pulmo comprimatur, difficili respiratione affliguntur. Si cor, lipothymiâ, & syncope. Item rubor, fervor, vel vultus pallor, & uberum inflatio contingit. Horror inæqualis cum febrili interdum paroxysmo totum adoritur corpus cum dolore, & gravitate regionis uteri, & coxarum, fit quandoque febris tam ardens, ut obscurè urina rubeat, & fœcem præse ferat, ac si lotura recentis carnis fuligine contemperata esset, quæ in nonnullis, cum stranguriâ, & dysuriâ excernitur, vel omnino cohibetur.

Locus affectus sunt uteri vasa, & uteri collum obstructum, & in primis rami inferiores arteriæ hypogastricæ, venis ipsius non exclusis; nam per anatomen constat vasa hypogastrica non ad uterum, sed ad ejus cervicem utrinque deferri, probatur id, quod tempore conceptûs menstrua sæpe fluere pergant.

CAUSÆ.

Vulgares Galenici in mensium suppressione uteri intemperiem frigidam, & siccam accusant, ac proinde quæcumque uterum infrigidare, vel exsiccare possunt, mensium suppressorum causæ: sed hæ remotæ, & non proximæ sunt.

Causæ, propter quas menstrua supprimuntur, sunt vel ex uteri, vel sanguinis vitio. Ex uteri planè vitio, quando ejus vasa in vaginam terminantia aut obstruuntur, aut angusta sunt. Obstruuntur à materiâ quadam viscidâ, glutinosâ, &

& mucilaginosâ, & fluxus stato tempore inhibetur. Vel facta sunt à naturâ nimis angusta, adeò ut licèt sanguis profluere tentet, propter eorum exilitatem, & angustiam premere, & egredi non potest, unde sæpe per alia inconvenientia loca exitum quærit, ut per hæmorrhoides, nares, oculos, dentium alveum, aures, pulmones, sudorem &c. Item angustiantur vasa ex parsimoniâ, cùm mulieres seipsas debito defraudant alimento, & nunquam ferè ad satietatem comedunt; non enim tantùm supra, sed infra modum ingesta cibaria viscera pervertunt, & continuâ nimiâ paucitate spatia fiunt angustiora, donec tandem minuta vascula conniveant, & transitum denegent.

Ex sanguinis vitio supprimuntur menses, ex ejusdem nempe nimiâ crassitie, & glutinosâ visciditate, quæ massæ sanguineæ volatilem crasim invertit, fermentationem, aut turgescentiam uberiorem, & fluxilitatem impedit, & ad motum reddit ineptum.

Suppressionis mensium causæ remotæ à sex rebus non-naturalibus sumendæ sunt, ita est, aëris frigidi susceptio in uterum, mensibus fluentibus, unde in uteri vasis subita sanguinis coagulatio succedit, & hinc sanguinis fluxus suppressio subsequitur. Sic manuum, aut pedum refrigeratio, vel aquæ frigidæ immersio, & quævis interna, vel externa refrigeratio hanc inducit passionem, unde lotrices, talesque, quibus manibus, & pedibus multùm in aquâ frigidâ immorandum venit, sæpius hoc corripiuntur morbo, hunc etiam infert super lapidem mensibus erratis sessio, multùm ad mensium suppressionem conducunt, præcipuè his imminentibus, vel fluentibus. Hæc enim refrigeratio subitaneam sanguinis coagulationem inducit. Mulieres, quæ multifariæ, & quantitativæ voracitati quotidiè incumbunt, ventriculum debilitant, non bene concoquunt, unde cruditates, mucagines limositates, visciditates, & coagulationes gignunt, quibus sanguis conspurcatur, & viscerum meatus obstruuntur, & sanguineæ massæ statis mensium periodis purgatio non succedit. Hinc magna ventriculi habenda est ratio; nam hoc vitiato, cacochymia subsequitur, ex qua cachexia suboritur, & ordinariò mensium suppressio, & morbus, quem χλώρωσιμ vocant, & ex hac ratione suppressis, menstruorum causa in stomacho radicatur. Subitanea ventriculi refrigeratio etiam tempore insignioris æstus, ut plena aquæ frigidæ ingurgitatio, vel potio SORBETI frigiditate suâ sanguinis turgescentiam supprimit, & menses actu fluentes sistit. Desidia, otium, & exercitiorum intermissio excrementorum colluviem aggerit, sanguinem incrassat, calorem extinguit, & corpus obesat, ubi sanguis non tantùm minuitur, verùm etiam in pinguedinem transit, & cessant, non modò menses, sed etiam omnis conceptio. Immodicæ evacuationes, ut larga sanguinis effusio per venæ sectionem, vel hirudines, hæmorrhagiam, hæmorrhoides, dysenteriam, & venæ ruptionem mensium suppressionem inducunt. Medicamenta, ut & alimenta nimis refrigerantia, incrassantia, acida, austera, & adstringentia menstruorum suppressorum sunt in causâ. Tandem animi passiones potentissimæ sunt causæ quò ad mensium suppressionem; nam sicut gaudium, & moderata ira per auctam sanguinis fermentationem menstruum fluxum promovent: ita contrà tristitia, zelotypia,

moeror,

mœror, terror, pavor, & timores insigniores menses cohibent; sicut notum est narium hæmorrhagiam, subito incusso timore actutùm compesci.

PROGNOSIS.

Mensium suppressio est lerna malorum, ut *Hip.* 5. *aph.* 57. inquit: *Si menstrua non fiant, ex utero morbi contingunt.* Unde omnes mulierum affectus, utplurimùm ex hac radice pullulant, ac proinde quilibet Medicus statim ac vocatus ad mulierem fuerit, de mensium statu, eorumque fluxu quærere debet. Gravissimarum itaque ægritudinum sæpè causa est longa mensium retentio, & utplurimum malum chronicum, nisi tempestivè curetur.

Mensium suppressio est velut urna Pandoræ, unde omnes mulierum morbi utplurimùm ex utero, quasi ex equo Trojano exiliunt, & quamvis ex se primò valde perniciosum videatur, tamen temporis progressu variorum, gravissimorumque morborum causa esse potest; aliquando enim hinc cachexiæ, leucophlegmatiæ, hydropes, podagræ, articulorum, dorsi, lumborumque gravissimi dolores: sed aliæ aliis succumbunt malis, ut sunt apoplexia, epilepsia, insania, melancholia, mania, cephalalgia, & ophthalmia. Quandoque sanguis corruptus sævit in pulmones, & asthma, tussim, & sanguinis sputum concitat, eorum vasa aperiendo, exedendo, vel ulcerando, & hinc phthisim producit. Similiter eveniunt deliquia, cordis palpitationes, & syncopes, cibi fastidium, sitis maxima, vomitus, coctionis subversio, icterus citrinus, seu color universæ cutis fœdus, dolebunt partes ventris, pectinis, febris accedet, alvinæ fœces supprimuntur. Continget sterilitas, uteri suffocatio, inflammatio, exulceratio, corruptio, cancer, dolores, & cruciatus vehementes, furunculi, impetigo, & tot morbi, quot ex Pandoræ urnâ emerserunt, contingent.

Mensium suppressiones ultra sex menses insanabiles censentur, quod universaliter verum non est, quia hoc tempore venæ coalescunt, & ferè curationem non suscipiunt. Difficiliùs curantur suppressiones, quæ à succorum gravitate, vasorum obstructione, vel angustiâ pendent, quia rebellis iste humor in penitiores illos meatus insinuatus non nisi multis remediis, & diuturna opera, cujus mulierculæ sunt valde impatientes, educi potest. Suppressio mensium, quæ ex proprio uteri affectu nascitur, omnium pessima est, quia pars illa per idiopathiam læsa difficilè curari potest, ob perpetuum excrementorum affluxum, quorum receptioni ea maximè est disposita, ita ut totius corporis sentina, & cloaca à nonnullis nominetur. Retentis menstruis mulieres sæpè deformantur, fiunt hirsutæ, barbam, ac virilem contrahunt habitum.

Minùs periculosa est illa suppressio, quæ oritur ex præpostero sanguinis fluxu, quando nempe per alias effluit vias, ut per vomitum, hæmorrhoides, hæmorrhagias, &c. ut habetur *aph.* 33. *sect.* 5. *Deficientibus menstruis, sanguis è naribus profluens, bonum.* Nam per aliam partem exoneratur natura, & supplet, & estò retentionem augere videatur, tamen ex accidenti juvat, bonum est in genere signi, & malum in genere causæ, mala, sed ad optatam pervenitur metam, quatenus, & deobstruit, & à multis alioqui impendentibus liberat.

CURATIO.

Quemadmodum menses naturaliter fluentes à multis malis mulieres præservant, ita ipsorum suppressus fluxus est multorum causa malorum, ac proinde huic morbo citò occurramus oportet, ne natura assueta ab hac excretione desuescat, ac primò eorum curationem à causis remotis, scilicet à sex rebus non-naturalibus auspicabimur; hæ namque perperam adhibitæ hunc morbum producendi occasiones esse possunt, & dextrè usurpatæ eum profligare valent.

Aër itaque sit calidus, ut effervescentiam, & fluorem in sanguine excitet, & conservet; vitetur frigidus, ne in eo talem inhibeat fermentationem, ac proinde nec manus, aut pedes refrigerentur, & præcipuè manuum, & pedum in aquam frigidam immersio omnino, instantibus, vel fluentibus mensibus declinetur, ne sanguinis turgescentia, & fluxibilitas reprimatur.

Cibus sit calefaciens, attenuans, & aperiens, unde conducunt carnes gallinarum, caponum, pipionum, & aviculárum montanarum elixæ, & ex harum jure offa aromatibus condita, & petroselino; hæc namque deobstruunt, & menses provocant. Inter olera fœniculus, & asparagi, sed porri, & allia assuetis conveniunt. Præterea maximopere cicerum rubrorum cum croco, & multo petroselino jus. Inter fructus caricæ, amygdalæ, passulæ, pineæ, pistachia, & dactyli. Vitentur olera vulgò frigida dicta, & cibaria, quæ crudos, & crassos generant succos; item lac, & omnia ex lacte confecta, omnia acida, austera, & adstringentia. Panis recenter è furno calens extractus multùm nocet, quia viscido suo lentore fermentationem maximè compescit. Panis sit optimè fermentatus, & semine anisi, fœniculi, vel cumini conditus.

Potus sit vinum album, tenue, & ætate medium, vel aqua, in quâ decoctum sit cinnamomum, cortices citri, coriandorum, vel lignum sassafras. Potus aquæ, vel vini frigidus, vel potio *Sorbeti* cane rabido pejus vitetur.

Motus, & labor conducit, quia fermentationem in sanguine excitat, corporis meatus reserat, ejusque superfluitates attenuat, & resolvit, verùm ante cibum maximè confert.

Quies omninò vitanda, nam calorem debilitat, magnam excrementorum viscidorum supellectilem congerit, sanguinem incrassat, fermententationem inhibendo, obstructiones multiplicat, & menstrua delet.

Somnus moderatus confert, quia corpus calefacit, humores concoquit, attenuat, & eliminat; immoderatus verò crudorum humorum aggeriem generat, & ad omnem excretionem corpus reddit ignavum, nam somnus omnem tollit evacuationem.

Vigilia coctionem enervat, & spiritus fermentationem in sanguine excitantes resolvit, unde depurativa fermentatio inhibetur, & suppressio succedit; itaque ne quid nimis, & somnus, & vigilia modum servent.

Excernenda excernantur, & *retinenda* retineantur, itaque alvus lubrica servetur, & suppressi menses debitis medicamentis tempore, quo fluere solebant, proritentur, alio verò tempore incassùm laborabis; si per alia loca sanguis

mensatim

mensatim fluat, vasa uterina deobstruantur, & per ipsa excernatur; si verò per hæmorrhoides decurrat, nil peragendum, cùm sit quid pro quo, & est magna mulierum felicitas uterum habere ab omni cruentatione immunem.

Malignæ *animi passiones*, ut mœror, pavor, terror, & subitaneus timor prorsus vitentur; nam validissimæ causæ sunt ad supprimendos menses actu fluentes, vel fluxuros, ne imposterum succedant, quia vasa refrigerantur, obstruuntur, sanguis coit, & turgescentia inhibetur. Confert lætitia, & moderata ira, quia sanguis turgescit, & menses fluere facit.

Veneris usum in mensium suppressione maximopere commendamus, & est præsidium non contemnendum, quia coitus morbis succurrit pituitosis, motu suo corpus excalfacit, meatus dilatat, & aperit, & dum uteri cervix ultro utroque pene confricatur, sanguis effervescentia excitatur, magna liquaminis copia excernitur, in veneris palæstrâ multa excrementa eliminantur præcipuè si tripudium agatur, ut Hispanarum mos est, & mulieres ex coitu alacriores, & jucundiores apparent, & omnem deponunt mœrorem: sed hoc auxilii genere pauperes viduæ, & innuptæ orbantur, ac proinde harum mensium suppressiones semper in deterius cum variis symptomatibus ad mortem usque intenduntur, si prudentiâ abutantur.

In Pharmaceuticâ suppressorum mensium curatione Medici curare debent, ne menstrua provocare tentent iis, quibus non debent, aut quibus fieri nequit, ut evocentur, neque iis, quæ lactant, aut utero gestant, nec laboriosis, & admodùm tenuiter viventibus, aut morbo extenuatis, nec viraginibus, & iis, quæ nullum in se sentiunt incommodum, etsi diu retenta habuerint menstrua, nec iis, quibus malum ex cicatrice ortum traxit, quia curationem non recipit; curatio itaque eas comprehendit, quæ ex mensium retentione malè se habent.

Curationem proinde pharmaceuticam indicationibus, perficimus, & primò vitiata ventriculi digestio emendetur, sanguinis cruditas, & viscidit as aromaticis salibus volatilibus corrigatur, humorum viscidit as vasa obstruens tollatur, & his appropriata, quæ sanguinis fermentationem concitant, adjungantur, & attenuantibus debitus sanguinis fluxus mensatim provocetur. His ita stantibus, ubi diutius menses retenti fuerint, antequam menstrua moveantur, universalia præmittamus oportet; nam frustra menses cientibus utemur, nisi ventriculus refertus à cruditatibus acidis liberetur, ac massa sanguinea corrigatur; unde primò, quæ viscidos humores in primis viis stagnantes exturbant, & vasorum obstructiones tollunt, medicamenta conducunt. Eapropter si viscida humorum saburra in stomacho delitescere videatur, vomitoria ad hanc humorum congeriem evacuandam nimis appropriata sunt, præsertim si ægra facilè vomat, & tempus sit vernum, vel æstivum, blandum vomitorium erit *nostrum Hippocras Emeticum*, vel *asari decoctum*, vel alia ex *antimonio* desumpta.

Si verò totum corpus pravis scateat humoribus, ab ejusmodi impuritatibus liberandum, & præcipua ea per inferiora purgantia lenia, quæ alvum laxare, & venarum orificia aperire valent, præscribimus, hæc sunt *Aloë*,

& aloëtica, sive colocynthidis, & omnia ex colocynthide parata, quibus uterum respicientia, & menses cientia admisceatur, ut

℞. *Massæ pilul. de hierâ cum agarico, mercurii dulcis ana gr.* xv.
m. cum s. q essentiæ castorei, & f. pilul. deaurandæ.

Vel ℞. *Spec. diaturbit, rhabarb. an.* ℈j.
sal. volat. succini, castorei ana gr. iij.
m. f. pilulæ.

Vel ℞. *Extracti hellebori nigri* ℈j.
merc. dulc. gr. XII.
m. l. pilulæ.

Vel ℞. *Oximell. helleborati* ʒj.
Syr. artemisiæ ℥j.
dissolve in. s. q. juris ci cer. rubr. ut f. p. adde aq. cinnam. parum.

Item conveniunt *pilulæ fœtidæ, de hierâ, aloëphanginæ, pilulæ de tribus Rufi, ex aloë, croco, & myrrhâ cum gummi ammoniaco.*

Vel ℞. *Massæ pilul. fœtid. major. aloëphangin. ana* ʒ ÷
resinæ jalap. gr. x.
olei macis. gr. iij.
m. l. pilul. pro duabus dosibus.

Si obstructiones in mensium suppressione fuerint evidentes, ea, quæ obstructionem abigunt, præmittenda sunt, de opiparè in malo hypochondriaco diximus, & hic primò lenia purgantia ex *Diatartaro Petri Castelli*, vel ex *aquâ solutivâ Pauli Æmilii Ferilli* conducunt, deinde ad medicamenta *martialia* confugiendum est, ut est *Syrupus de chalybe n. d. vitriolum Martis, vinum Martiale sine acidis, & corrosivis elicita n. d. ut*

℞. *Syr. de absynt. Zuuölferi cochl.* j.
tincturæ Martis g. xx.
elæosacch. citri ℈ ÷ *m.*

Vel ℞. *Tincturæ Martis n. d. cochlear. j.* propinetur ad plures dies. Sed nos expertum habemus pulvere cachecticum simplicem miræ virtutis in obstructionibus, qui necessariò aperit, & menses movet, ut

℞. *Martis in Crocum sine sulphure, & aceto redacti n. d.* ℥ ÷
cassiæ ligneæ ʒ IV. *m.*

Dosis quantum cultri mucrone arripi potest, detur ter quotidie, manè, jejuno stomacho, horâ tertiâ vespertinâ, & ituro cubitum, in syr. de quinque radicibus aperientibus cochleare tamdiu, donec omnis obstructio eliminata fuerit, ad aliquot septimanas continuando cum matutino exercitio, corpore tamen priùs à viscidâ, & tartareâ obstruente saburrâ expedito hoc leni medicamine, ut

℞. *Tart. vini albi* ℥ ÷
fol. senæ or. ʒiij.
cinnamomi acuti ʒ ÷
f. omnium pulvis subtilis s. m. cũ syr. de cichor. Nicolai q. s. f. massa, quæ in jure pulli propinetur.

His ritè propinatis, intra horum medicamentorum cursum quandoq; menses fluunt, quòd si non contingat, saltem depravatum corrigunt sanguinem, tunc ad ea, quæ turgescentiam in sanguine promovêt, & hæc spirituosa, volatilia, & aromatica esse debent, recurrendum est, & eo tempore menses cientia propinentur, quo aliàs ordinariò fluere solebant, & ipsa natura fluendorum mensium signis mulieres admonet, & illa sunt: dolor lumborum, ventris, pectinis, item crurum, & pedum gravitas, & lassitudo, difficultas anhelitûs, hypochondriorum tensio, capitis dolor, & gravedo quæ omnia diligenter animadvertenda

da sunt, alioquin rarò, imò nunquam menstrua concitabimus, quia natura non cooperatur; cùm verò movet, tunc, instituenda est curatio. Quod si mulierculæ aliqua molestiæ signa, quæ præcedere solebant, non sentiant, cùm suppressio ob temporis diuturnitatem nulla præseferat indicia, interrogandæ sunt, an singularem in corpore sanguinis agitationem, vel majorem molestiam certo tempore in mense, gravitatis dolorem, vel lumborum tensivum: vel pulsationem in locis vicinis, vel extraordinarias φλογώσεις, aut febriles effervescentias, aut incalescentiam percipiant. Quod si aliquod ex his præsentiant aliquo tempore, à menstruâ sanguinis effervescentiâ provenire certum est, quæ sanguinem ad excretionem impellit, tunc medicamenta ad sanguinem eliminandum propinanda sunt. Verùm si malum confirmatum fuerit, nec talia minima indicia percipiant mulieres, convenientissimum circa novilunium juvenibus, vetulis verò post plenilunium medicamenta præbendi tempus erit, si verum est.

Luna vetus vetulas, juvenes nova luna repurgat.

quod nos *Quæst.* 2. *art.* 4. *de causâ periodi menstrualis* repudiavimus. Verùm opportunius tempus est plenilunium, quia tunc simul temporis sub Lunæ incremento humores dilatati, & quasi spumæ facti faciliùs medicamentis obediunt. In plenilunio itaque mensium expellendorum curationem aggredimur, præmissis purgantibus acribus, aut emeticis, sed his cautè procedendum est cum mulieribus, deinde ad menses moventia confugimus, inter quæ primum assignamus locum *Syrupo Mulierum in Mantissâ* n. d. quem huc referre non piget, ut

℞. *Succ. depurat. hederæ corymb.*
petroselini,
artemisiæ ana lib. j.
dictamni Cretici,
pulegii,
melissæ,
origani
sabinæ recenter exsicc. ana m. j.
cassiæ ligneæ ℥ ÷

Fiat horum infusio in aquâ capill. Veneris ad ℔. IV. *quæ ter repetatur, postmodùm hujus infusionis* ℔. iij. *m. cum succis depuratis, & cum sacharo albissimo lib.* IV. *coque ad syrupi consistentiam, & serva.*

Prodigiosus est hic syrupus, & veluti divinum elixir; nam humorum viscidorum copiam, & sanguinem concretum, & veluti cadavericum in uteri venis proscriptum incidit, subtiliat, infarctos meatus aperit, & venarum obstructiones reserat. Eapropter menstruorum tarditatem sollicitat, intermissa, & suppressa provocat, vapores ex utero elevatos capiti, cordi, & stomacho impertitos unà cum sanguine per mulierum emunctorium educit. Morbis, qui ex utero genesim suam agnoscunt, ut χλώρωσι, seu pallidis virginum coloribus, cachexiæ, hystericis passionibus, & aliis prodest. Item partum accelerat, & facilitat, lochia suppressa promovet, secundinarum frustula relicta educit, fœtum mortuum expellit, molas exterminat: Sed ne mulierculæ utero gerentes te decipiant, mensium defectûs specioso pallio, cave sub divinæ ultionis pœnâ. In mensium tarditate, vel suppressione propinandus est ante tres, vel quatuor auroras, tempus recensendo,

do, quo menstrua recurrere solebant. In maximo usu est hîc pro felici successu. Dosis. ℥j. vel ℥ij. cum aquis appropriatis.

Sequens *Syrupus de Angelicæ radice* appellatur n. d. pro mensibus ciendis est tanquam sacra anchora, & in arcanis habetur, omnibus namque irritis, hoc unico eliminantur.

℞. *Radic. Angelicæ,*
bryoniæ ana ℥j.
fol. sabinæ,
pulegii,
origani ana m. ij.
croci ʒj.
caryophyll. contus. paria iv.
flor. lavendulæ
roris marini ana ʒiij.

Infundantur in aquæ stillatitiæ artemisiæ lib. V. Bulliant deinde clauso vase, & cola ad lib. IV. *& cum saccharo q. s. coque ad formam syrupi & serva.* Dosis ℥j. ad j÷ cum aquis appropriatis.

In eâdem nostrâ Mantissâ expertas habemus pilulas pro mensium retentione, ut

℞. *Dictamni alb.* ℈ij.
Sabinæ ʒiij.
boracis Venetæ,
fœculæ bryoniæ ana ʒj.
myrrhæ electæ,
asæ fœtidæ,
gummi Sagapeni ana ʒ.ij.

f. omnium pulvis subtiliss. & cum syr. de artemisiâ f. massa pilularis, quæ in alutâ oleo sabinæ imbutâ servetur pro usu.

Tam efficaces sunt hæ pilulæ in tarditate, vel menstruorum suppressione, ut nunquam ad quatuor vices deveniendum sit, & propinandæ sunt tertiâ, vel tandem quartâ aurorâ ante tempus quo fluere solebant: humores namque viscidos, sanguinemque in venarum oscillis obstructis congrumatum incidit, attenuat, & imposterum statis periodis, menstrua recurrunt, ac mulieres ab omnibus angoribus, qui ex mensium tarditate, vel ex omnimoda suppressione genesim sumunt, eripiunt, & incolumes præservant. Nullo modo propinandæ sunt, nisi in extremâ necessitate, & quando omnia vulgaria medicamenta incassùm adhibita, nullam præstiterint opem. Pariter facilitant, fœtum mortuum, & vivum educunt puerperis, quibus diminuta sunt lochia, vel prorsus intermissa, vel secundinæ retentæ, vel aliqua eorum pars relicta, divino sunt auxilio. Dosis ℈ij. vel ʒ.j.

Quæ medicamenta menses stimulant, fermentationem promovere necesse est, ac proinde viscidos incidere & subtiliare humores, concretum dissolvere sanguinem, venarum obstructiones reserare, ac sale volatili acri prædita esse, ac propterea, quæ menses movent, necessariò diuresim excitare oportet, unde inter vegetabilia *Radix Angelicæ* uterina est & mensibus ciendis appropriata. Item *radix fœniculi, rubiæ tinctorum, aristolochiæ rotundæ, gentianæ, pyrethri, bryoniæ.* Similiter aromata, quæ sale volatili oleoso abundant, optima ad menstruas sollicitandas purgationes censentur, quia stomachum roborant, & vitiosam sanguinis crasim corrigunt, ac volatilitate sua fermentationem menstruam sollicitant, ita sunt *Crocus, Cinnamomum, Ca-*

ryophy-

num, *caryophylli*, *cardamomum*, *galanga*, *piper*, *nux moschata*, & cætera ex his varia medicamenta composita. appropriata, uterina sunt sequentia vegetabilia, quæ menses proritant, ut *matricaria*, *artemisia*, *calamintha*, *pulegium*, *chærefolium*, *Leuisticum*, *sabina* & cætera, ex quibus varia medicamenta ad menses ciendos componuntur.

Cicera rubra magnam vim obtinent diureticam, ac proinde insigniter menses, & lochia promovent, & nostrates mulieres ad hunc finem ex his *jus cum petroselino*, & *croco* parant, quod magno emolumento proponant. Item aliæ sic procedunt: *Recipiunt Cicer. rubr. m.iij. macerant in aquâ pluviali tepefacta per duos, vel tres dies, deinde addunt nonnihil croci & parum fermenti, quo panis fermentari solet, miscent, transcolant, & colaturam ægræ propinant.* Ex supra dictis vegetabilibus varia parari possunt medicamenta sub variis formis, usitatiùs fiunt *noduli* in vino infundendi, ut

℞. *Radicum fœniculi.*
rubiæ tinctor. ana. ℥ ÷.
Cardamomi.
nucis moschatæ ana ʒj.
fol. roris marini,
lavendulæ ana p. j.
chærefolii.
sabinæ ana m. j.
bacc. juniperi
lauri ana ʒiij.
Cinnamomi,
macis ana ʒj. ÷.
Croci ʒ ÷.
olei tartari ʒ.ij. (*ad extrahendum*)

Incisa & contusa includantur in nodulo, qui infundatur in vinum græcum, de quo quotidie mane jejuno stomacho, & per duas horas ante prandium bonus hauriatur haustus.

Castoreum magnis potitur viribus in ciendis menstruis, fœtu mortuo promovendo, secundinis pellendis, & lochiis retentis expurgandis, ac propterea inter uterina medicamenta censentur tam in substantia, quàm sub forma extracti, vel essentiæ cum aliis uterinis.

Asa fœtida castoreo succedit, & convenienter in expellendis mensibus cum pipere, & myrrhâ adhibetur, unde

℞. *Extracti castorei* ʒ ÷.
asæ fœtidæ ℈j.
m. cum syr de cinnamomo,
f. pilulæ V. *deaurandæ.*

Optimum & eximium uterinum castoreo non cedens est *Myrrha*; hæc namque felici successu in formâ pulveris propinari potest, vel *Trochisci*, ex eâ parantur, ut

℞. *Myrrhæ* ʒ iij.
Lupinor. ℥ ÷.
fol. ruthæ
Mentastri,
dictamni Cretici,
Cumini,
rubiæ tinctorum
asæ fœtidæ,
Sagapeni,
opoponatis ana ʒij.
succi artemisiæ q. s.
formentur trochisci ex arte.

Tarditatem menstruam sollicitant, quæ ex crassorum humorum copiâ, aut concreto sanguine orta sit, attenuant, incidunt, & infarctos meatus aperiunt; partum difficilem, & etiam fœtum mortuum promovent, imò non raro, ut secundinæ retentæ putrescant & per-

perniciosos inducunt morbos, in tali casu Myrrha, vel ejus trochisci sunt egregium remedium, quia secundinarum putredinem arcent, & unâ pellunt, ac promovent. Unde in malignis puerperarum febribus cum lochiis retentis, aliis remediis admiscetur myrrha, quæ malignitati resistit, & simul lochiorum fluxum promovet, & semper cum essentiis uterinis maritatur. Trochiscorum dosis est. ʒ.j.ut

℞. *Syr. de quinque radic. aperientibus.* ℥.j.
trochiscor. de myrrhâ ʒ.j.
aquæ capill. Ven. ℥iij. *m.*

Succinum insigne uterinum est, si tam sub formâ tincturæ, quàm salis volatilis propinetur, & multis symptomatibus ex mensium suppressione pronatis prodest.

Aloë in formâ pilularum sumpta hæmorrhoidum fluxum provocat, quia facilè extremitati ani, vel intestino recto inhærere potest Unde hæmorrhoidum fluxui obnoxii ex frequenti aloëticorum assumptione in talem fluxum incurrere solent: Ita aloë mensium suppressione laborantibus conducit, quia venarum orificia aperit.

Maximopere *myrrham*, *aloën*, & *crocum* maximam in movendis mensibus energiam habentia commendamus, & medicamenta ex his tribus parata ad sollicitanda menstrua aptissima esse aperientia nos docet, & ita procedimus.

℞. *Aloes* ʒij ÷.
myrrhæ ʒij.
croci ʒ ÷.

Pulverisentur, & *cum syr. mulierum f. massa pilularis.* Dosis ℈. j. ad. ij. ad aliquot auroras & optatam experietis curationem, nam viscidos subtiliant humores, venarum oscula aperiunt, & majori efficacia, quàm trochisci de myrrha operantur.

Ex his tribus *elixir proprietatis* conflatur, quod insigniter suppressos sollicitat menses, ut

℞. *Aloës epaticæ*,
myrrhæ,
Croci opt. ana ℥.j.

Contunde optimè myrrham & aloën, deinde crocum cum eis contundendo congloba. Indantur vitro cum lib. j. spiritûs vini optimi, & digerantur per dies octo, clauso vase, deinde destilla lento igne, donec nil ampliùs per alembici rostrum ascendat, & serva. Caput mortuum etiam comburi potest, si vis, & sal extrahi, ut cum suprà dicto elixire misceri possit.

Optimum est hoc elixir, sed per alembicum aloës, croci, & myrrhæ tinctura cum parte essentiali non ascendit, qua de re nos hoc idem per infusionem, & digestionem tantùm paramus, & in obstructis mensibus mirificè præstat, & à nobis *Balsamus proprietatis* appellatur. Sunt nonnulli, qui hoc elixir cum liquoribus acidis parant, sed perperàm in mensium obstructione, nam acida impensius adsunt. Optimum erit elixir stomachicum Helmontii, quod cum aquâ cinnamomi, aloë, myrrhâ, & croco per destillationem paratur, quia præterquam quod stomachi impuritates corrigit, menses movet.

Borax nativa ad ℈. j. pro pellendis mensibus, imò secundinis, mola & fœtu mortuo omnibus remediis palmam præripit cum decocto pulegii, addito pulvere cinnamomi, & est potentissimum remedium.

Salia

Salia volatilia ex vegetabilibus uterinis, ut *melissæ*, *artemisiæ*, *sabinæ*, *pulegii*, *origani &c.* multùm conducunt ad menses proritandos. Vel ex his vegetabilibus summopere prodest essentia, ut *artemisiæ*, *melissæ*, *sabinæ*, *pulegii*, *&c.* Item olea essentialia destillata *cinnamomi*, *cariophyllorum*, *aut succini*, & quod optimum est sabinæ egregiè menses movent *in aquâ cinnamomi*, *vel pulegii*, *vel sabinæ*, *vel in horum decocto.*

Omnia absorbentia acidum hîc prosunt; acido enim absorbendo in tertium sal mutato per urinæ vias, vel alias eliminatur, ut

℞. *Corall. præparat.*
ocûlor. Cancror. ana ʒ ÷.
Croci Martis aperitivi gr. x
m. detur.

Si menses actu fluentes à subitaneo frigore, timore, terrore, vel tristitia subitò supprimantur, ad sanguinem congrumatum, & eundem fluidiorem & naturalem motum reddendum, valet spiritus salis armoniaci, nunquam satis laudandus, vel sequens medicamentum expertum, ut

℞. *Spermatis ceti.* ʒj.
Castorei ℈j.
& in syr. mulierum propina.

Vel convenit *sanguis hirci in syr. de Artemisia.*

Vel ℞. *Trochiscor. de myrrhâ* ℈ij.
Castorei ℈j.
salis volatilis sabinæ ℈. ÷.
syr. de papavere erratico ℥. ÷.
aquæ cinnamomi ℥j. *m.*

Cùm menses apparere incipiunt, *dari potest.* ℈j. *boracis nativæ cum gutt.* IV. *aut* V. *essentiæ croci in aquâ pulegii*, *vel cinnamomi, aut in succi sabinæ* ℥. ÷ *aut solùm sabina in vino græco cocta.*

Quandoque mensium suppressio ... vitium in ipso latet utero, quod ... rum fluxum impedit, & hoc certissimè deprehenditur, si posteaquam omnia facta fuerint, nullo subsequente effectu, tunc ad externa confugiamus, & ad tale balneum, instante jam tempore fluxus, præveniamus oportet, ut

℞. *Herbar. artemisiæ,*
melissæ,
origani,
matricariæ ana m. ij.
sabinæ m. ÷
roris marini m. j.
malvæ
althææ,
serpilli ana p. iij.
flor. chamomillæ,
hyperici,
centaur. minor. ana m. iij.
baccarum lauri ℥j ÷.
radic. bryoniæ ℥ij.
Aristoloch. rotundæ,
rubiæ tinctorum, *ana* ℥j.

Incisa & contusa grosso modo coque in suff. quantitate aquæ pro balneo, quod matutino tempore ingrediatur, & umbilico-tenus sedeat ad horam in eo; herbæ duobus sacculis includantur, quorum uni supersedeat, altero inferior foveatur venter. Sed balnea naturalia præstant, ut *Balneum Gurgitelli*, *ferri*, *Plagæ Romanæ*, *in Pithecusâ*, omnibus tamen palmam præripiunt *Balnea Novana*, ut fusiùs dicemus. Verùm enimverò advertendum, ne fomenta, & balnea sudores moveant, quia menses potiùs sisterentur, quàm promoverentur.

Post balneum partes circa uterum sequenti inungantur oleo, ut

℞. *ol. lilior. alb.* ℥j. ÷.

Lavendulæ destillat. ℥j ſs.
pulv. calaminth.
Sabinæ ana ʒj.
Styracis calamitæ ℈.j ſs m.

Vel ſequenti unguento, ut

℞. *Ol. lilior. alb.*
cheirini ana ℥.j.
ſucci rutæ,
ſabinæ ana ℥ ſs.
Styracis calamitæ ʒij.
Ceræ q. s. f. Ung.

Notum, & expertiſſimum eſt, & ab omnibus unanimi conſenſu laudatur ſequens ſuffumigium, ut

℞. *Scorias Reguli antimonii*,
coque in lixivio cinerum fagi,
ut extrahatur rubedo.

Hujus partibus quatuor admiſce vini malvatici partem unam. Hujus miſturæ cochlear j. atque alterum, vel plura funde ſuper ſilices ignitos, vel recrementa ferri candentia, & patiens excipiat fumum ad lochia. Vel *fiat lixivium è fæcibus antimonii cum aquâ communi*, & ſupra prunas affundatur, & excipiatur vapor. Decantatus eſt pro fæminis menſium obſtructione laborantibus ejus vapor per infundibulum receptus; ſæpè enim fit, ut ab ejus, antequam hora effluat dimidia, menſes hac ratione proritentur. Nonnulli loco hujus laudant ſuffitum ex *ſcoriis Martis ignitis cum urinâ antiquâ & fætida irroratis*, qui utero receptus mira præſtat.

Peſſi in menſium ſuppreſſione utiles ſunt, ſed ſemper in eorum uſu incipiendum eſt à mitioribus *ex mercuriali*, *artemiſiâ*, *ſampſuco*, *pulegio*, *origano*, *meliſſâ*, & ſimilibus. Poſtea his nihil juvantibus ad fortiora; progrediendum eſt.

℞. *Sabinæ*,
calaminth. ana ʒ.j.
trochiſc. de myrrhâ ʒij.
ſtyracis calamitæ,
galbani ana ʒj ſs.
excipiantur in melle deſpumato,
& f. peſſi.

Vel ℞. *Myrrhæ rubræ*,
aloës ana ℥ j.
caſtorei ℈. j.
rad. hellebori nigr. contuſi,
fol. ſabinæ ana ʒ ſs.
croci grana viij.
boracis nativæ ℈ ſs.

Miſce cum ſucco calaminthæ, vel artemiſiæ, vel cum ſuff. quantitate tragacanthi in vino albo q. s. f. peſſi, parum in nodulo ſerico oleo ſambucino madido, & indendo, ſæpiusque iterando, non tamen diù relinquantur in uteri collo, ne damni aliquid inferant, phlegmonem, aut febrem pariant, aut exulcerent; inſuper mucilaginibus, & ſuccis temperare, & acrimoniam corrigere decet, additis iis, quæ ſimul uteri collum emolliunt, & ad evacuationem aptius reddunt. Hos peſſos, ſicut & clyſteres uterinos virginibus adhibere non convenit, ne virginitatis clauſtrum violetur, tantummodo pro uxoribus, & viduis in uſum trahantur: Verùm hi peſſi, ſive peſſaria, & clyſteres intra uteri collum intruſa luxuriem, & Veneris appetentiam excitant, ac proinde tutâ conſcientiâ præſcribi non poſſunt, ideoque ad alia hæmagoga confugiendum eſt.

Quæres, quid dicendum de venæ ſectione in hoc affectu?

Reſpondetur, cùm uterus excrementis abundet, & affectus contumax ſit & antiquatus venæ ſectionem potiùs obeſſe, quàm prodeſſe; ex eo quia minuitur

tur cum sanguine id, quod obstructionem solvere, vel prohibere potest, ut observatur noxa in venæ sectionibus iteratis, & copiosis. Occurrendum est igitur vitio sanguinis & causæ, ob quam non effluit per vias, & hoc veri Medici munus est. Venæ igitur sectio locum habere non potest in hoc affectu, nisi per accidens, quatenùs scilicèt à copia nimia sanguinis, noxa aliqua timeatur, sed tunc poterit etiam res perfici aliâ evacuatione non sic molestâ.

CAPUT SECUNDUM.

De Nimio Mensium Fluxu.

SIcut menstruis subsistentibus morbi ab utero accidunt, ita menstruis abundantibus, morbi eveniunt ex *aph.* 57. *sectione* 5. Debet sanguis menstrualis tanquam sarcina lethifera singulis mensibus expurgari, sed ejus fluxus suum modum servare juxta cujusvis corporis constitutionem, & naturam, qui si excedit, non jam suæ destinationis leges non servat, non tantùm superfluus, & lethiferus educitur, sed simul necessarium vitæ pabulum effunditur, & eo vires minuuntur, & enervantur, & si non sistatur, & obstinatè fluat, tandem ægra magna Ditis fores pulsat.

Commodissimum fluxus menstrui tempus est, quod biduum, vel triduum durat, & postmodum cessat, & plerumque secundum valetudinem, & fœcunditatem indicat, longiùs, vel breviùs oppositum. Diuturnior fluxus ut plurimum fœminis mollibus, & albis, brevior, duriusculis, & nigris accidit; hæ enim ut calidiores, ita etiam sanguinem citiùs delabentem habent, illæ verò frigidiores sanguinem tardiorem, & pituitosiorem, & influendo minùs promptum. In nimio mensium fluxu menses sunt solito plures, & copiosiores, & diutiùs fluunt, quàm convenit, vel tempore non competente, & spatio consueto: sed adeò abundanter, & cum impetu, ut periculum metuendum sit; diversus tamen hic fluxus sub uno nomine mensium complectitur, quamvis modum excedens, & verum & innocuum sanguinem profundens, non ampliùs menstruum, sed sanguinis profluvium dici debet. Post partum quoque sanguinis purgatio aliud nomen acquirit, putà lochiorum, quorum non minùs ac mensium inevitabilis necessitas, excessus tamen periculum infert. In his primò sanguis menstruus excretivus excernitur, deindè laudabilis, & hinc vires minuuntur, debilitatur, & mortem infert.

SIGNA.

Nimium sanguinis per uterum profluvium ex ægræ relatione patescit, & per se facilè cognoscitur, si nimirum sanguis copiosior, & p. n. excernatur, & fœminæ eo debilitatur; nimium enim illud, quod quantitatem excedit, quantitas verò in fœminis est incerta, nec adeò determinata est.

Comitantur ægræ hæc symptomata, appetitus prostratio, coctio impedita, & depravata, cruditatum aggeries, mutatio coloris faciei consueti in fœdum, pallescentem, vel lividum, virium prostratio, corporis lassitudo, coxæ, & crurum gravitas, lumborum dolor,

laxus pedum tumor, & cum his corpus inflatur, & hydrops introducitur. An verò ex uteri fundo, an aut ex ejus cervice ſanguis profluat, ex eo cognoſcitur, quòd ſanguis, qui ex ipſo uteri fundo profluit, nigrior eſt, & plerumque grumoſus, qui verò ex cervice, rubicundior, & fluidior.

Signa cauſarum ſunt; ſi à ſanguine copioſo nimius ſanguinis fluxus dependeat, adeſt plethora, & ſanguis profluens grumeſcit. Si à qualitate, ſanguis erit corruptus. Si à nimia aquoſitate, & ſeroſitate, adſunt ſeroſi humoris indicia, & ſanguis non grumeſcit. Qualis ſit ſanguis, qui excernitur, in linteo, in quo excipitur, cognoſcitur.

CAUSÆ.

Nimium ſanguinis ex utero profluvium, utplurimùm in ſanguine inquirendum eſt, quia rariùs ab utero pendet, ut eſt violentia interna, quæ venas rumpit, ut eſt abortus, vel laborioſus partus, ſive per obliquum fœtûs exitum, vel ob ejuſdem magnitudinem, vel ex uteri venis præruptis ex gravi pondere ſublato, vel ex immoderatâ ſternutatione, vel ex acri peſſario ad aliquod tempus geſtato; ſed hæ cauſæ, quæ uteri vitio ſanguinis fluxum excitant, raræ ſunt: Atqui veræ ſanguinis profluvii cauſæ in ipſo ſanguine inquirendæ ſunt, quas ad tres referimus.

Prima eſt, quando ſanguis in nimiam turgeſcentiam, & exagitationem adigitur, & uteri venas aperit, & profluit, & tanta eſt aliquando ſanguinis copia, ut non tantùm venarum aperiat ora, ſed ſubinde etiam venas rumpat, id quod in validis exercitationibus contingit, ita eſt vehemens corporis motus, ſaltatio, vel alia corporis incaleſcentia per validam excercitationem, laborem, curſum, laſſativam deambulationem, copioſam vini meracioris ingurgitationem, balnea, aromata, affectus animi caleſcentes, ut effrænis coitus, iracundia, gaudium exceſſivum, riſus immoderatus, deſiderium ardens &c. hæc enim ſanguinem in orgaſmum, & efferveſcentiam redigunt. Hæ cauſæ patent, ex eo quia genæ rubent, venæ turgent, pulſus eſt magnus, celer, & frequens, quæ ſanguinis orgaſmum ſignificant.

Secunda, quando uteri profluvii in cauſa eſt ſanguis aquoſus, nimis tenuis, & fluxilis, & mulieres, quæ ſucculentiori, & ſeroſo potiuntur habitu, huic uterino profluvio obnoxiæ, & ſanguis, qui excernitur, aquoſus, & loturæ carnium ſimilis eſt. Sanguis aquoſus & fluidior redditur, quando ſtomachus depravatè digerit, & potulentâ diætâ immoderatè utitur.

Tandem tertia profluvii ſanguinis cauſa eſt ſerum maſſæ ſanguineæ acrius ſuâ acrimoniâ irritans ſanguinem, aut ipſas erodens venas.

Cauſa hujus effectûs immediata, & proxima, ſola eſt venarum p. n. apertio; Vitia verò ſanguinis mediatæ cauſæ ſunt, quatenus vaſorum orificia aperiunt. Aperiuntur vaſa vel per anaſtomoſim quæ fit à cauſis externis, vel internis. Internæ ſunt humiditas vaſorum, à quâ eorum orificia laxantur, ſanguis verò tenuis, aut orificia vaſorum laxans, vel copiâ eadem aperiens. Externæ ſunt balnea, & fomenta humectantia & calefacientia, vel uſus medicamentorum orificia venarum aperiendi vim

vim habentium, ut est aloë, ut & medicamentorum menses moventium. Vel per Diapedesim nimium mensium fluxum accidisse, raro observatum; hæc verò fit à nimiâ vasorum laxitate, eorumque exinde tunicâ nimis rarefactâ, & sanguine tenuiore sensim eam transudante, ac penetrante. Id tamen observasse scribit *Forestus lib.* 28. *obs.* 18. *in quadam fœminâ biliosâ, & tenuem sanguinem habente, quæ ultra novem menses purgationem menstruam hac de causâ passa est, & tandem eâ periit.* Per Diapedesim contingit apertio vasorum minorum, per quam deinde fit sanguinis resudatio, quæ sensim stillat, non autem confertim, ut in Anastomosi. Vel per Diæresim, seu solutionem continui per causam procatarcticam, venas disrūpentem, seu lacerantem, quæ in abortu & laborioso partu evenire solet. Similiter à re quacumque exedente, putà exulceratione, erosione, sive intùs sponte nascatur, sive per applicationem topicorum acrium excoriativorum, vel causticorum, ut sunt pessaria acria & similia, excitantur. Vel per Rixim, seu ruptionem, quæ interdùm fit à sanguinis copiâ, quæ in fœminis quandoque contingit, quibus menses diù substiterunt, & postea confertim erumpunt. Idque fit eò faciliùs, si externæ causæ sanguinem agitantes accedant, ut aër calidior, frigidior, balneum calidius, exercitationes vehementes, choreæ, saltationes, animi pathemata & imprimis excandescentia, evidentes & externæ causæ sunt partus laboriosus & difficilis, abortus, casus ab alto, percussio, ponderis gravis elevatio, coitus immodicus & violentus, ut & sternutatio nimia, & violenta. *PROGNOSIS.*

Sicut sanguis est vitæ, & virium partus, ita ejus amissio, quandocumque ea eveniat, non potest non juxta dispersionis proportionem debilitare, & integralis omnino interimere, & sic etiam hæmorrhagia uterina excessiva eandem servat naturam, unus tamen effusionis modus præ altero celeriùs, vel tardiùs magis, vel minùs nocet. Diapedesis enim, cujus signa sunt rarus corporis, mollisque habitus, tenuis, & serosus sanguis sensim effluens, omnium minimè periculosa est, quia fit paulatim, & sic coctioni aliquod spatium relinquit, & interim aliud conficiendi cruorem, est tamen aliis diuturnior. Anastomosis, & Rixis, quæ cognoscuntur ex multo confertim prodeunte sanguine, causisque calefacientibus suprà descriptis, majus minantur periculum ob simultaneam, & celerem sanguinis emissionem, efficacibus tamen medicamentis sanabiliores aliis esse solent, quia plerumque in corporibus vegetis, & plethoricis accidunt. Diabrosis, cujus signa sunt, sanguis sensim cum doloris perceptione, colorumque differentia profluens; cum certâ admistione quadam nempe saniei, ichoris, ramentorum &c. omnium maximè difficilis est, & immedicabilis, quia fit cum organorum destructione.

In genere autem quodlibet enorme mensium profluvium, & irrestinguibile, si non ex se, saltim ex accidenti periculosum est, & in primis in adultioribus, & si immodicè duret; nam præterquamquòd vires exsolvit, etiam variorum morborum causa est, quia menstruis abundantibus morbi eveniunt, corpus refrigerat, decolorat, album fluorem inducit, emaciat, morboso opplet, sterilitat, pedes tumefacit, in hecticam,

hecticam, cachexiam, & hydropem præcipitat, vel si affatim, & celeriter effluxus fiat, lipothymiam, syncopem, & mortem sine dilatione accersit. Quò fluxus est diuturnior, eò difficilior curatu evenit, imò sæpè incurabilis, & mortem inducit. In senescente muliere nimius sanguinis uterini fluxus plerumque incurabilis est, imò lethalis: In juvenculâ admodum periculosus est, si perseveret. A profluvio sanguinis desipientia, & convulsio, malum. Sanguinis profluvium per viam crisis in corpore pleno aut vitiosis humoribus scatente, & cum patientis tolerantiâ cohiberi non debet. Immodica mensium profluvia, quæ ex partu grandiori fiunt, minùs sunt periculosa, cùm sua sponte cessent; si autem abortivi fœtûs causa fiant, repentinum quandoque periculum indicunt.

CURATIO.

Sanguinis uterini profluvio primò curatio diætetica maximè confert, quâ nihil proficiente, ad pharmaceuticam confugiamus oportet; multoties namque solâ diætâ morbos profligamus & hanc ad sex res nonnaturales revocamus, quæ si benè regantur, optatam salutem, si verò malè, magnam noxam afferre possunt, & quia primò aër corpora potenter afficit, ideò

Aër ad siccum, & frigidum declinet; vitetur nimis calidus, ne sanguis in turgescentiam adigatur, & nimis frigidus, ne sanguinem ad interiora pellendo, fluxum citatiorem promoveat.

Cibus sit facilis coctionis, & boni succi, qui incrassandi, refrigerandi, & adstringendi vi præditus sit, & à cœnâ aliquando abstinere non inconsultum, præcipuè, si sanguinis copia fluxus in causa sit. Conveniunt itaque hordeata, & juscula, lactucâ, portulacâ, endiviâ, urticâ condita. Conducunt viscera & animalium extremitates, ut pedes, quæ sanguinem minùs fluxilem reddunt. Carnes perdicum, phasianorum, merularum, avicularum, cuniculorum, capreolorum, leporum; carnes autem potiùs assæ, quàm elixæ offerantur, sed eæ potiùs, quæ sanguinem crassum generant, esse debent. Item farra, oryza, panicum, caseus recens, lagana, ova frixa &c. Inter fructus cydonia, mespila, pyra, pruna sylvestria, corna, cerasa austera, ribes, sorba, & cæteri fructus austeri. Vitentur alimenta difficilis coctionis, carnes, & pisces fumo, & sale indurati, ac omnia aromata, spirituosa, & volatilia, quæ sanguinem nimis quàm par est, excalfaciunt, & in citatiorem redigunt motum.

Potus sit parcus, præcipuè quando sanguis est nimis tenuis, & aquosus, ex aquâ plantaginis, bursę pastoris, portulacæ, foliorum quercûs destillatâ, vel decocto radicis tormentillæ syrupo ribium dulcificato. A vino ægra omninò abstineat, quòd si quandoque in stomachi, & virium gratiam concedi debeat, vel quia assueta sit, rubrum, quod apud nos lacryma vocatur, parcâ manu præbeatur, & potulenta ad frigidum declinantia perpetuò propinentur.

Motus omnis laboriosus, & violentus sub majoris sanguinis fluxûs, vel vitæ pœnâ vitetur, ac omnes inferiorum partium frictiones, quia sanguinem calidiorem & fluxiorem reddit, & ad majus profluivum disponit.

Quies

Quies omnino imperanda, ut sanguis lento, & naturali suo orbe gradiatur, unde otium in hoc affectu maximè conducit, & ad majorem cautelam in molliori lecto decumbat, præsertim si vires jam debilitatæ fuerint, non tamen calidiore, ne sanguis turgescentiam arripiat.

Somnus sit moderatus, & longior potiùs, quàm brevior, & tam noctu, quàm interdiu capiatur, quod sponte non obrepat, medicamentis concilietur: cùm omnes in somno tollantur evacuationes, & fiat cruribus elevatis & complicatis.

Vigilia non nimis protrahatur, quia omnis excessus malus, & corpus nimiis evacuationibus, quæ in Vigilia fiunt, extenuatur.

Excernenda assumptorum quantitati suo modo correspondeant, unde alvus quotidie sua deponat scybala, & urina non frequenter excernatur; quapropter diuretica vitentur, quia menses sollicitare solent. Sudor quandoque utilis esse solet, præcipuè si sanguis sit nimis serosus.

Retinenda retineantur, & præsertim sanguinis fluxus cohibeatur, quia est animæ substerniculum, & excreto sanguine, anima purpurea statim evolat.

Animi passiones vehementes, ut excandescentia, exclamationes, furores, rixæ, cæteræque malignæ, quæ sanguinem in orgasmum & exaltatam effervescentiam redigunt, omnino vitentur. Verùm maximè prodest panicus timor, quia sicut iste menses suo naturali cursu fluentes sistit, ita uterini sanguinis profluvium supprimit, Quanta timoris vis sit, ita Laconicè *Papianus* expressit:

Primus in orbe Deus fecit timor.

Hinc Lacedemonii timorem tanquam Deum coluerunt, cui multa templa dicata fuêre, & multi mortales vi timoris tanquam Dij coluntur, & hoc timore ferè nunc totus regitur orbis, ut discurrenti patet. Ægra Venere, longiori tempore abstineat, nam observatum est quasdam ex Veneris usu recidivam passas fuisse.

Perlustratâ parte diæteticâ, ad pharmaceuticam properamus, & si unâ sanguinis fluxus non curatur, saltim alterâ sanatio perficitur. Curatio itaque non procrastinanda, periculum enim est in morâ, ne natura ita huic fluxui assuescat, tandem difficulter, etiamsi velit pedem revocare, non possit, cùm venarum orificia diu aperta per assiduũ fluxum detenta fuerint; difficillimè enim tunc consolidabuntur, & non ita facilè curabitur, si diu perseveraverint, & tamen plerùmque hæc curatio mali Medico committi solet, postquam inveteratum fuerit, cùm in principio per fœmellarum, & obstetricum remedia tractetur.

Curatio ergo hujus fluxus properanda, & primò danda opera juxta causarum indicationes, ut sanguis nimiùm fermentescens compescatur, & in blandam consistentiam redigatur. Secundò nimis fluendus inspissandus, incrassandus, & nimiâ aquositate privandus. Tertiò particulæ acres irritantes, & corrosivæ in massâ sanguineâ hospitantes obtundantur, & tandem viæ nimis laxæ comprimantur, & adstringentibus consolidandæ. Juxta igitur causarum diversitatem aliter, & aliter instituenda est curatio, & hic uterini sanguinis fluxus à nimio hæmorrhoidum fluxu, aliisque hæmorrhagiis nihil differt.

Ad hoc uterini ſanguinis profluvium ſupprimendum ſunt nonnulli, qui venæ ſectionem extollunt, ſed in quocumque loco celebratur, peſſimo adhibetur eventu, quia ſemper uterinum fluxum plus promovere, & augere ſolet. Nec in ſanguinis fluxu plethora adeſſe poteſt, quia minoratâ quantitate fluxus ceſſaret, nec mulieres hunc patientes plethoricæ dici poſſunt, ſed potiùs cacochymæ ob pravam ſanguinis qualitatem, quam ſingulis menſibus excernunt. Sunt etiam, qui ventriculum à ſua colluvie, quæ plerumque uterum inquinat & varios uterinos parit affectus, purgant & juxta Hip. vel emeticum, vel catharticum ad ſuperfluos latices educendos præbent, ut ſanguis ſpiſſior reddatur, & minùs effluat. Sed toto errant cœlo in ipſius profluvij actu præbentes; quia purgatio ſtimulat & fluxum promovet, non itaque univerſalia, ut phlebotomia, & purgatorium medicamentum in nimio menſium fluxu prætermittenda ſunt; ad præcautionem tamen talia uſurpanda veniunt, quæ conſtrictionem poſt ſe relinquunt, ita ſunt tamarind. vel rhabarbarum, ut

℞. *Rhabarb. opt. pulveris.* ʒ. j.
mivæ cydonior. ℥ ÷
aquæ plantag. ʒ ij ÷ *m.*

Ad ſanguinis orgaſmum, & ſpiritum ferocientem compeſcendum, & in placidum circuitum redigendum, leniter refrigerantibus & incraſſantibus utimur *nitro*, vel ex ipſo *floribus ſalis nitri, vel lapide prunellæ*, quinimmò acida blandè adſtringentia adhibemus, ut ſunt *Syr. berberum, ribium, portulacæ, conſerva ceraſorum auſterorum, de cornis:*

℞. *Corall. rubr. præparat.* ʒij.
terræ ſigillatæ ʒiij.
carnis cydonior. conditæ ℥j.
lapid. hæmatit. ℈ ij.
lachrymæ ſang. drac. ℈ j.
ſem. plantag. ʒij. ÷
m. cum ſyr. ribium q. s.
fiat electuarium.

Vel

℞. *Succ. acaciæ* ʒ ij.
ſuccin. præp. ʒ ÷
extract. rad. tormentillæ,
hyperici ana ʒj.
terræ exanimatæ Vitrioli ℈ij.
boli Armen. ʒij.
croci Martis adſtringentis ʒ ÷
confectionis de Hyacinth. ʒj.
ſucci cydonior. ℥j.
ſyr. de roſis ſiccis q. s.
m. f. electuarium.

Detur in aurorâ, & duabus horis ante cœnam ad magnitudinem caſtaneæ. Hæc medicamenta, & electuaria ſanguinem fermenteſcentem compeſcunt, blandè attemperant, refrigerant, & ad naturalem reſtituunt conſiſtentiam.

Ad ſanguinem nimis tenuem, & fluxilem ea medicamenta, quæ inſpiſſant, & incraſſant, præſcribimus ut eſt *Plantago* quacumque ratione ſumpta, ſic ejus ſuccus ad menſtruas evacuationes mira præſtat, ut

℞. *Succi plantag.* ℥iij.
ſucci acaciæ ʒj. *m.*
diſſolve & propina.

Ex eâdem plantagine fit ſyr. ſimplex, vel compoſitus juxta *Arnoldi de Villa-nova* deſcriptionem, ut

℞. *Succi plantag. lib.* ÷
aquæ ros. lib. j.
ſpodij,
nucum cupreſſi,
balauſt.

Sumachi

Sumach.
sang. drac. in lachryma,
gummi Arabici torrefacti,
mastich.
thuris,
galli,
hyppocist.
lapid. hæmatit.
rasuræ eboris ana ℥ij.
aquæ com. & sacch. q. s.
F. syr. s. a.

Maximæ energiæ est hic syr. & non tantùm in menstruis impetuosè fluentibus, sanguinis sputo, & vomitu, ac mictione cruentâ, sed in quocumque humorum fluxu, sive sit sanguis, sive alius, conducit, sanguinem & incrassando, & sistendo.

Plantagini succedit portulaca, quæ sanguinem nimis tenuem, & fluxilem, tam sub formâ aquæ, succi, quàm syr. incrassat usurpata, unde in omni sanguinis rejectione, ac fluxu conducit, & præsertim omne sanguinis ex utero profluvium, tam acidum corrigendo, quàm ipsum sanguinem incrassando procedit, ut

℞. *Syr. portulacæ ℥. j÷.*
lapid. hæmatit. præp. ℈ij.
lachrym. sang. drac. ʒ÷.
terræ exanimatæ vitrioli ℈j.
succ. portulacæ ℥j.
spiritûs vitrioli gutt. XVI.
aquæ portulacæ ℥iij.
m. detur cochleatim.

Ad sanguinem tenuem, & fluidum inspissandum optima sunt austera, & acerba, vulgò adstringentia dicta, ut omphacium, & acacia. Nonnull. hydragogis medicamentis aquosum à sanguine educunt humorem; sed veremur, hæc ne sanguinem in turgescentiam adigant, & indè major sanguinis fluxus concitetur, nec natura duas evacuationes tolerare potest. Alij ad hunc aquosum humorem à sanguine secernendum sudoriferis utuntur decoctis; sed infelici successu, nam hic tenuis humor unà cum sanguine, dum insensibiliter in halitus, vel in sudorem attenuatur, alteratur, & excalefacit, & quà datâ portâ, per uterum unà ruunt, & incompescibile sanguinis profluvium succedit. Optimum consilium judicamus diætam exsiccantem præscribi, omnia succulenta interdicendo.

Descripsimus in *nostrâ Mantissâ nobile electuarium ad menstruorum profluvium*, quod, quia omnem absolvit paginam, hùc referre tanquàm ad proprium locum, operæ pretium dijudicamus, ut

℞. *Balaust.*
lapid. hæmatit. præp. ana ʒj÷.
sem. Plantag.
granor. Kermes ana ℈ij.
terræ sigillatæ,
sang. drac. veri,
succi acaciæ,
terræ exanimatæ vitrioli ana ℈ IV.
pilosellæ,
tormentillæ ana ℈÷.
f. omnium pulvis subtilis, s. m.
cum diacydonii ʒiij.
laud. opiati n. d. ℈j.
conser. ros. antiquæ ℥ij.
& cum syr. de plantag. q. s.
f. electuarium.

Probatissimum, & expertissimum est hoc nostrum electuarium in nimio mensium fluxu, etiam diuturno tempore fluente, & omnibus aliis medicamentis incassùm tentatis: sed quæso, ne te nimiùm decipiat, nimium enim æstimandum est, quando mulieres eo debilitantur; quia nimium est illud, quod de-

debitam excedit quantitatem, quæ in fœminis certa nec adeò semper est determinata: nimium ergo ex virium prosternatione censendum est, evacuantur namque menses, ut fœmina levetur, non verò gravetur, & prosternatur. Sistit uterinas hæmorrhagias, ut pluries experti sumus, sanguinem namque fluxilem, tenuiorem, serosum, aquosum, & carnium loturæ similem inspissat, & quodammodo incrassat; acriorem corrigit & edulcorat; Vasorum apertiones, vel per anastomosim, aut per diæresim obstruit, adstringit, & consolidat, spiritûs uterini orgasmum, id est sanguinem nimiùm turgescentem, compescit, & refrenat; lochia nimiùm vel diu profluentia hoc nostrum electuarium debito fluori restituit, vel sistit. Dosis est castaneæ quantitas bis, vel forsan ter in die ante cibum.

Nos polline pro superfluis mensibus sistendis utimur, qui nunquam nos fefellit, & tribus vicibus optatum consequimur effectum: est hic *Cortex granatorum acidorum*, quem hucusque pro arcano habuimus, ac proinde propriâ manu paravimus, & tenuioris fortunæ mulieribus dono dedimus; at nunc à latebris educimus, ingenuò communicamus. Hujus dosis ℈j. ad duos, vel tandem ʒj. in vino austero, quem, ut videntes non agnoscant, terrâ exanimata Vitrioli abstruimus.

Vrtica eximias habet vires in quacumque sanguinis excretione sistendâ; non tantùm per nares, sputum, tussim, vomitum, & hæmorrhoides, sed etiam in nimio per uterum fluxu, si ejus succus depuratus ad ℥j. vel ij. & tres propinetur, vel cum aliis medicamentis sanguinem sistentibus commisceatur, præsentaneè operatur.

Pro particulis acribus, & corrosivis sanguinis massam irritantibus, & venarum oscula exedentibus, obtundentibus, edulcorantibus, & earum acrimoniam eluentibus utimur medicamentis, & ea præscribimus, quæ aquea serum lactis, & ipsum lac, corallia, & omnia ex coralliis parata, ut *syrupus, eorum tinctura, vel, & magisterium, lac perlarum, magisterium matris perlarum, sperma ceti, oculi cancrorum, cornu cervi*, & *ebur præparata*. Item *testacea*, & *crustacea*, quæ vim sanguinis corrigendi acrimoniam habent. Similiter *bolus armena*, *terra sigillata*, *succinum album*, *trochisc. de carabe*, *ossa sepiæ præparata*, ut

℞. *Syr. corall.* ℥j.
magist. matris perlarum ʒj.
oss. sepiæ præparat.
spermatis ceti,
terræ sigillatæ ana ℈j.
aquæ sanguisorbæ ℥iv. *m.*

Vias nimis laxas adstringendas arbitramur, & huic indicationi succurrunt, ea quæ constringendi vi prædita sunt, quæ retulimus, & ea, quæ continui solutionem internè curant, & hæc vulneraria dicuntur, ut *extractum hyperici, radicis tormentillæ*, *symphyti majoris*, *pilosellæ* &c. ut

℞. *Syr. de symphyt. Fernelii* ℥j.
extracti hyperici,
rad. tormentillæ ana ʒ÷.
aquæ pilosellæ ℥iij. *m.*

Omnia *ex opio parata* anodyna ad uterinam hæmorrhagiam sistendam quantumvis inveteratam omnem absolvunt paginam, & unâ fideliâ plures dealbant parietes, & omnem complent indicationem à quacumque prognatam; nam sanguinem fermentescentem, compescunt, illumque incrassant, particulas acres, & exedentes obtundunt, & vias laxas

laxas consolidant, & hæc tam solitaria propinari, quàm appropriatis commisceri possunt, ut

℞. *Syr. de Plantag.* ℥.j.
terræ sigillatæ,
lapidis hæmatit. præparatæ ana ʒ÷
granor. Kermes ℈÷.
extract. rad. tormentillæ ℈ij.
Nepenth Quercet. gr. duo.
aquæ bursæ pastoris ℥.iv. *m.*
detur cochleatim.

Vel

℞. *Corall. præparat.*
trochisc. de carabe ana ʒ.ij.
lachrymæ sang. drac. ℈.j.
boli armen. ʒ.j.
balaust. ℈.ij.
eboris præp. ʒ÷.
terræ exanimatæ vitrioli ℈.ij.
sem. plantag. ʒj÷.
sperniolæ gr. viij.
laudani opiati gr. vij.
cons. rad. symphyt. maj. ℥.ij.
m. & cum syr. de succo myrtill. q. s. f. electuarium.

Detur bis in die manè ante prandium, & serò ante cœnam ad quantitatem avellanæ.

Vel

℞. *Syr. de succo cydonior.* ℥.j÷.
Philonii Persici ʒ.ij.
alum. crudi ℈.÷.
aquæ centinodiæ ℥ v. m.
sumatur cochleatim.

Vel

℞. *Diascordii Fracastorii* ʒ.iv.
cons. ros. antiquæ ℥.j.
magist. oculor. cancrorum.
ossis sepiæ ana ʒ.ij.
croci Martis adstringent. ʒ.j.
granor. Kermes ℈j.
trochis. de terrâ sigillatâ ʒ.ij.÷.
m. & cum syr. de symphit. q. s.
f. electuarium.

Dosis sit quantitas castaneæ ante prandium, & cœnam.

Nonnulli in desperatâ uterinâ hæmorrhagiâ ad clysteres uterinos, cùm sanguinis profluvium impetuosè corpus reddit exangue, recurrunt, & nos sequentem pluries experientiâ comprobavimus, ut

℞. *Aquæ plantag. lib.* j.
Philonij Persici ʒ.iij.
dissolve f. clyster.

Vel syringari potest uterus cum *aquâ Arteriali* n. d. quæ diu asservari potest, quia in compositione non admittit urinam.

Quidam unguentum componunt, quo pubis, perinæi, & renum loca inungunt, ut

℞. *Vng. Comitissæ* ℥.j÷.
olei myrtillorum,
cydoniorum,
rosarum ana ʒ.vj.
boli armeni,
sang. drac. ana ʒ. j.
balaust. ʒ.÷.
aceti ros. parum
m. f. unguentum.

Sed hæc extrinseca medicamenta obsessa non petunt loca, nec extrinseco imperanti obtemperat internus hostis.

Quandoque ad emplastrum recurrunt, quod renum regioni, & inferiori partis ventris applicant, ut

℞. *Malicorij*,
balaust.
hyppocistidis,
boli armenæ,
cortic. ovorum,
Mumiæ,
olibani ana ʒ.j.
thuris ʒ.iij.
farinæ fabar.
hordei ana ʒ.ij.
ol. myrtill. ℥j.÷.

Ceræ,
resinæ q. s.
f. emplastrum.

Sed emplastra parem cum unguentis sortiuntur sortem.

Si nullis remediis sanguinis fluxum sistere vulgares possunt, tanquam ad sacram anchoram, ad cucurbitulas mammis applicandas recurrunt juxta *aph.50. sect.5. Mulieri, si placet, menstrua sistere, cucurbitulam quammaximã ad mammas appone.* Verùm hoc remedii genus sæpesæpiùs malè cedere solet, ex quo Cancrum in quadam muliere, & in quodam juvene ex hæmorrhagiâ raucedinem incurabilem observavimus.

CAPUT III.

De Albo Mulierum fluxu?

PRæter sanguinem, quem naturaliter genitalia muliebria singulis mensibus plorare solent, etiam interdum accidit, ut præter naturam aliæ res per ea excernantur. Inter eas primò est fluor muliebris, vel uterinus ῥοῦς γυναικεῖος, dictus, menstrua alba perperàm appellata, quia interdum est liquor serosus, vel pituitosus excernitur. A quibusdam gonorrhœa muliebris appellatur, sed hi duo morbi maximè inter se distinguntur.

Est nimirum excretio vitiosa ex utero, ubi pro sanguine illuvies quædam, mucosa, & cruda, nunc aquosa, & serosa effluit, hæc ut plurimùm albescit, interdum flavescit, interdum pallescit, viridescit, livescit, & interdum alio vitioso inficitur colore, quæ colorum diversitas apparebit, si linteola hac materia incta, non madida, sed exsiccata perlustrentur. Interdum hæc est parcior, interdum copiosior, interdum acris, salina, & mordax, interdum blanda, & benigna. Interdum inodora, rariùs graveolens, aut fœtida esse solet; solet interdum esse fœtida, si simul exulceratio sit conjuncta, ex qua putulentia fœtida una excernatur.

Non defuêre, qui hasce expurgationes alba mulierum menstrua nuncuparunt, verùm in magno versati sunt errore; vox namque menstrua nil aliud sonat, quàm periodica sanguinis per uterum expurgatio singulis mensibus facta. Vnde sanguinis expurgatio, quæ mulieribus quibusque mensibus accidit, menstrua proprio vocatur nomine, sumpta denominatione à temporis cursu. Prætereà perperàm fluor hîc menstruorum alborum nomine indigitatur, cùm primò namque singulis mensibus, neque citiùs, neque tardiùs (quemadmodum in menstruorum fluxu observare est) manere soleat. Secundò, quia hic fluor à productionis suæ principio ad integram sui cessationem perdurare solet. Tertiò, quia ante, & pòst menstruorum tempore observari solet.

Errat quoque *Galenus* cum discipulis suis, qui dum de his, quæ per uterum expurgantur 3. *nempe de sympt. caus.cap. 4.lib. de diff.sympt. cap.6. & 6. de loc.5.* verba facit, inquit: Quod *dum mulieribus fluor hic evenit, earum universum corpus per uterum expurgatur, evacuaturque.* Errat, inquam; nam si hisce in casibus per universum corpus exoneraretur, morbosa non tantùm non esset, sed maximè salutaris expurgatio ista, ac quia talis fluor morbus omnium consensu, & quidem non parvi momenti est: igitur Galenum errasse confitendum est.

Falsò putârunt nonnulli hunc fluorem iis tantùm mulieribus evadere, quæ

virum

virum passæ fuerint, nam multæ extant observationes etiam puellas octennes, & novennes, quæ nunquam menstruas purgationes ratione ætatis habuerunt, nec virum passæ fuerunt huic ipsi fluori albo fuisse obnoxias. Nos puellulam septennem, alteram quadriennem, equidem ex nostrâ inspectione virgines, quæ nunc adultæ incolumes vitam degunt, ab hoc fœdo eripuimus fluore. Hinc hic fluor albus aliud vitium est à mensium decoloratione, ut perperam aliqui putant, cùm æqualiter tam menstruatas, quàm non menstruatas aggrediatur, tam quæ nunquam menstruata viderunt, quàm etiam quibus jam lege naturæ menstrua fluunt. Solet ut plurimùm hic fluxus familiarissimè affligere mulieres, quibus menstrua cessant: rariùs verò virgines, aut puellas polluit, quia & gravidas afflixisse multoties observavimus. Nullæ itaque ætates ab hoc malo immunes existunt, quæ simul consideratæ procul dubio hunc fluxum cum menstruo minimè convenire demonstrant, estò instante fluxu menstruo sæpiùs sit copiosior propter copiosiorem ejus materiam, ac proinde certam hic fluxus nullam observat periodum, sed nunc assiduis, nunc interruptis quidem, sed variis vicibus recurrit, ac proptereà, ut diximus, circa legitimum menstruationis tempus copiosiùs, & uberiùs scaturit.

Hic fluxus albus distinguitur à gonorrhæâ, estò cum hac maximam habeat similitudinem, quod in hac seminalis materia non est ab utero, sed à seminariis conceptabulis profluit; & menstruis fluentibus non cessat, fluor autem mulieribus sistitur, quando menstrua scaturiunt. Si verò gonorrhœa ex impurâ venere non generatur, tamen in ea semper cum quodam, licèt exiguo voluptatis sensu semen profunditur, quod in fluore muliebri non contingit.

Mercurialis hoc affectu omnes mulieres corripi, & hunc affluxum omnibus semper esse continuum perperàm imaginatus fuit, argumento ductus, quod loci muliebres madeant; cæterùm id perpetuum non est, neque si esset, proptereà fluxus continuus dici debet, aliud siquidem est loca madere, aliud humorem fluere; si enim acris, & irritatus est, continuò fluit, si benigna, non ita.

Menses decolores ab hoc fluxu differunt, quia menses decolores adhuc ad menses, sed depravatos pertinent, color tamen rubet, & adhuc in iis conspicuè apparet; menses verò albi, vulgò dicti, & substantia, & colore à mensibus differunt. Deinde etiam tempore, & modo excernendi à mensibus decoloribus fluor muliebris differt; menses enim decolores etiam suam periodum observant, etsi non semper exactè: fluor verò muliebris alio, quàm menses, fluit tempore, nonnullis continuò, aliis ante, aliis post menses gravidis quoque & quibus menses suppressi sunt, accidit.

Discernitur etiam fluor muliebris à materiâ purulentâ, quæ ex uteri ulceribus funditur, & cum materia purulenta effluit, ulceris præsentis notæ adsunt, quæ absunt in fluore muliebri. Ipsum etiam pus, si sit laudabile, crassius est, & magis albidum, quàm menses albi, & minoris quantitatis; si verò sit saniosum, cruore perfusum est, & cum dolore excernitur.

Discer-

Discernitur à pollutione nocturnâ, quod pollutio ista per somnum saltim accidit, & cum rei venereæ imaginatione conjuncta; cum fluor albus quavis accidat horâ.

Signa.

Fluoris albi signa facilè Medico innotescunt, partim ex ipsius fæminæ ægrotantis relatione, partim ex urinâ perspiciuntur, quæ p. n. est albidior, & crudior, ac sedimentum pituitosum, & inodorum ordinariò observatur, vel nescimus, qui flosculi pituitosi, & albi perspiciuntur; partim ex symptomatibus conjunctis, lumborum, s. abdominis, hypogastrij dolore, cordis palpitatione, atrophiâ, totius corporis gravitate, anhelitûs difficultate, & mutato totius corporis colore. De quo *Hip. de naturâ mulierum* inquit: *Cùm fluxus albus obortus fuerit, veluti urina asinina apparet, & dolor imum ventrem habet, & lumbos & lateris nullitudinem & tumores fiunt crurum, & manuum, & cava elevantur, & oculi tumidi sunt, & color arquatus, & albus fit, & cum iter facit, anhelat.*

Moderatus fluxus nulla gravia symptomata habet conjuncta; immoderatus verò tum quoad materiæ copiam, tum quoad causæ utriusque pertinaciam, habet primò conjunctam virium prostrationem, secundò cachexiam, & manuum, & pedum torporem, sterilitatem, & ad concipiendum maximum impedimentum. Humores, qui fluorem constituunt muliebrem non semper ejusdem sunt naturæ; nam modò sunt albi, & pituitosi sero lactis persimiles, modò pallidi, aut lividi, modò ad viriditatem vergentes, aut subrubri, & saniosi, modò fætidi, vel fœtoris expertes. Ægra rectissimè referre potest, quænam humorum, qui excernuntur, sit qualitas; eadem tamen è linteis, quibus humor iste excipitur, facilè patescit, si n. ut Hip. 2. de morbis mulierum docet, lintea infecta arefacta simplici aqua, laventur, & siccentur in umbrâ, ac post inspiciantur, manifestè abundantis excrementi colorem referunt, qua ratione à cognatis vitiis discerni potest.

Si humor sit acer, & putris, sæpè febres lentæ accidunt; si pituitosus, & copiosus, ac laxiorem uterum reddat, uteri procidentia excitatur.

Cùm hujus fluoris signa Medicum de malo certiorem fecerint, in his non tantùm inhærendũ, sed ulteriùs inquirendũ est, ubi s. vitiosus ille generetur humor. E toto corpore pravum illum confluere humorẽ cognoscitur ex eo, quod in toto cacochymiæ signa adsunt; & nullius morbi signa in utero reperiuntur. Si verò ex aliqua parte humores illi ad uterum confluunt, ejus affectus signa aderunt, quæ ex prædictis nota sunt. Si verò ex utero ipso solùm hic fluxus originẽ ducat, nec cacochymiæ in toto corpore, nec ullius partis affectus signa adsunt. Si verò à solo utero fluxus hic proveniat, materia pauca est, utpotè quæ solius uteri est excrementum; si verò à toto, vel alia parte, copiosior.

Causæ.

Causa immediata album mulierum fluorem progignens est succus alimentitius totius, & uteri nutritioni destinatus, qui crudus vitiosus, & copioso sero acri dilutus massæ san-

ſanguineæ communicatur: tunc enim tranſcolatur à ſanguine ſine ſanguine, cùm non ſolùm extra conſuetum ſanguinis fluxus tempus accidit, & ſanguis retinetur, & vitioſi humores detruduntur, quod etiam in alvi fluxibus, & vomitibus accidit, in quibus quoque materia è venis evacuatur. Detruduntur iſti humores ad vaginales uteri glandulas, cum ſint ad rum totius, quàm uteri nutrimen inepti, quaſi per modum coryzæ, ad univerſale emunctorium (eſt uterus veluti cloaca, quod quàm totius Corporis excrementa confluunt) deponuntur, & per uteri orificium, quod ſenſim laxatur, & glandulæ, quæ ſi reſolvuntur, continuo madore depluunt, & quâ data portâ ruunt. Eſt iſte morbus veluti graſſator, qui non modò proximas, ſed etiam diſſitas partes ſuo ſpoliatus nutrimento, in putidum præcipitat liquamen: id clarè patet; nam oculi concidunt, malæ labeſcunt, & cætera membra ſuo defraudata nutrimento ſolitò graciliora evadunt. Huic præterea affectui ſemper cachexia copulatur, & viſcera ſuo debito deluſa nutrimento languent, & eorum vitalia fermenta enervantur, & præcipuè ſtomachus, qui ſuo naturali deſtitutus fermento, nec alimenta ſubigere, nec ſpiritualiſare poteſt, ſed in crudam, & vitioſam transformat mucilaginem, quæ nullo correcta loco per univerſale emunctorium mulierum tanquàm totius corporis cloacam, ut eſt in navi ſentina, laxum, & adapertum, datâ portâ fluit, & præſertim ob partis declivitatem, & hiantem uterum: & temporis progreſſu ob conſuetudinem, quæ eſt veluti altera natura, quemadmodum his contingit, qui acrem tabaci fumum per tubulum attrahunt in buccam, huic continuato aliquandiù uſui aſſueſcunt, poſtmodùm enim hæc conſuetudo in naturam quaſi congenitam abit, ita ut ſemper os ſalivâ madeat, & tamen vera ſaliva non eſt, ſed lympha corporis à depravatâ conſuetudine continuò contracta: ita etiam fit in tali utero vel multam affrictionem, vel per plures abortus, aut nimios menſium fluxus paſſo, ut deinde naturam quaſi ex conſuetudine induat continui corporis alimentum lympha acri dilutum, & conſpurcatum exturbandi, & hac ratione virgines tale quid rariſſimè experiuntur.

Præcipua hujus albi fluoris cauſa eſt conſtitutio frigidior, & pituitoſior, ac caloris nativi imminutio, unde mulieres conſiſtentis, vel occiduæ ætatis huic affectioni ſunt obnoxiæ: juniores autem, & robuſtæ magis ſanguinis profluvio tentantur. Hic fluor albus his frequens eſt, quæ vitam deſidioſam degunt, & habitu molli, laxo & phlegmatico præditæ ſunt, & omne corporis exercitium averſantur; eapropter non facilè hic morbus agreſtes, & laborioſas adoritur mulieres, ſed ſolùm urbanas, & vitæ ſedentariæ deditas familiariter, & inprimis victu frigido & humido utentes. Eximiam in dorſi ſpina, lumbis, vel utero refrigerationem paſſis hoc malum frequenter accidere ſolet, ſive hoc fiat ex frigidiſſimi aëris afflatu, ſive ab aſſiduo aquæ frigidæ alluvio, lotricibus, & quæ multùm mulieres in aquâ verſantur. Quandoque evenit à ventriculi imbecillitate, necnon ab effectibus frigefacientibus, ut ſunt mœror, timor, terror, triſtitia, avaritia, & tenacitas ſibi ipſi multùm detrahens, & ex parſimoniâ vili victu ſe macerans, unde ob talem defectum mala ſequitur nutritio, &

& prava alimenti confectio. Intermissio vitæ laboriosa etiam frigidum inducit habitum, & sic duplici modo cruditates, & sanguis nutritioni ineptus progignuntur. Unde magnus Lymphæ acidæ proventus emergit, quæ irritat, & ad sui excretionem provocat. Quibusdam ab uteri imbecillitate, prægnatione, partu, vel ab externâ injuriâ accidit. Item ingens coëundi tam immaritatis, quàm viduis, & virginibus desiderium; salaces namque semper uterum hiantem, & quodam ichore stillantem habent, ac proindè huic fluori obnoxiæ sunt, imprimis ubi semel laudabilis victus ratio adest, vita sedentaria, & curis vacua.

PROGNOSIS.

Fluor muliebris malum diuturnius est, & præsertim familiare ætati occiduæ, cachecticis, aut quibus menstrua substiterunt, aut non ampliùs fluunt, & virginibus chlorosi laborantibus. Infestat ut plurimùm mulieres corruptas, aut quæ pluries pepererunt, vel abortu passas, vel uteros in nimio coitu exercitatos, vel nimiâ humiditate madentes. Cui malum hoc accidit, non facilè removetur, & quamdiù in utero immoratur, eum majori lubricitate humidum reddit. Fluor hic in aliquibus indesinenter perseverat, in aliis autem per intervalla redit, & difficulter remediis cedit. Invalescentes os uteri relaxat & hians ita conservat, ut semen corrumpat, vel uteri lubricitate retineri non possit, & sponte fluit, ac ad concipiendum inhabilitat. Putidum reddit uterum, mulier sibimet fit gravis & coitus usus viro redditur abominabilis, & virgæ noxius. Malum perniciosum est, quippe temporis progressu fluor intenditur & uterum immedicabiliter exulcerat; natura enim huic effluxui penitus assuescit, ut fiat alicujus fistulæ instar. Quandoque ex nimio effluxu uterum lubricat, & prolapsum facit. Insuper totum ægræ corpus refrigerat, & tumidum reddit ob feriantem in frigore transpirationem superfluæ humiditatis per poros, imprimis faciei, oculorum, & procedente patiens fœtidè pallet, gracilescit, mœret, fastidit, pigrescit, dolet, & in lumbis gravatur. Fit cachectica, & hydropica, vel tabida, vel atrophica, & mors ante fores cubat. Eò deterior est hic fluxus, quò humor pejor est, ut si sit lividus, cruentus, fœtidus, aut luteus, quàm albus, & pallidus. Faciliùs hic fluor in principio curatur, dum causæ, à quibus originem habet, nondum patentes sunt, nec radices egerunt; progressu verò temporis difficilior redditur, & totũ corpus tandem excrementa per hanc viam, & suum alimentum corruptum eliminare assuescit, aut ipse uterus debilior jam redditus aliena excrementa faciliùs suscipit. Huic fœdo fluori in principio occurri debet, nec tamen statim sistendus, donec vitiosa colluvies, sit eliminata aut correcta aliàs atrox capitis dolor, convulsio, cardialgia, vel hydrops ex intempestiva fluoris restrictione excitatur. *Si muliebri fluxui convulsio, aut animi defectus superveniat, malum. sect. 5. aph. 57.* Quia malum vehemens est, vel diu duravit, & materia cerebro, & nervoso generi communicata est. Fluor hic in Vetulis prope incurabilis est, & eas ad mortem usque comitatur.

CURATIO.

Totus fluoris muliebris cardo pro curatione in causarum semotione versa-

ur, quibus ablatis, aufertur fluor, ad causas tamen abigendas medicamentis diætã copulemus oportet, nam hæc duo ad totalem sanationem conspirant, hanc diætam, seu victûs rationem in sex rebus non naturalibus venamur, ac proindè.

Aër eligatur serenus ad calidum aliquantulùm vergens, & siccus. Vitetur pluviosus, austrinus, & frigidus.

Cibus sit boni succi, facilisque fermentationis, ne cacochimiam, & fluorem intendant, & Cœnam aliquando, imò semper non attingere saluberrimum censemus. Cibus qualitate suâ humori peccanti sit oppositus, siccandi nempe energiam continens, quia utplurimùm humores crudi, & pituitosi peccant, vel saltim commiscentur; ac proinde omnia cruda, & uda, ut olera, fructus horarii, pisces molles, lac, pinguia, dulcia, salsa vitentur, & præ aliis acida, quia sero, & glandulis sunt hostilia; hunc namque fluorem mulierculas acetariis abutentes plerùmque hisce in nostris regionibus, & alibi, frequenter corripere compertum habemus. Sed non objurgare non possumus maleferiatos Galenicos, qui humores istos pravos adstringentibus eduliis, & medicamentis coërcere student, ut cydoniis, pyris, omphacio, acetosâ, amylo, orizâ cum lacte coctâ, vel carnibus addito succo granatorum, berberis, ribiumque. Hæc enim talia excrementa in corpore retinent, & alias partes nobiliores impetere, & alia graviora mala excitare possunt: ni forsan propter nimiam uteri humiditatem, & laxitatem talia adhibeantur.

Potus sit vinum rubrum, & austerum pro assuetis, quæ à vino omnino abstinent, decocto sassafras, vel herbæ Theæ utantur, verùm potus sit in paucâ quantitate.

Motus sit moderatus, ut ambulatio animi gratiâ ad corroborandum tantùm calorem naturalem, & ad corporis absumendas superfluitates; vitetur immoderatus, ut chorea, cursatio, equitatio &c. quæ totum concutiunt corpus, humores in calefacto esse ponunt, liquant, & ad muliebre colluviarium depluere faciunt.

Quies non sit nimia, nec sit vita sedentaria, & in desidiam abeat; hæc namque animum debilitat, & multas congerit in corpore superfluitates, quæ deindè ad mulieris sentinã decumbunt.

Somnus sit etiam moderatus, quia calorem auget naturalem, membra corroborat, humores concoquit crudos, superfluos resolvit, & omnẽ tollit evacuationem; Immoderatus verò, & diuturnus calorem naturalem reddit inertem, & phlegmaticos multiplicat humores. Ægra supina non dormiat, nè calefactis lumbis, humores confertim uterum versus confluant.

Vigilia suos non transgrediatur limites; nam intra suos posita lares omnes corporis superfluitates eliminat; excessiva verò cruditates gignit, spiritus resolvit, corpus attenuat, & macie suffundit.

Excernenda excernantur, & *retinenda* retineantur, ac proinde consuetæ excretiones, ut alvus, urina, sudor, saliva, mucus, & alia excernenda per consuetos ductus in suo robore conserventur, & assumptorum quantitati correspondeant, ne malum intendant, & insensilem evacuationẽ omni sensibili majorem in suo cursu cõservemus oportet. Cave, ne menstrua provoces; nam fluorem album pro menstruo sanguine opiparè concitabis.

Animi passiones malignæ omnino abigantur, ut desperatio, mœror, timor &c. quia à corporis circumferentiâ ad centrum, putà uterum recurrunt, corpus à

ſuo naturali ſtatu immutant, ſpiritus dejiciunt, ſanguinem ſubvertunt, & uterum impetũt: omnes namque malignæ paſſiones malignam in utero primariò cudunt Ideam, ejuſque œconomiam ſubvertunt, unde malum adaugent. Ex animi itaque pathematibus ſolam ſpem, & gaudiũ maximoperè huic affectui conferre obſervavimus; nàm alit afflictus, & gaudium calorem excitat naturalem, facultates corroborat, ſpiritus purificat, digeſtionem juvat, ſanitatem conſervat, morbos pellit, & vitam prorogat. Mulier itaque huic ſpurco fluori obnoxia, ne iraſcatur, non mœreat, omnem abigat timorem, lætos peragat dies, & perpetuò bonâ ſuæ ſalutis ſpe fruatur. Abſtineat ægra à Veneris deliciis; nam in ejus uſu ſuccutitur, incaleſcit, & in ſubagitatione æſtuat uterus, & hanc verſus non fluxus, ſed profluvium album irruit, & malum ruit in pejus.

Aſſignatâ victus ratione, pharmaceuticam partem veſtigemus oportet, & ea medicamenta, quæ tam recentem, quàm chronicum fluxum album curant, magnâ ſolertiâ ſuggeremus: perpetuò ea vitanda medicamenta; quæ adſtringunt; nam hæc ea excrementa, quæ è corpore eliminari neceſſe eſt, retinent, & alia graviora mala priori pejora concitare poſſunt. Tota igitur recta curatio in cauſarum occaſionalium correctione, vel totali remotione conſiſtit, quibus ablatis, fluxus deſinit, quod totum per medicamenta convenientia, ſymptomatis maximè urgẽtis mitigationem, & per glandularum cervicalium corroborationem contingit. Fluor mulierum albus, ſi diu duraverit, non ſtatim ſupprimendus eſt, aliàs graviora parit ſympthomata.

Pro rectâ itaque fluoris uterini curatione primò ſtomachi maximè habenda eſt ratio, ut probus ſuccus alimentitius conficiatur; hic enim non tantùm totius, ſed etiam uteri nutritioni deſtinatur. Hinc optimum, & laudabilem nutritium ſuccum omni medicamentorũ ſupellectili procurare neceſſe eſt, eapropter optimum fermentum ſtomacho redire ad optimam nutritionem (quod à Paracelſo Alchymiſta ventriculi nominatur) oportet, hoc namque optimè ſe habente non tantùm totius, ſed etiam uteri ſalubris ſuccedit nutritio, & curatio ex voto ſuccedit, aliàs ægra in eodem valetudinario jacebit. Secundò ſanguis crudus, vitioſus, & acri lympha dilibutus, à quo Cachexia geneſim ſumit propter pravam digeſtionem, corrigendus, & emendandus. Tandèm ſpecificis huic malo inſiſtendum eſt, & talia eſſe debent, quæ ſerum acidum temperant, & ſuperfluas ſeroſitates imbibunt, vel eas eliminant, & hinc poſt ſe adſtrictionem relinquunt, & partium, præcipuè uteri corroborationem moliuntur.

Circa venæ ſectionem ſanguinarii Galeniſtæ rixantur, & obſtinatè in aliquibus celebrandam tuentur, ut ſi malum ortum habeat ex menſium ſuppreſſione, vel à plethora, vel à corpore, quod nondum ſit emaciatum. Verùm de umbrâ aſini altercantur vulgares; nam ſuppreſſionis indicativum eſt menſes ciere, & hoc fluxum augere poteſt, & ſi diu ſuppreſſio perſiſtit juxta ſubjecti conditionem cachexiam progignere poteſt. Nec plethorica mulier in album fluorem ruit, niſi priùs cachexia corripiatur. Si corpus nondùm ſit emaciatum, timenda eſt macies, præcipuè cùm ſit morbus chronicus, ac proinde ſanguinis eductio ſemper periculum minetur. Verùm noſtra ſententia rationi magis conſentanea eſt, ac propterea venæ ſectionem nullo modo in hoc affectu neceſſariam eſſe ſentimus; nam fluor hic à cacochymia

ſuam geneſim agnoſcit, quæ per phlebotomiã ad venas attracta ſanguinem conſpurcare valet, ideoque nullus phlebotomiæ locus eſſe videtur. Præterea in cacochymo hoc affectu vires aſſiduè proſternuntur, & corpus non rarò tabeſcit, phlebotomiâ eò magis labefactatur, & ſuo alimento fruſtratur: præſtat igitur à venæ ſectione abſtinere.

Hujus affectus curationem ab univerſali peccantis humoris evacuatione, quæ illius naturæ convenit, exordiuntur vulgares: verùm purgantia propriè dicta magna circumſpectione, & rariſſimè in uſum veniant, quia noxia ſemper, vel parùm aut nihil juvare, quin potiùs fluorem magis augere experti ſumus. Cautè itaque propinanda ſunt purgantia per inferiora, aut omnino omittenda, ac proinde ubi eadem expoſcit neceſſitas uſurpanda ſunt maritata, ut jalappa cum rhabarbaro, ut

℞. jalappæ,
rhabarb. pulveris. ana ʒ÷.
m. cum elect. de ſucc. roſ.
f. pilul. magnitud. ciccrum
& deaurentur.

Vel *℞. Reſinæ jalappæ,*
Merc. dulcis ana ℈j.
m. cum ſyr. de Cichor. Nic.
f. pilul. iij. *& deaura.*

Vel *℞. M.P. de agarico* ʒ.j÷
m. cum mell. roſ. ſolut.
& formentur pilul. V. deaurandæ.

Vel *℞. rhabarbari* ʒ j÷.
m. cum ſucco bryoniæ,
& mell. roſ. ſolut. f. pilulæ.

Vel *℞. Reſinæ jalap. gr.* XII.
agarici trochis. ʒj.
m. cum cathartico roſ. &
f. pilulæ deaurandæ.

Hæc, & id genus alia medicamenta vim ſolutivam habent, cujus noxam à purgante inductam adſtrictione quadam relicta emendant, parteſque roborant; quæ à vulgaribus perperam compreſſiva vocantur.

Purgantibus potiora emetica in hoc affectu arbitramur, in iis præcipuè quibus facilis eſt vomitus; humores namque crudi, qui circa ventriculum hoſpitantur, vel viſcidi ejus tunicis fortiter adhærent, vomitu exturbantur, tum etiam ab utero potenter revelluntur. Vomitus commodè inſtitui poteſt poſt cibum à duabus, vel tribus horis, quia tunc temporis phlegmatum congeries unà cum cibo faciliùs, & minori cum moleſtiâ evomitur, & in hac concuſſione per facta excrementitioſorum ſaburra ab infernis ad ſupera fit revulſio. Cave, ne mulieribus jejuno ſtomacho, emetica præbeas, quia ſunt puſillanimes, & in ſpaſmodicis ventriculi motibus mori imaginantur, & in agone verſantur; ad vitandum itaque omnem metum, & forſan veneni ſuſpicionem præſtat cœnant juxta mediam noctem, & affatim omni eduliorum genere ſe infarciant, & de mane præbeatur emeticum, ſed lene, hujuſmodi eſt, ut

℞. Diaſari Fernelii ℥÷.
oximel ℥. j.
juris pulli tepidi q.ſ.m.

Vel *℞. Aquæ Æſculapii* ℥iij.
Vel *℞. Hippocras emetici cochlearia.*

Et poſt duas vomitiones exhibeatur juſculum tepidum ad majorem vomitûs facilitatem. Verùm emeticum juxta neceſſitatem reiterari poteſt ad prudentis Medici arbitrium.

Cùm ſuccus alimentitius non tantùm totius, ſed etiam uteri nutritioni deſtinetur, & quandoque vel in propriâ culina, vel in partibus alendis depra-

vari accidat; maximâ solertiâ Medicus, ut probè in ipsâ officinâ generetur, incumbere debet, ut purus putus in omnes còrporis partes pro nutritione, & præcipuè in uterum deferatur, & in itinere alicujus fermenti vitio in aliquo viscere hospitantis ne conspurcetur & pravâ indole imbutus ad mulieris emunctorium pertingat, vel vitio fermenti uterini in ipso utero, & cervicalibus glandulis degeneret. Vt tanto malo consulamus, primò ventriculi ratio habenda est, ut coctionis munere integerrimè fungatur. Si itaque stomachus diminutè concoquat, & separatio utilis ab inutili diminuatur, non tantùm externis præsidiis, ut fotibus, inunctionibus, sacculis, & stomachicis scutis, sed etiam internis fovendus & corroborandus est, hujus energiæ est *Syrupus, vel julep. de cinnamomo, corticibus citri, menthâ, elixire Helmontiano stomachico, proprietatis destillato, Paracelsi, oleo cinnamomi, vel hujus tincturâ, chocolatis tincturâ*, & id genus aliis quæ stomachum diminutè concoquentem sublevent, & quæ variè combinata in variis formulis propinari possunt.

Si verò stomachus depravatè concoquat, magnus fit ob depravatam coctionem aciditatum, & serositatum proventus, quibus assuetus ventriculus chronicorum morborum in causâ est. Ad hanc itaq; emendandã culpam *Martialia*, inter quæ *tinctura Martis dulcis n. d. Tinctura Martis aperitiva Battimelli*; *crocus Martis aperitivus, essentia Martis &c.* ad multas auroras cum aliquali exercitio conducunt, de quibus in *nostra Trutina* capite de Melancholiâ hypochondriacâ. Pro fæmellis pauperibus sufficiet *vinum Martiale*. Conducunt prætereà tartarea, ut *sal volatile* tartari, tinctura, tartarus vitriolatus, sal absynthii, *sal centaurii minoris, spiritus salis coagulatus Amynsichti, sal armoniacum aperitivum &c.* Pulvis stomachicus Quercetani, Poterii, quæ omnia aciditatem imbibunt, corrigunt, destruunt, & tubulorum obstructiones patefaciunt.

Si vitium & fluoris in causâ sit hepar, appropriatum remedium erit rhabarbarum; nam ab aliquibus hepatis anima vocatur; si lien sit causa occasionalis, hæc eadem supra deobstruentia appropriata videntur, si mesenterii glandulæ fluoris uterini causæ sint, hæc eadem conducunt.

Huic malo si cachexia conjuncta sit, ut semper fidus Achates it Comes, & ex obstinatissimis obstructionibus haurit originem, tunc præter annotata medicamenta *pulvis cachecticus simplex* à nobis descriptus. Pulverem cachecticum Quercetani maximopere improbamus, cujus nullus debet esse usus, quia nimio sulphuris abundat, qua de re acidum peccans non absorbet, & ità à Quercetano describitur:

℞. *Limaturæ chalibis cum sulphure calcinati* ℥.j.
fœculæ radicum aronis ʒj ÷
ambræ gryseæ ʒj ÷
essentiæ corall.
margaritarum ana ʒ ij.
corn. cerv. philosophicè præp.
succini præparati,
cinnamomi ana ℈ iv.
sacch. ad pondus omnium.
fiat pulvis

Hunc longè superat *pulvis cachecticus à Ioanne Zuuelfero* in Pharmacopœjâ Regiâ descriptus. ut

℞. *Vitrioli Martis* ℥j ÷
magist. nostri solubil. corallor.
matris perlarum,
oculor. Cancr. ana ℥ ÷.

Cre-

Cremoris tartari ℥j÷
elæosacch. cinnam. ℥j÷
Croci Austriaci ʒj÷
f. omniũ pulvis in vitro custodiendus.

Sumitur in vehiculis appropriatis á ʒ÷ ad ℈ij.

Optimum pro cachexiâ remedium erit *Bezoardicum Martiale*, & omnia Martialia supra descripta eâ methodo, ut emeticum, vel catharticum præcedat. Confert etiam *Elixir cachecticum, & elixir cachecticum alterativum, & laxativum.* Hæc namque omnia aciditatem acidam emendant, quia ex primæ digestionis vitio oritur, quæ cruditas ad sanguinis massam unà cum succo alimentitio delata, illius fermentationem inhibet, & hæmatosim turbat, unde sanguis crudus, viscidus, austerus, saturninus variis particulis inquinatus generatur, in suo retardatur motu, & totum corpus conspurcat; ac propterea anticachectica omnem aciditatem absorbent, immutant & dulcificant: cruditates emendant, & corrigunt: visciditatem acidam sanguinis massæ communicatam incidunt, subtiliant: lympham acidulatam repurgant, sanguinis discrasiam temperant, illumque à saturninâ indole eripiunt, laudabilem, & temperatum reddunt & conservant, ac suo naturali motui fermentativo, & circulo restituunt.

Alii ad corrigendam cachexiam, & album fluorem indè ortum sistendum, & eradicandum multa specifica commendant, & præsertim *decoctum rorismarini* continuatum diutiùs, quosvis fluores mulierum albos semper felicissimè sanare asserit *Lindanus*, nec opus esse alio remedio, & certè rosmarinus nobile est vegetabile in affectibus mulierum curandis. Sunt nonnulli, qui *rori-marino folia menthæ & melissæ* adjungunt, ex quo ternario medicamenta quæcumque anticachectica componunt, quæ continuato usu malum tollunt. Sunt & alia contra cachexiam, fluoris muliebris occasionem, appropriata & specifica experta, ita *radix galangæ*, *cyperi*, *caryophillatæ*, *sampsuci*, & horum *oleum destillatum*, sicut etiam vulneraria, ut *alchimilla, agrimonia, veronica, &c.*

Specifica in hoc fluore sunt omnia, quæ acidum temperant, serositates imbibunt, & post se aliqualem adstrictionem relinquunt, ut *Antihecticum Poterii ex quartâ parte reguli antimonii, & parte quintâ Iovis cum triplo nitri detonantis. Corallia rubra variè præparata; lapides cancrorum, mater perlarum, stibium diaphoreticum, ebur, & cornu cervi præparata, Magisterium Saturni, cinnabaris, antimonii, pulveres viperarum, saccharum aluminis, crystallus præparata, ostiocolla,* &c. in diversas formulas combinata, & iterata in appropriatis liquoribus.

Inter acidum attemperantia, & destruentia *Lac* primas obtinet sedes; nam alimentum medicamentosum est, ac proinde nutrimentum dulce reddit, sanguinem acidulatum temperat, quamlibet nostri corporis aciditatem destruit, & quodcumque fluidum incrassat, ob pinguem, & oleosam substantiam, sed sumi debet illis regulis à nobis alibi descriptis.

Conveniunt quamoptimè gummata, & resinæ, & in dicto fluore, præsertim terebinthina, quæ ut in gonorrhœâ maximarum est virium, quia est affectus glandularum, ita in fluore muliebri, qui ab aliquibus gonorrhœa appellatur, &

quandoque Medicis accipiunt quid pro quo.

Hac quoque ratione conveniunt aromatica balſamica, quia acidum corrigunt, & exturbant, ita ſunt *radices iridis florentiæ*, *helenii*, *galangæ*, *biſtortæ &c.* Non contemnenda inter herbas *matricaria*, *ſabina*, *origanum*, *& artemiſia*. Salutaria putamus ſalia volatilia ex his vegetabilibus elicita; morbis namque chronicis, & liquoribus acidè auſteris corrigendis quàm maximè valent.

CAPUT IV.

De Sterilitate.

NOn opus eſt ſterilitatem delineare, cùm ex ſe pateat, & quiſque eam quotidie apud Ditiores obſervet, qui numeroſam prolem ſuſtentarent ob maximum argenti, & auri pondus congeſtum, & tamen liberis carent, & hac de causâ infeliciſſimi arbitrantur, quia non habent, quibus, uberrimam ſuam hæreditatem relinquant, unde vitam quam à parentibus hauſerunt alii communicare non poſſunt, & eorum nomen cum campanæ ſonitu evaneſcit. Hi ingenti auri pondere fœcunditatem amarent, ſi poſſibile eſſet, & tamen ſæpeſæpiùs debitis adhibitis remediis fæcunditas vindicatur, ſi à naturalibus cauſis fovetur. Interdum verò ex ſingulari, imperſcrutabili, & juſto Dei judicio liberi denegantur, ut illorum memoria deleatur de terrâ viventium, ut in Sacris litteris multa extant exempla, & tali ſterilitati à Deo immiſſæ mederi velle fruſtraneum judicamus. In aliis verò ſterilibus aliqua ſpes affulget, ut teſtatur experientia.

Sterilitas non eſt ejuſdem generis; nam quædam mulieres à primo ortu, vitio aliquo contracto in utero, ſteriles ſunt. Aliæ non ſimpliciter ſteriles ſunt, ſed reſpectu ad virum, quæ poſtea, quia prudentes ſunt, mutato ſemine, concipere ſolent. Aliæ ob morboſam aliquam uteri conſtitutionem, non concipiunt, qua ætatis progreſſu, aut arte mutata, & in meliorem frugem redactâ poſtea concipiunt, & quæ juvenes ſteriles erant, adultiores deinde concipiunt. Denique quædam ſunt, quæ quidem ſemel, vel aliquoties pepererunt, & poſtea ſterileſcunt, aliquo in partu contracto vitio, quod deindè conceptionem impedit.

Sterilitas igitur nil aliud eſt, quàm impedimentum, & privatio illius feracis benedictionis Dei, quam ſuis creaturis impertivit. *Et creavit Deus hominem ad imaginem ſuam: ad imaginem Dei creavit illum maſculum, & fœminam creavit eos. Benedixitque illis Deus, & ait: Creſcite, & multiplicamini, & replete terram*, tempore ſcilicet, opportunus jam præſente, quæ impleri deberet. Steriles apud vulgus non tantùm vituperabiles exiſtimantur, verùm etiam antiquitus erat infamiæ nota in familia, unde ab Eccleſiæ Dei introitu arcebantur.

Hujus morboſi affectus omnium Medicorum conſenſu reſpectu mulierum pars affecta eſt uterus cum annexa tuba fallopiana, & ovario, quidquid dicat Salmuth, alibi à nobis citato, de fœtu digiti magnitudine per os rejecto. Verùm enimverò non tantùm hic defectus ad mulierem verti debet, ſed

ſed ad humani ſeminis vitium; nam ſi terra ſit fœcunda, & infœcundo conſpergatur ſemine, nulla ſuccedit conceptio, & ſi ſemen infœcundum ſit, & ſterilis terra, idem dicendum, quia *non omnis fert omnia tellus.* Itaque quandoque utriuſque vitio ſterilitas contingere poteſt, ac proinde utriuſque ſigna adducemus, & curationem inſtituemus.

SIGNA.

Veteres Medici fœminæ, an viri reſpectu eſſet ſterilitas, hiſce venabantur. Primò, ſperma utriuſque conjugis ſenſim in aquam infundatur, & quod ſupernataverit, fœcundum eſt, quod ſubſidet, infœcundum. Secundò, utriuſque ſemen inſpergito ſuper lactucæ, vel teneræ plantæ radiculas, & quod illas exſiccaverit, ſterile eſt. Tertiò, Accipe ſeptem tritici grana, ſeptem hordei, & ſeptem fabarum, mingat ſuper ea uterque conjugum ſeorſim, ſi poſt ſeptem dies naſcantur, fœcundus eſt is, qui minxerit, ſi non naſcantur, ſterilis. Quartò, ſi alter conjugum mingat ſuper malvam, & areſcat, ſterilis eſt, ſin minùs fœcundus. Quintò, ſi vir dies novem, aut circiter mingat in uno vaſe, & mulier in altero, in quibus ſint furfures cocti, in cujus vaſe vermes citiùs enaſcuntur, ejuſdem eſt ſterilitas. Quorum tamen ſignorum priora abſque ſcelere deſumi nequeunt, & omnia ridicula, & vana cenſentur, & potiùs ſterilitatis ſuſpicionem arguere, ſi vir uxorem cum priori marito fœcundam implere non poſſit, aut ſi fœmina ex marito cum prægreſſa uxore fœcunda non concipiat quanquam, & hoc ex diſparitate provenire poteſt, quippe ſæpe fit, ut neuter coeuntium ſit ſterilis, ſed quia eorum ſunt abhorrentes naturæ, idcirco nihil ex ſeſe, ex aliis verò generare poſſunt, ſic amborum impensè calidorum, aut frigidorum non facilis eſt conſenſus, temperamentorum, aut etiam contrariorum perinutilis cenſetur congreſſus.

An mulier ſit ſterilis, ut nullatenus concipere poſſit, an hoc vitium in marem vertatur, hoc à priori perſcrutari impoſſibile judicamus, & quod de ſuffitu *Hip. aph.59.ſect.5.inquit: Si mulier non concipit, ſcire autem velis, ſi conceptura ſit, pannis circumtectam infernè ſuffias: & ſi odor per corpus iret ad nares, & os, ſcito, quod ipſa non ex ſeipſa ſterilis eſt,* quod incertum, & fabuloſum exiſtimamus, experientiâ duce.

Manifeſta ſterilitatis ſigna ſunt, & difficilem non habent diagnoſim, cauſæ, quæ ſeminis receptionem impediunt, & hæc ſenſibus patent; facilè enim dignoſcitur ætas tenuior, aut provectior, mala partium uteri vicinarum conformatio, ut quando mulieres ſunt curvæ, gibboſæ, ventricoſæ, claudæ, vel crura diſtorta, aut depreſſum coccygem habent, & nimis pingues, cogitandi anſam dent, tales in ſitu, & decubitu ad coitum apto impediri ſeminumque debitum concurſum fieri non poſſe. Eandem debitam ſeminis receptionem impediunt in utero tumores, ut ſcirrhus, hydrops, prolapſus, ulcera, aſtrictiones, clauſus, & partium genitalium diſtorſiones, quæ obſtetricis, vel chirurgi exploratione innoteſcunt. Mulieres, quæ faciem habent morboſè pallentem, inflatam, laxam, vireſcentem, luridam, fœdè coloratam, menſtruorum defectum indicant, & conſequenter ſterilitatem, vel

cachexiam, leucophlegmatiam, hydropem, aliumque gravem affectum habent, & sic morbo durante non concipiunt, vel alio quovis gravi laborant morbo, ut gonorrhœâ, fluore albo, lue venereâ, cancro, hectica, calculo, ulcere vesicæ, ejusque affectu quovis morboso, quorum indicia partim ex lotii inspectione, partimque obstetricis exploratione habentur. Partim ex moribus, & vitæ actionibus sterilitatis signa eruuntur, quæ semen effœtum reddunt, ac proinde fæmina continuò sedens, pigra, & somnolenta, pallida, flaccida, ac carnis laxitate, menstruis suppressis, vel copiosis, tenuibus, vel aquosis prædita, vel parcè, aut inordinatè fluentibus, nec non catarrhis, & defluxionibus obnoxia, & humidum habet uterum, coitum non appetit, minorique in eo afficitur voluptate. Stupidæ sunt circa pectinem, lumbos, & crura mons Veneris est lævis, & sine pilis, semen crudum, & tenue cum exiguâ voluptate excernit, sive ea talem connatum habeat habitum, vel pravâ diætâ, esu nimirum crudorum fructuum, & olerum, diuturno, & largo multæ aquæ frigidæ, aliorumque refrigerantium haustu sibi acquisiverit.

Vel à constitutione uteri calidâ, & siccâ pendet, qualis est in viraginibus, & hanc indicat facies rubicunda, pilis, superciliis nigris, his additur frequens iracundia, nimia in omnibus actionibus promptitudo, fortis vox, & virilis, verruculam unam, aut alteram in mento pilis obsitam gerens, vel etiam aliquantulum in circuitu oris pilescere velle visa, seu lanuginescens, uti fit in adolescentibus prima circa os lanuginis vestigia ostendentibus. Menstruorum paucitas, color ruber, obscurus, calor, & acrimonia, ut sæpè pudenda exulcerent. Genitalium pruritus, maximum, & flagrans ad Venerem desiderium; prompta, & celeris seminis in coitu excretio; pollutiones frequentes, & libidinosa insomnia.

Siccam uteri constitutionem significat mensium paucitas, oris uteri siccitas, pruritus, & fissuræ, quæ rhagades dicuntur; pauca in coitu seminis excretio; ex nimio coitu molestia. Corporis gracilitas, & summa macies, vel obesitas; utraque enim sanguinis defectum, & inopiam arguunt: obesitas quidem, quod sanguis in pinguedinem mutatur, & coagulatur, ac parum sanguinis in venis remanet; macritudo verò, quod exhaustio, & inanitio corporis præcessit, vel per severam jejunii castigationem, vel progressi morbi depascentis, vel hæmorrhagiam, vel profluvia, vel improbos labores, vel sudores, aut vigilias, ulcera ubertim manantia, & fonticulos multùm effluentes; singula hæc corpus exhauriunt, & cruorem imminuunt, quem nisi redintegratum ordinarius mensium fluxus indicet, fæcunditati locus non est.

Signa autem sterilitatis ex veneficiis diabolicis parùm sunt, nec causas, & rationes manifestas judicare possunt, nisi quod plerùmque tales conjuges se invicem implacabili prosequantur odio; neuter tamen odii causam, vel rationem reddere potest, imo & interdum seminis utriusque ejaculatio, rarò, difficulter, & cum labore fit.

Descripsimus signa, quibus mulieris sterilitas dignoscitur, sed quandoque hæc non uxoris, sed viri vitio vertitur, & frustrà illa multorum remediorum usu torquetur. Sterilitas à viro procedens dignoscitur ex morbis partes genitales obsidentibus, ut est nimia ventricositas, vel hernia mutuam genitaliũ copulationem debitam impediens, vel qui penem habet improportionatum; minus enim brevis semen ad uterum deferre non potest,

excessivè longus infæcundus, valde crassus uterum impensè aperit, & semen effluit, nec facilè post concubitum clauditur. Vel vir semispado, vel decrepitus, semen tenue, languidum, aquosum, vel frigidum, & effœtum tribuens. Item extenuati fæcundo destituuntur semine, ut & luxuriosi, Veneris frequentiâ enervati, valetudinarii, ebriosi, frigidi, & semen crudum, tenue, aquosum, & gonorrhœicum sine prolifico generãtes, quod à matrice, serosâ debilitate, citò diffluit. Sterilitant quoque testes contusi, frigidi, abscessum, vel ulcus experti, urethræ foramen obliquum, virgæ inerigibilitas, ulcus, vel convulsio penis, caruncula, & verruca in urethra enascens, & seminis ejaculationem impediens, potus quoque creber camphoræ, anethi, rutæ, menthæ, & medicaminum ex saturno factorum, ut communis fert rumor. Item testium illinitio ex opio, hyoscyamo, cicutâ, mandragorâ, similisque farinæ stupefactivis crebriùs applicatis. Sed quis sterilitatis signa, tam respectu uxoris, quàm viri denumerare valet? Quæ desunt ex causis petenda sunt.

CAUSÆ.

Sterilitatis causæ non solùm innumeræ, sed etiam imperscrutabiles esse possunt, & nunc à viro, nunc à muliere provenientes, quandoque ab utroque & quod mirum est, inveniuntur interdùm conjuges ambo fæcundi, nec tamen ulla ratione generare possunt. Unde hoc proveniat, magna est inter Medentes discrepantia. Galenici ad temperamentorum doctrinam confugiunt, dicuntque quod eorum temperamenta ad invicem non sunt analoga, & harmoniaca, exempla sunt talium sterilium: Ubi maritus curiosiùs experturus, an sterilitatis causa in se sit, cum servâ consueverit, eamque impraegnaverit, similiter uxor id expertura, cum altero rem habuerit, se impleverit, vel post prioris conjugis obitum alteri nupta, pariter conceperit, alii discrasiam accusant, & temperamentorum inconvenientiam causam esse dicunt, ita ut uterque sit nimiùm humidus, vel siccus, calidus, vel frigidus; frigidum enim, & calidum, humidum & siccum convenire debent, talia namque contraria spermata invicem mox fermentationem ineunt, & pugnando causa sunt conceptionis, & commembrationis fœtus. Hinc eruunt, quod interdum ejusmodi discrasia ad certum tempus tantummodò intercedit, ac postmodùm sponte cessat, quemadmodum interdum reperiuntur, quia decem, vel plures annos steriles in matrimonio cohabitant, ac deinde absque ullis remediis fæcundescunt, verùm hoc quandoque ob tantulum auxilii accidit. Cœterùm hæc doctrina desumpta est à temperamentorum imposturâ, ut est caloris, frigoris, humiditatis, & siccitatis commentum, & una qualitas alteri debet esse opposita ad fæcunditatem inducendam, ut semen unius sit calidum, alterius frigidum, vel unius humidum, alterius siccum, & simul contrarietatem pugnando, fæcunditatis in causa est, ut inquit *Ovid. primo metamorph. frigida pugnabant calidis humentia siccis.*

Discrasia, seu repugnantia harum qualitatum nullatenùs, fæcunditatem conciliare potest, sed potiùs concordi pace hæc succedere debet. Nonnulli Veteres, & recentiores in ea sunt sentẽtia, astruunt enim certam maris, & fæminæ requiri proportionem seu harmoniam ad generationem, sed qualis sit, & in quo consistat hæc proportio, & harmonia inexplicabilis, & ex causis quasi per

transsennam. Eruditiores tantummodó rimantur.

Sterilitatis causa, tam in mare, quàm in fæmina latere potest; in mare primarium vitium esse potest in semine, ut si non generetur, aut minùs sit spirituosum, quod ex congressu cognoscimus, qui si sit languidus, & diutiùs tædio protractus, ob id semen minùs spirituosum, & defectuosum innuit; aut vitiatum, & generationi ineptum. Quod semen non generetur, vel infœcundũ reddatur, ætati tribuimus; cùm nec nimis tenella, nec adulta semini fœcundo generando apta sit: Hanc ætatem alii aliter definiunt: in viris commodam ad Venerem aptam esse intra decimum octavum annum, in fæminis non ante decimum quartum; sicut & post sexagesimum raró fœcundi & fæminæ post quinquagesimum raró concipiunt: esto observamus quandoque juvenes ante decimum quartum annum coire, & generare, ac fæminæ etiam ante concepisse, sicut viros quosdam post sexaginta generasse, & fæminas post quinquaginta concepisse; tamen fœtus illi plerumque debiles sunt, & fæminæ, quæ ante hoc tempus nubunt, in partu periclitantur. Si uterus debilis, vasis ruptis, vel sæpè prorsus redduntur steriles. Censet *Plato*, ut proles sit vegetior, commodissimum generandi tempus esse in viris à trigesimo, in puellis à decimo octavo. *Mercatus* inquit hanc ipsam causam esse, cur tot monstrosi, & mente parùm valentes sint Principes, & Magnates primogeniti, & plerumque non vitales, aut infirmi, quia nimirum ob imperium, & principatum, vel pueri puellis, aut senibus puellæ junguntur. Cæterùm non ad annorum numerum simpliciter respiciendum, & ætas generationi apta non solùm annorum numero, sed corporis robore, & constitutione metienda est, & dum malitia supplet ætatẽ, & tam in fæminis, quàm viris veneris prurigo stimulat, præstat nubere ante terminum à Platone destinatum, quàm uri, aut vagæ libidini vacare. Communiter in fæminis tempus conceptioni aptum est, cùm ipsis menses erumpere, & mammæ augeri, & sororiari incipiunt; sunt ab hoc tempore aptæ ad concipiendum, donec menses subsistunt. Mares verò fæminas implere possunt, cum hirquitallire incipiunt, qui jam pubescentes vocem emittere incipiunt gravem, & subraucam, quo tempore pueros ipsos hirquitallos appellant, sive quòd tum primum veneri hiantes, hircum olere incipiunt, sive quod vocẽ edant graviorem, hircinæque non dissimilem. Prætereà juvenibus mammis tuberculum aliquantisper tactu dolorosum suboritur ad magnitudinem verticilli ob partium genitalium consensum cum mammis.

Multa sunt medicamenta, quæ semen disponunt, vel impediunt, vel fœtũ abortire faciunt. Inter semen extinguentia, & conceptionem impedientia est salix, quæ non tantùm mulierculàrum venenis appetitum enervat, unde nimiam salacitatem obtundit, si primo vere surculi tenelli salicum abscinduntur, sic enim fluit liquor, quo formata massula mulieri propinata efficitur, ut nunquam ampliùs existimet res venereas, sed si salicis decoctum jejuno ventriculo aliquoties à muliere potetur sterilitatem inducit. Aut crocus, vel mentha statim à congressu vaginæ uteri immissa conceptum impedire dicunt. Borax ante, vel brevi post congressum intrò assumptus cum decocto salicis ad conceptûs impedimentum disponere dicitur, communis sententia est, qua dicitur camphora arcere Venerem, & consequẽter emasculare, unde versiculus:

Camphora per nares castrat odore mares.

Sed

Sed de camphora oppositũ experimur, nam fumẽtes salaciores reddit. Item post congressum pessus ex helleboro nigro cum castoreo intrusus conceptionem tollit. Et si conceperit mulier, genituram disperdit.

Multa prædicant ad sterilitatem inducendam amuleta, utero gestare os de corde cervi, matricem mulæ, gagatem, smaragdum, vel saphirum. Si dentes pueri in primis cùm cadunt, suspendantur, antequam veniant in terram, & ponantur in lamina argenti, & suspendantur super mulieres, eas impraegnari, & parere prohibent. Si stercus leporis suspendatur super mulierem, nunquam concipiet. Vel in cubili appendat corium mulæ. Vel comedat grana hederæ nigræ. Aut si mulier, quæ peperit, & per aliquot annos non vult concipere, liget in Secundina infantis per quã pepererat, tunc catapuriæ grana, quot annis valet sterilis permanere; sed hæc amuleta, & remedia sunt aniculárum delirantium, quibus facilè intentas decipiunt mulierculas, ideoque hæc credat Judæus Apella.

Item maleficia, carmina, magicæ incantationes, & ligaturæ, quibus tam viri, quàm mulieres infæcundantur, & ligantur, ac inepti ad conceptionẽ adduntur, multa ab auctoribus afferuntur, & præcipuè horum maleficiorum *Isaac* describit quædam ex animatis fieri, ita testiculos gallorum in lecto, sanguine positos congressum impedire; quædam fiunt ex inanimatis, ut si nux juglans separetur, cujus medietas ab utraque viæ parte ponantur, per quam sponsi ituri sunt, aut si quatuor fabarum grana, nescio, quâ electione, in lecto ponantur, vel in via, vel supra ostium, quod maleficii genus pessimum, & efficax esse putat; Quædam ex metallis, ut ex acu, qua mortuus consutus fuit; quæ ex characteribus cum sanguine vespertilionis, & multa alia, quæ passim ab auctoribus circumferuntur, quæ sterilitatem inducere putantur, & celare satiùs fuerit, ne maligni homines, aut incauti tyrones prece, aut pretio seducti, iis abutantur. Credat qui vult his næniis frustraneis; nam nos, quia sumus scrupulosi, parùm aut nihil assentimur. Extat in jure Pontificio textus de frigidis, & maleficiatis, & dicũtur maleficiati, quotiescũque Doctores naturalem infæcũditatis causam nõ assequuntur, vel ad causam occultam, vel inperscrutabilem, vel maleficam recurrunt.

Secundarium sterilitatis vitium in Viris instrumenta generationi dicata respicit, ut sunt, qui penem nullo modo erigere possunt, vel paralysi laborantem habent, vel qui pene erecto cunni labia vix tangentes, oppidò flaccessit, antequam illum intra uteri cervicem insinuent, semen emittunt. Infæcundi sunt spadones, aut semispadones, & quibus testes quapiam de causâ attriti sunt, vel qui penem habent brevissimum, ita ut in uteri profunditatem ejaculari non possint; aut si penis respectu uteri longior, & uterum plurium feriat; item si sit nimiùm crassus, latus, improportionatus, & asininus, quem mulier sustinere nequeat, vel adeo uteri os aperiat, & ipsum hiare faciat, aut præ dolore comprimi nequeat, & semen retinere; vel si vir sit succubus, & mulier incuba; aut qui mentulam habeant distortam, aut urethræ foramen obliquum juxta frænum in parte infernâ, vel vasa spermatica malè conformata, obstructa, coarctata, vel contusa, quippe hi omnes semen rectà ad uteri recessus ejaculari non possunt. Similiter si semen sit nimis aquosum, frigidum, corruptum, perpaucum, vel effœtum præ nimia venere, vel quapiam

de causa. Hujusmodi enim semen esto in uterum fertilem decidat, nunquam ad fœtationem habile erit: Eodem modo si semen malum in terram bonam decidat, nunquam germinabit, & fructificabit; proportio enim inter semen & terram intercedere debet, aliter nulla succedet fœtatio. Boni seminis notæ sunt, ut gravidis speciem referat, sit album, tenax, splendidum, odorem palmæ, & jasmini, aut florum sambuci referens.

Ex parte mulieris sterilitatis causæ sunt plurimæ; inter quas prima recensetur, viri genituram non recipere, altera non continere, tertia illam corrumpere, quarta materiæ defectus. Non recipit, quia uteri clausura, vel cervix occlusa est, vel uteri os compressum, ut contingit in valde pinguibus; comprimitur enim os uteri ab omento. Non recipit etiam cui os uteri distortum est, aut aversum à pudendo; avertitur aut longiùs à pudendo, cum mulier non concupiscit, nec amat virum, cùm enim valdè concupiscit, os uteri occurrit, & glandem virilem amplectitur, etiam si brevius sit virile membrum, movetur n. uterus deorsum.

Non continet viri genituram uterus ob lævorem: & provenit, si mulier frequenter comprimatur, ex nimio enim coitu uteri rugæ à nimio, & assiduo confricatu lævigantur, & tandem obliterantur, & receptum semen vomunt, & hac de causâ meretrices, quibus coitui coitus accedit, non concipiunt. ad hoc itaque ut uxores fœcundentur, non ita frequenter futiri debent, sed tantùm semel, aut bis in hebdomadâ. Elapsis annis Neapolitana Civitas à terræ tremore miserabile excidium passa fuit, & meretrices, ac ganeos ob jamjam imminentis mortis terriculamentû à Venere per aliquod tempus se abstinuerunt, exacto timore, ad pristinam Veneris rediere palæstram, & magna meretricum pars concepere. Non retinetur semen, si mulier statim à coitu tussiat, sternutet, clamet, saltet. Non continetur semen ab utero ob magnam humiditatem, ut contingit victu humidiori, otio, in nimio mensium fluxu, albo fluore, vel aquoso, gonorrhœâ, ulceratione, abortu, partu laborioso, calculo vesicæ, uteri procidentiâ, vel aliis morbis, quibus mulier ratione uteri obnoxiâ est, cum ipse uterus sit totius corporis latrina, his namque mediantibus debilitatur uterus, hiat, & genituram receptam vomit, vel immediatè, vel post aliquot horas, vel dies, vel postero die.

Semen corrumpunt coitus ardens, seminis mora in matricis collo, cui accedit invitus utriusque, vel alterius coitus, ut fieri solet inter eos, qui inviti matrimonium contrahunt; amor enim utriusque genituram conciliat, quo circa amantes fœminæ crebriùs concipiunt, nisi nimiùm ardens fuerit concubitus, ex quo semen resolvatur, & spiritus evanescat. Itèm sanguis morbosus, vel nimius mensium fluxus, vel horum carentia, vel inordinati, & vitiosi, quemadmodùm enim arbor tam flores, quàm tempore florum suorum pruinam patiens, vel vitiosum, vel intempestivum florem ardens, qui nimirum sibi ipsi depascentes, erucas, vel brucos, aut cantharides progignat, vel præcociter & pruinoso Cœlo erumpat, fructum, vel planè nullum; vel paucissimum refert: ita quoque flos muliebris penitùs absens, vel intempestivè, vel vitiosè præsens, vel imbribus profluvii submersus, semper uterum sterilem, vel abortivum arguit.

Seminis

Seminis prolificum spiritum sive plasticum evanescere facit nimia caliditas, vel frigiditas, humiditas aut ariditas, obesitas, gracilitas, flatuositas, vel angustia &c. Sicut in agro nimium humido, vel arido extremè, itidem pingui, vel macro seminatio fit incassùm, ita similiter matrix præhumida, vel exsucca, vel pinguedine lubrica, vel macritudine squallida semen suffocat, & corrumpit, ut habetur *Aph.* 63. *sect.* 5. *Et quæcumque præhumidos uteros habent, non concipiunt, extinguitur enim in iis genitura. Et quæcunque siccos multùm, & præcalidos, nam ex defectu alimenti corrumpitur semen.* Hoc semen, respectu uteri, non absimile illi semini evangelico apud *Lucam cap.* 8. *v.* 5. *Exiit, qui seminat seminare semen suum: & dùm seminat, aliud cecidit secus viam, & conculcatum est & volucres cœli comederunt illud. Et aliud cecidit inter spinas, & simul exortæ spinæ suffocaverunt illud.*

Materiæ defectus est quarta sterilitatis causa, pro quo intelligunt vulgares sanguinis, & seminis defectum, vel vitium; supponunt enim menstruum pro fœtus nutritione deservire, sed hallucinantur, nam multæ mulieres, quæ nunquam menstruaverunt, conceperunt. & pepererunt. Præterea tempore gestationis non generatur sanguis menstruus, & ad quartum usque mensem multa symptomata utero gerentes patiuntur, ut cibi fastidium, nauseam, picam, & quædam cibos quosdam peculiares, quibus anteà maximè delectabantur, ita aversantur, ut si vel offerantur, vel eos viderint, imò nominati, audiantur, penè in animi deliquium incidunt. Contrà aliæ cibos, & potus, è quibus anteà alienæ erant, vel quos etiam aversabantur, tam avidè appetunt, ut nisi eorum participes fiant, maximè lædantur. Supponunt vulgares mulieris semen ad fœtus generationem concurrere, quod nos utique refutavimus, illud namque liquamen, quod mulieres in coitu, vel in pollutionibus voluntariis emittunt, semen non est, sed quoddam serum in membranis cervicis uteri stagnans quodam sale volatili refertum, quod pro coitu est quoddã lenocinium. Meditemur itaque omnes vegetabiliũ generationes, & reperiemus pro matrice terrã inservire, semen verò, puta spiritũ in semine latentẽ, causam efficientẽ talis vegetabilis esse, & humorem è terra pro corpore efformando exhaurire: pari modo sic de muliere differendum, hujus namque uterus est veluti terra, cui humanum committitur semen, spiritus nempe internus in illo colliquamento contentus, qui illic corpus deliniat, & nutritur ad exclusionis tempus usque. Non dissimilis ovo in viviparorum fieri solet humanus conceptus: hoc tantùm inter conceptum. v. g. humanum, & ovum gallinaceum interest, quod hoc paratam habeat materiam, quæ satis est, donec pullus absolutè conformatus excludatur; humanus verò conceptus non omnem continet materiam ad partum usque necessariam, hanc enim singulos in dies à vasis maternis mutuatur. Quamobrem non ea modò animalia, quæ ovipara & ex putri dicuntur, sed ea quoque vivipara, & ipsum quoq; nobilissimum genus humanum ex ovo progignũtur, quam veritatem sub decorâ fabulæ specie cecinerunt

nerunt Poëtæ; referunt enim Ledam Tyndari Regis uxorem ob egregium decus Jovem adamasse, quâ cum frui nequiret, in cygnum mutatus cum eâ concubuit, & expletis legitimis mensibus, Leda ovum peperisse dicitur, ex quo Castor, Pollux, & Helena nati esse finguntur. Adest in mulieris utero Ovarium non aliter ac habet gallina, ovulis refertum, quæ inconspicua sunt, tempore autem quo fæmina jam matura est viro, & ad venerem innato appetitu ardenter fertur, quemadmodum in proprio receptaculo, sive in testibus turgescunt, ut fiat conceptus, tunc ovum quodlibet ab humano semine in coitu fæcundatur, ut gallus gallinam comprimens ova fæcunda reddit; fæcundatum ovum in mulieris ovario de die in diem augescit, & tandem ex loci, & sitûs mutatione in uterum excluditur, & ibidem effermentescit, donec omnia delineamenta, sive membra acceperit, unde *Steno* eruditissimè inquit: *Omnis uterus, dum fœtum gerit, ovum gestat.*

Hæc sententia multis rationibus stipatur, & pluribus experimentis ab authoribus comprobatur, cultroque anatomico patescit, cujus rei exemplum legere est apud *Hip. de psaltria.* Statuitur itaque cum recentioribus vesiculas illas, quas testiculi muliebris tunica involvit, esse vera ova, è quibus, & in quibus humanum generatur corpus, quæ ova spiritibus è spermate virili exhalatis, & fortiter ejectis fæcundantur, & beneficio corporis glandulosi in tubas falloppianas deponuntur, per quas in uteri cavitatem pervenire solent. Hinc concluditur ova illa in mulierum testiculis remanere debere, donec aurâ virili fæcundentur, quippe testiculi membranam perforatam nullibi videbis, ac proinde ovo exitum concedere nequit; ubi verò aurâ virili fæcundatur ovum, circa illud tempus quoddam glandulosum excrescit, quod membranam testiculi efficiens ovum educit, quo facto cum tempore corpus illud glandulosum evanescit, & testiculus muliebris in pristinum reducitur statum.

Ex his supra notatis eruimus quasdam mulieres steriles esse, quia virum in coitu admittere nequeunt, vel quia imperforatæ, vel quia angustiorem habent vaginam, quàm ut virile semen recipere, aut admittere nequeat: quædam verò penem admittere quidem possunt, sed aut semen, vel ejus aura ad ovarium pertingere non potest, & quidem aliquando ob uteri procidentiam, vel glandulas uteri cervicales tumefactas, aut quibus vel distortum, vel coalitum, vel quomodocumque angustiatum est internum uteri orificium, aut ob tumores, aut exulcerationes, cancrum &c. aut ob obstructionem Tubæ falloppianæ, & sic sæpè obstructæ, coalitæ, aut compressæ sunt viæ ab utero ad tubas falloppianas.

Aliæ causæ sunt, quia in iis ova vel intemperata, vel obstructa, vel indurata, vel membranula crassiori nimis involuta, ut ab aurâ seminali fæcundari non possint. Aliæ, quod ovula habeant aut parva, aut exsucca: Aliæ quod toto corpore intẽperatæ sint, aut cacochymæ, aut nimis obesæ, aut nimium patiantur fluxum fæmineum, aut fluxum album: sed utplurimum sterilitatis causa est obstructio tubarum falloppianarum, quæ vel ab acido austero vasa illa constringente, vel à callo, vel à calculo, vel scirrho

ſcirrho dependeat, vel à nimiâ pinguedine, quæ oleoſitate ſua liquores refluentes ita inficit, ut minùs ſimul effervescere poſſint.

Materiæ tandem defectus una ſterilitatis cauſa eſt, quando deficit illa materia, ex qua fœtus conformatur, & hæc eſt illa juxta cordatorum Medicorum ſententiam, quæ ſemper in omnibus animantibus reperitur, & nil aliud eſt, quàm craſſus lentusque humor albicans, qualis in univerſo propemodum ovorum genere reperitur. Ejusmodi humorem ſanguini permiſtum ſæpiſſimè in fœcundarum mulierum menſtruis conſpicimus, quam vulgus pituitam, ſeu crudum ſanguinem arbitrantur, incipit autem hic humor in mulieris uterum confluere multis planè diebus à fœcundo coitu; tum verò in maſſam cogitur, & membranâ obducitur, fitque quodammodo ovum molliori tunicâ ſeptum. Sæpè autem albugineus iſte lentor vel peritiſſimis viris impoſuit; nam in abortu ejectus habitus eſt pro geniturâ, ut adeſt exemplum in Hip. de Pſaltriâ.

Hic albicans humor, ſeu albugineus deſervit pro ovi uterini incremento, & tandem materia nutrimenti fœtûs in utero ſuppeditatur; hinc eſt, quòd nutrices, quæ lactant, rariùs concipere, aut conceptum formare ſoleant. Item macriores fœminæ, & aridiores minùs fœcundæ ſunt, & ſi quandoque concipiunt, ob hujus materiæ defectum temporis progreſſu abortiunt. Similiter pingues exceſſivè, cùm materia albuminis iſtius in pinguedinis ſupplementum ſuppeditetur, & ipſæ etiam minùs fœcundæ obſervantur. Tandem fontanellæ, quæ uberiùs fluunt, aut ulcera inveterata, fiſtulæ, aut fluor albus, cùm ſanguinis maſſam inſigniter exhauriant; & corpus ſpolietur, obſervatur, quòd in fœmellis ſint ad ſterilitatem ineptæ.

Hæc materia, ſeu albugineus humor pro fœtus incremento, & nutrimento inſervit, ut rectè inſinuavit *Hip. lib. de carnibus* fœtum per os alimentum ex utero matris ſugere, quâ in ſententiâ fuerunt etiam præclariſſimi Philoſophi Democritus, & Epicurus. Si verò quis quærat, unde poſſit cognoſci fœtum in utero ſugere, animum referat ad pueros infantes, brutosque animales, qui ſimul ac naſcuntur, alvi fæces excernunt: atqui non haberent ejusmodi excrementa niſi in utero ſuxiſſent, imò nec mammam ſtatim ut in lucem prodeunt, ſugere noſſent, niſi id in utero anteà didiciſſent. Verùm hîc mirari licet illorum ſtupiditatem, qui cùm omnem Hippocratis doctrinam oraculi loco ſuſcipiant, & venerentur, hanc tamen pulcherrimam conjecturam negligunt, & tanquam delirantis ſomnium rejiciunt; nam promptum quidem eſt excrementum, unde illius fides poteſt confirmari, enimverò ineſt ſemper in ventriculis fætuum, qui animalis utero continentur, lentus quidam humor ei prorſus ſimilis, in quo fœtus ipſe innatare cernitur, quinetiam in ingluvie pulli gallinacei, aut columbini nondum excluſi ejusmodi lentorem ſæpenumerò vidimus, ut propterea hinc poſſumus jure inferre fœtum non omne alimentum per umbilicalia vaſa arripere, ſed aliud etiam circumfuſo liquore hianti ore ſumere, quod in catellis nondum natis pluries obſervavimus, hoc aut deinde coctum, atque confectum in reliquum corpus diſtribuitur. Hujus autem alimenti reliquiæ inutiles ad inferiora inteſtina depulſæ

conficiunt nigricantem illam massam, quam Meçonium à similitudine appellatam scripsit Aristoteles, quamque recèns nati pueruli antequam mammas appetant, solent excernere. Nihil hîc miramur illos, qui dicunt pellucidum illum humorem, qui tenello embrioni circumfunditur, ejus esse sudorem, urinæ etiam, ut nonnulli volunt, permistum; nam certum est hunc ex albugineo lentore quodammodò colliquefacto effici, atque extare, antequàm animalium membra corporentur. Quicquid sit quàmprimum pusillus embrio formatur in magnâ hujus humoris ubertate fluctuat, ut minimè credibile sit è tantillo corpore tantam humoris copiam effluxisse. Adde, quòd urachus in humano fœtu non est pervius, atque adeò nequit per eundem excerni urina, imò hæc toto graviditatis tempore in vesica asservatur, tandemque per verenda post partum educitur.

Prognosis.

STerilitas affectus perniciosus non est; & sæpè sanitati non multùm obest, verùm non solùm apud Judæos, sed etiam apud omnes ferè gentes probrosa est; nam eâ de causâ primariâ viri ducunt uxores, ut ex iis liberos generent, familiam conservent, & genus propagent humanum, quo matrimonii fine frustrato, secundarius tantùm superest finis, qui est ad sedandam libidinem. Hinc pro dotium restitutione litigia, & apud Principes, & Reges divortia excitantur. Mulieres steriles utplurimùm morbosæ sunt, quia humores excrementitii, qui cum probè post partum evacuari solent, in iis retinentur; tardiùs tamen senescunt, quia à molestiis, quas graviditatis, partûs, & puerperij tempore, fœminæ, quæ concipiunt, patiuntur, immunes sunt. Neque enim sine causa Medea apud Euripidem dixit se malle ter sub clypeo in acie dimicare, quam semel parere, quod oppositum repetunt nostræ fœmellæ malle potiùs parere, quàm panem conficere. Chronicus est affectus sterilitas, & sæpè incurabilis, & ex causis, quibus pendet, eam hariolari possumus, ac primùm ætas tenerior conceptionem non impedit, nisi ad tempus, & illa in ætate adultiore expectanda est. Ætas provectior omnimodam conceptionis desperationem affert. Si tamen adhuc menstrua statis periodis procedant, aliqua conceptionis spes superesse potest; sed admodùm pusilla, & imprimis illis mulieribus, quæ quadragesimum ætatis annum excesserunt; quia licet mulieres, quæ juniores pepererunt, in eâ etiam ætate concipere soleant; illæ tamen, quæ nunquam gravidæ fuerunt exiguam spem habere debent, in eâ ætate concipiendi, quia viæ compressæ, & coalitæ sunt, & uterus tandiù desidiosus, & marcidus redditus nullo modo fœcundari potest. Sterilitas à pravâ membrorum conformatione inducta, ut in iis, quæ claudæ sunt, aut crura distorta, vel coecygem depressam habent; incurabilis est. Orta à coalitu viarum uteri, imprimis à totali obstructione ductuum Falloppianorum, à callo, calculo &c. aut à morbis uteri gravioribus, ut tumore, scirrho, ulcere, fluore albo, mensium defectu, uteri procidentiâ, phthisi; elephantiasi, lue venereâ, aliisque curatu facilior, aut difficilior est, prout dicti morbi facilem, aut difficilem admittunt curationem. Si à nimia pinguedine sterilitas

ortum ducit, curationis ſpes ſupereſt, maciem inducendo. Nec tamen fœminæ ſimpliciter ſteriles habendæ ſunt, quæ inſignem aliquam intemperiem habent in primâ juventute, ob quam à nullo viro fœcundari poſſunt; modò enim vel ætate, vel medicamentis intemperies corrigi poſſit, poſteà fœcundæ redduntur. Si non ſimpliciter fœmina ſit ſterilis, ſed quia ipſius conſtitutio virilis ſeminis conſtitutioni parùm conveniens eſt, non ſolùm per illud medicamentorum muta ſemen fœcunda reddi poteſt, ſed etiam ætatis progreſſu, quo intemperies illa mutatur, vel medicamentis illam corrigentibus.

Curatio.

NOn una, & eadem eſt ſterilitatis cauſa, ſed multiplex, & varia, ac proinde varias ſuppeditat indicationes, quæ per ſe manifeſtæ ſunt, eapropter varia, & contraria iis inſervire debent medicamenta; miramur ſubindè illorum Medicorum ignaviam, & ſtupiditatem, qui uno, eodemque omnes ſteriles ſe curaturos jactitant, ſed quod ſit hoc appropriatum remedium, neſcimus. Primaria ſterilitatis curatio in diætâ conſiſtit, & hanc in ſex rebus nonnaturalibus inquirimus, ut diæta medicamentis reſpondeat.

Aër itaque ſit temperatus, vitetur frigidus, & hyemalis. Aëris mutatio fæminas ſteriles reddit fœcundas, & præcipuè thermæ infra dicendæ, ut nobis multa exempla pateſcunt, quæ tamen reticeemus.

Cibus ſit optimi ſucci, & plurimi nutrimenti, ſed qui non ita facilè concoquatur, ut major flatuum copia excitetur, convenit itaque panis ex optimo tritico confectus cum ſemine ſeſami, oryzâ, fabis, phaſeolis, piſis, ciceribus, quibus ſumma eſt laus, quia abundè calefaciunt, flatus pariunt, & multùm nutriunt. Ex carnibus conducit vitulina, hœdina, vervecina, capones, gallinæ, perdices, phaſiani, ſtarnæ, pavones, turtures, pulli columbini cum erucâ cocti, ſed omnium ſuperant vires paſſeres, quia mirificè venerem incendunt, & ſemen adaugent. Item cerebella paſſerum, & columbarum; arietum, & gallorum teſtes. Nota eſt apud *Luſitanum* hiſtoria de illa muliere, quæ incauta marito dedit in cœna gallorum teſticulos cum melle, & aromate paratos, ex quo cibo in non explebile veneris œſtrum devenit. Ova ſorbilia ſummè commendantur, ex quibus etiam paratur pulmentum ex vino, ovorum luteis, ſaccharo, cinnamomo, & croco. Ex piſcibus utiles ſaxatiles omnes, & optimi ſunt nutrimenti, ut percæ, mallibarbuti, lucij, auratæ, ſoleæ, lingulatæ, & ſimiles multo aromate, ac vino conditi, aut hoc intinctu præparati, ut

℞. *Galangæ*,
piperis longi,
cinnamomi,
zinziberis,
cardamomi,
nucis moſchatæ ana ℨ.ij.
croci ℈.j.
nucleorum pini,
piſtaceorum,
avellanarum,
dactylorum,
paſſularum ana ℨ.iij.

Contundantur omnia ſimul, & cum ſapâ, vel vino fiat intinctus, quia tamen plures dulcibus non delectantur, admiſtis

piscibus, dactyli, & passulæ detrahantur, & loco sapæ, acetum cum menthâ tritâ, & pauco allii additur. Tandem omnes pisces, & præsertim salitos, vel muriâ conditos ad venerem excitandum, & fœcundandum maximoperè commendamus; nam venus orta mari, & luxuriosi dicuntur salaces. Inter olera ea, quæ flatus excitant, quia venerem lacessunt, conducunt, ut melissa, pulegium, nasturtium, ocymum, fœniculum, brassica, eruca, & eorum semina. Ex fructibus commendantur pistaceæ, nuclei pini, castaneæ, avellanæ. Inter radices pastinaca, satyrion, allium, cæpa, porrum, vel eryngium, eorumque semina, quorum conditores vide apud *Plautinum de arte coquaria.* Veteribus in frequentissimo ciborum usu fuerunt bulbi, his præsertim admisti, quæ veneris conciliandæ gratia parabantur, utpotè qui venerem stimulant. Quod autem ad id expetiti, & commendati fuerint *Martialis* apertè testatus est in xeniis suis, dum cecinit:

Cùm sit anus conjux, & sint tibi mortua membra,
Nil aliud bulbis quàm satur esse potes.
Qui præstare virum Cypriæ certamina nescit,
Manducet bulbos, & bene fortis erit.
Languet anus, pariter bulbos ne mandere cesses,
Et tua ridebit prælia blanda Venus.

Hæc omnia alimenta venerem excitant, semen adaugent, & fœcunditatem inducunt, si dexterè usurpetur. Proscribimus omnes cibos crudos, viscidos, & acidos, & nimis aromatisatos.

Potus sit vinum, quia in vino venus, sed ejus potus ad ebrietatem vitetur; quotidiana namque experientia tumulentiam plures reddere steriles observamus. Nocet quammaximè liberalior frigidæ aquæ potus, ut etiam potio illa, quæ sorbetta communiter appellatur, eodem pariter modo potio Chocolatæ, Caffeæ, herbæ Theæ nimia copia ingurgitatæ.

Motus sit mediocris, & domesticis se exerceat curis mulier, nimium vitando motum; hinc Scythicæ mulieres utplurimum sunt steriles, & infœcundæ ob crebriorem equitationem. Vitentur saltationes, clamores, tusses, sternutationes frequentes, & præsertim post celebratum hymenæum. Cæterùm si mulier sit obesa vitam ducat laboriosam, sollicitudinibus, & curis domesticis incumbat, & validè exerceatur.

Quies nimia vitetur, attamen post exercitia, nimiosque labores necessaria est, & præsertim post cibum, sicut phlegmaticis; frigidis, & humidis constitutionibus, & temperaturis, utilis est motus, ita calidis, & cholericis quies commodior, quia nimium temperat calorem, & choleram obtundit: motus itaque & quies sint moderati pro fœcunditate concilianda.

Somnus sit paulò longior in molliusculis culcitris ex pluma, ut Septentrionalium est usus; verùm mulieri obesæ somnus sit parcus, & super lectum duriusculum.

Vigilia nimia nocere potest, quatenus spiritus animales resolvit, qui multùm ad conceptum contribuere debent; prolixior aut vigilia sit obesis, nec somnus, & vigilia modum excedant, quia malum.

Excre-

Excreta, & *Retenta* secundum naturæ institutum procedant, unde venter quotidiè ciborum reliquias deponat, & menstrua periodicè fluant; nocent enim suppressa, diminuta, vel fluor uterinus. Si menstrua per convenientem locum non se exonerent, manuducantur appropriatis medicamentis ad mulieris emunctorium, præterquamquòd si per hæmorrhoides scateant; novimus namque multas mulieres fœcundas, compensatis menstruis, sanguinem mensatim per anum evacuantes.

Animi passiones, ut ira, rixa, tristitia, invidia, timor, & profundæ cogitationes fugiendæ; eæ namque uterum feriunt, conturbant, ejusque œconomiam ita subvertunt, ut sterilescat: abigantur itaque curæ, sollicitudines, tristitiæ, cæteræque malignæ animi passiones, & ducatur vita hilaris, & delitiosa, & animus tranquillitate fruatur. Odium inter conjuges implacabile semper est sterilitatis radix, nec vir cum fœminâ invitâ, nolente, & repugnante coëat, quia nunquam penem intra uteri vaginam in tanto luctæ certamine, contradicente venere, intrudet: sed potiùs antequam vir cum muliere coëat, concilientur (cujus conciliatio non ægrè succedit; nam odium inter virum, & uxorem è mensâ ad cubile, & non ultrà perseveret, ut vulgò fertur) blandis verbis, tactibus lascivis, largisque promissis ad concubitum alliciatur, & dum libidinis œstro conflagratur, comprimatur; tunc enim copiosi spiritus ad partes genitales & uterum confluunt, isque semen avidiùs arripit, & pro conceptu retinet. Si hæc ad fœcunditatem non sufficiant, quia vir, vel mulier coitum non concupiscit, nec amat, tunc amatorias audiat fabulas, lascivosque successus, lusitet cum pulchris, & lascivis puellis vir, mulier verò formosis, & petulantibus juvenibus, à coitu tamen abstineat, quoad animus assuescat, & genitalia veneris œstrum sentire incipiant. Aspicere gallos, canes, equos, & similia animalia coëuntia veneris appetentiam excitat, nam:

Segnius irritant animos demissa per aures,
Quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus, & quæ
Ipse sibi tradit.

Honestatis tamen reverentia moraliter perpetuò servetur, si in tam fædo coitus brutalis obtutu spiritus sensitivus mentem in libidinis æstum non impellat. Detestandus itaque theatrorum usus, quæ in Apulia mense Maio construuntur, ad quæ longo examine homines, & mulieres, imò matres cum filiabus innuptis, & viduæ spectatum veniunt equos admissarios, qui sobolis procreandæ gratiâ equas comprimunt, unde omnes ad effrænem provocantur luxuriam, & dicere possumus:

Ille locus casti damna pudoris habent.

Est hìc subnectendus coëundi modus pro fœcundandâ muliere, sed ne castæ offendantur aures, & nostrum cœlibatum tumeret, brevibus rem expediamus, quod si videatur absurdus, expungatur. Expendemus pro hac re quæ apud authores offendimus, & à conjugatis hausimus: Vir itaque & uxor concubituri nec supra modum repleti, nec nimiùm famelici sint, nec

nimio calore, aut frigore, nec nimiâ ſiccitate, aut humiditate afficiantur; nam repleto nocet Venus propter nimiam agitationem, quæ cruditatis cauſa eſt; famelico vacuatione officit; calefactum motu inflammat; & refrigeratum ſequenti refrigeratione offendit. Quod ſi in his delinquere contigerit, tolerabilior erit exceſſus, ſi calefacto potiùs, quàm refrigerato, humectato, quàm exſiccato, repleto, quàm famelico corpore contingat. Quâ verò horâ diei coëundum ſit, non ſatis apud authores conſtat; nam *Hip.* auroræ tempus determinat, quia peractâ coctione, corpus ab omnibus excrementis opportunè repurgatur, qua occaſione victûs ordinem deſcribit: *Labor, cibus, potus, ſomnus, Venus, omnia moderata*, ubi apertiſſimè jubet, ut Labor cibum, cibus potionem, potio ſomnum, ſomnus Venerem præcedat. *Paulus*, & *Aëtius* aliter ſentiunt, ante concubandum, & poſt cibum, ut ſuccedens ſomnus abſumptas viri reparet vires, fœmina verò ſemen genitale faciliùs, & fortiùs retineat, & quiete ad conceptum paret. Reverà nullum aliud opportunius tempus nobis videtur in concubitu, quàm à cibo, quia tunc ſpiritus ſunt vegeti, & luxuriantes, & vir, & uxor alacriùs coëunt, ac poſtmodum placidè obdormiunt: ſed in omnibus humanis actionibus determinari poteſt, in coitu verò nullum, ſed tunc exercendum putamus, cùm præbetur occaſio, & præcipuè illis, qui alienâ fruuntur Venere, ad hanc coituum ſeriem uxorati obſervare deberent, quorum unusquisque uxorem habet propter fornicationem, & huic tamen legi nullatenus parere poſſunt, &

Omnibus in rebus modus eſt ſaluberrima virtus.

Sed iſta virtus in Veneris palæſtrâ non reperitur, & Veneris leges ſine lege feruntur, tunc cùm mater amorum imperat, nullâ poſtpoſitâ morâ, ejus imperio parendum eſt, ſi eſt propitia rei concupitæ. In hac re interrogandæ ſunt mulieres, quæ omni tempore, nocte, & die, & toties, quoties ſuppetit occaſio, Veneri indulgendum eſſe dicunt.

Quòad anni tempus commodius eſt ver ad prolificum concubitum, & potiſſimum tertio, vel quarto die à menſtruorum ceſſatione; caveat vir in menſium fluxu coitum exerceat, quia exitialis omnino eſt, tum iis, qui commiſcentur, tum fœtui, & ſi fortè menſtruans mulier conceperit, plerumque invalidum, impurum, morboſum, & minimè vitalem fœtum ſic generatum prodeat oportet: fieri etenim non poteſt, ut ſanguine jam impuro, & depravato generatus, non etiam morboſus, & minimè vitalis naſcatur fœtus, & hac de causâ *levitico cap.* 15. *verſu* 24. lege interdictum fuit toto menſtruationis tempore cum uxore virum coire: *Si coierit vir tempore ſanguinis menſtrualis, immundus erit ſeptem diebus.* Hinc viros admonitos eſſe volumus, ut die medicamenti purgantis à re Venereâ omnino caveant; non enim natura duplicem fert, vehementemque evacuationem, & non ſolùm eſt ſterilis, ſed ſæpè lethalis.

Quæ hucusque diximus ad matrimonii uſum direximus, ut uxorati valetudinem tueantur, & proli generandæ incumbant, ſed frequenter uſu venit coitum ſuo primario fine defraudari, ac proinde ut ſuum ſortiatur

effectum

effectum modos assignemus oportet: Concubiturus itaque vir, non ex abrupto uxorem more brutorum comprimat, sed sensim ante congressum omni illecebrarum genere eam disponat, alliciat, & provocet, ac pro lenocinio colloquia inhonesta introducat, fabulas amatorias recitet, & amores narret, ejusque pulchritudinem supra omnes alias extollat mulieres, & tunc illi adhæreat, molli complexu foveat, demulceat, titillet, & lasciviora verbis oscula commisceat, mammas deinde contractet, & præsertim papillas, quibus exquisitus voluptatis sensus inest, & ex contactu se erigunt penis instar, & magnum cum utero consensum habent, postmodùm, ut amantium mos est ad deliciarum portum, ad ultimam amoris metam, scilicet ad vulvam descendat, & clitoridem obtrectet, titillet, in cujus contrectatione exquisitissimam, & jucundissimam sensationem, & amoris dulcedinem sentiet uxor; contrectet interim vir penem, & quandoque præputium ultra, citroque impellat, tunc in utrisque excitato spiritu sensitivo carnali, & accensâ Veneris flammâ, uterque coëundi desiderio fremit. Ardet uterus, & favillas excutit, spumescit, stillat, fatiscit, & hiante ore omnium viventium patrem impatienter expectat; hinc viventium pater ante naturæ valvas in varios se adigit motus, & in latum, & longum se porrigit, rigescit, rubescit, & calore æstuat, & hinc utriusque genitalia fervore scintillant; tunc congrediantur, & ut feliciùs procedat coitus, ponatur mulier supra humilem spondam, cujus natibus pulvinar supponatur, dorso incumbat, caput verò paululum demissum habeat, crura bene divaricata hinc indè, & acclivia ita teneat, ut tota rima magna ad podicem usque in propatulo sit, os cunni ad illam elevetur partem, quæ ibi est uteri cavitas, quia tunc directè in ipsum projicitur semen. Tùm penem intra vulvam salivâ illitum intrudat, & ultrò, citroque blandè urgeat, & mora, ac lenta utatur fricatione, ut Ovidius notat:

Crede mihi Veneris non est properanda voluptas.

Vitetur ardens coitus, quia infœcundus est. Interim mulier clunes non retractet, & subigat, ut mulierum Hispanarum mos est, quæ dum futuuntur, prænimiâ voluptate (sunt nimiùm salaces) se toto corpore movent, & choræam exercent Phrygiam, & quoddam ardenter dicunt carmen, quod Hispanicè dicitur *Chaccara*, & hac de causâ Hispanæ infœcundæ sunt. Vitetur in coitu luctus, timor, mœror, & immodica ira, quia hæ animi passiones sterilitatem pariunt: Verùm Veneris sensus omnia maligna animi pathemata abigit, quia cùm iste exercetur actus, omnes sensus otiantur, & facultates feriantur, cùm sit omnium exquisitissimus, & major sensatio minorem occupet. Avertendæ itaque sunt omnes animi passiones horâ coitûs; non enim solùm ad concipiendum tranquillus conducit animus, verùm etiam ad bonæ, & optimæ indolis edendos conceptus; quapropter spurii magna ex parte sunt pravis moribus dediti, quia concipiuntur parentibus, vel timentibus, vel animo malè affectis, vel machinantibus. Hinc etiam fit, ut sapientum filii utplurimùm rudes, stupidoque ingenio nati sint, ut de Hip. filiis

liis fertur; quia viri docti dum coëunt magnas ferè semper curas in mente gerunt, neque animo sunt tranquillo, unde mulieres vel non concipiunt, vel conceptus hebetos, & pravos in lucem edunt. Hinc gaudia, voluptates, blanditiæ, oblectamenta, deliciæ, joci, cantus, amores, cæteraque humanarum consolationum genera in prolificâ requiruntur venere; eapropter sint prolificæ, vel à venere primò pudor, & timor, deinde mœrores, anxiæ sollicitudines, artium ingenuarum studia, & cætera, quæ animum exagitant, ac proinde in conjugibus mutuus tantùm amor optimæ indolis genituram conciliat.

Dum itaque vir uxorem comprimit, & leniter arvum genitale colit pro homine plantando, tum mulier proprii seminis effluxum ex titillante voluptate instare perceperit, virum eâ de re admonebit, ut eodem, si fieri possit, temporis articulo ipse suum ejaculetur semen, ut ex utriusque seminis concursu conceptus fiat. Instabiliter hoc actu mulier manibus viri lumbos prendat, fortiterque constringat, & vir uxoris nates utraque præhendat manu, & ita validè una vinciantur, ut identificentur, & fiant duo in carne unâ, & in tota parvâ epilepsiâ tandiù arctè persistant, donec utriusque semen in unum se commiscuerit intra uteri capacitatem. Nec statim à seminis ejaculatione à mulieris complexu se extricet vir, ne aër in uterum adhuc hiantem subeat, & semina corrumpat, antequàm planè commista coierint; digresso viro, quieta se contineat mulier, cruribus decussatis, & molliter in altum elevatis, ne motu, & declivi situ semen prolabatur; tum temporis se à sermone contineat, præsertim contentioso, tussi, sternutatione, ac si fieri possit, somno se tradat.

Optimus est hic coëundi modus facie ad faciem, quo omnes ferè utuntur homines, sed lascivior quàm par est, nam hoc modo venter ventri, pectus pectori, os ori admovetur, & oscula verbis commiscentur obscœnis, imò quod tacere præstaret, ne castæ offenderentur aures: sunt multi, qui digitum intra mulieris anum intrudunt, vulvamque ita constringunt, ut arctiùs concubunt, qui obscœni, & impudici contactus, nil generationi inserviunt. Prætereà huic coëundi modo multùm os pubis obstat, ne priapus in naturæ hortum totaliter ingrediatur, & suum seminium spargat; Præterquamquòd vir comprimens uxorem utero plenam crebris ictibus, ventrem contundens, abortum procurat. Sed remotis hisce lasciviæ illecebris, in quibus semper est matrimonii abusus, & culpa non vacat propter impertinentes ad prolis generationem actus: nos citra illam conscientiæ scrupulum modum, quem omnia animalia natura docuit, assignamus, quia est naturalis, & naturali instinctu omnia sequantur animalia, & tamen hunc omnes ferè authores tanquàm mortale facinus explodunt, quia homo est animal voluptuarium, & politicum, ac proinde, naturæ ordinem invertit. Hic coëundi modus est more ferarum, si nempe à tergo in vase naturali vir cum muliere coëat, cui sententiæ multi fautores, validæ rationes, & anatomicorum suffragantur observationes. Ita Arabes Medici,

Hiero-

Hieronymus Mercurialis, Paulus Ægineta, & quamplurimi alii ſentiunt; hoc namque modo cur anguſtè concumbit, penis capulo-tenus, præcipuè ſi mulier aliquantulùm inclinata recubat, intruditur, & ſi fuerit ſterilis, fæcundatur, ut cecinit *Lucretius lib.* 4.

Nam more ferarum,
Quadrupedumque magis ritu plerumque putatur,
Concipere uxores, quia ſic loca ſumere poſſunt,
Pectoribus poſitis, ſublatis ſemina lumbis,
Nec molles opus ſunt motus uxoribus hilum?
Nam mulier prohibet ſe concipere, atque repugnat,
Clunibus ipſa viri Venerem ſi læta retractet,
Atque exoſſato ciet omni pectore fluctus,
Eijcit enim ſulum rectâ regione, viaſq;
Vomeris, atque locis, averit ſeminis ictum,
Idque ſua causâ conſuerunt ſcorta moveri,
Nec complerentur crebrò, gravidæque jacerent,
Et ſimul ipſa viris Venus ut concinnior eſſet,
Conjugibus, quod nihil noſtris opus eſſe videntur.

Quem ſequitur Quintus Serenus his carminibus:

Irrita conjugii ſterilis ſi munera languent,
Nec ſobolis ſpes eſt, multos jam vana per annos,
Fæmineo fiat vitio res, nec ne flebo,
Hoc poterit magni quartus monſtrare Lucreti.

Sed qui hujus coëundi modi rationes, obſervationes, & alia plura ſcitu digna legere cupit, an ſit lethale peccatum, an culpâ vacet, & licitè exerceri poſſit, videat *Trutinam chirurgico-phyſicam tom.* 2. *de Vlceribus cap.* 9. ubi Aſiaticè de his agimus.

Verumenimverò, ut coitus fertilis, & ſalubris ſit tam reſpectu viri, quàm uxoris, debet eſſe moderatus, ſi uterque futuræ prolis deſiderio Venere utuntur, iis nec frequentior, nec rarior concubitus eſſe debet, quàm res expoſtulat, ac proinde ſaluberrima, & fæcundiſſima cenſetur Venus, ſi juſtis intervallis moderatè exerceatur, dum corporis vires non lædat, & corpori levitatem inferat, ac alacritatem, & meliorem illum conciliet habitum, & potiſſimùm ætate florentibus, iiſque qui calidâ & humidâ ſunt conſtitutione, ſucculento, ac optimo corporis habitu conſtantes; iis namque, teſte Celſo, rara Venus corpus excitat, imò animum exhilarat, iram ingentem remittit, & plurimas pituitoſas, melancolicaſque ægritudines aufert, vertiginem tollit, ſeminis fumoſitates, ac vapores à cerebro divertendo. Ideoque ſalubrius cæteris Veneri indulgere poterunt, modo intervallo tam longo repetita ſit Venus, ut neque reſolutio aliqua inde ſentiatur, neque languor, aut dolor, ſed homo ſe ipſo quodammodò levior ſit factus, ac meliùs reſpirare videatur, quod utplurimùm fiet, ſi bis in hebdomadâ celebretur. Hinc hujus doctrinæ occaſione non poſſum non in medium afferre cujuſdam Provincialis Hiſpani concionem monachorum honeſtate, & caſtitate Neapoli à mensâ habitam, quæ ita ſe habet: *Aora no es tiempo de aquel picca-*

piccarillo del Provincial passato, (& hic in eâdem discumbebat mensâ) que permitia, que frayles se fussen cada noche, cada noche in mulieribus: che se haga de esta misma manera, aora en este convento, yo no puedo permitirlo, y si ay alguno de vosotros, che non quiera obedeçer a mis mandamientos, se vaya con mil, y quinientos Diablos se hirà in mulieribus una vez, o alo mas dos cada semana, asi lo ago yo, y lo aconseja S. Tomas ob salutem corporis: y si se hallara alguno, allè ha ga lo contrario, yo le castigare absque remissione; sed hanc concionem alicujus festivi hominis esse inventum credimus, nec Patrem Provincialem virum tam religiosum hanc concionem ad fratres habuisse nullatenus imaginari possumus.

Frequentior coitus languorem, & imbecillitatem, imò sterilitatem affert, non solùm viro, sed etiam fœminæ. Nobis constat de quodam scorto, quod unâ nocte tricies à quodam Monacho compressum per mensem lassatum decumbere oportuit. Nota est etiam historia de illius Terraconensis uxore, quæ apud Aragoniæ Reginam marito litem intendens, atque conquesta, quod cùm illa decies in die congredi solitus esset, effecit, ut capitali supplicio, ne imposterùm cum illa coiret, prohiberetur; nec satis videmus, an magis hanc mirari possumus, quæ cùm fœmina sit alioqui insatiabilis, ut Salomon refert, tam de hac re querimoniam excitaverit; an juvenculam illam Germanicam, quæ referente Mizaldo, unâ nocte quinque feriatim militibus prostitit, aut Proculum Cæsarem è quo Germanicas Virgines intra quindecim dies concepisse ferunt, & decem ex virginibus unà nocte fœminas reddidisse: sed omnes antecellit Messalina Imperatrix, (quæ non erat unius viri uxor, sed omnium) tam effrænatæ, & inauditæ libidinis fuit, ut si centies à viro calcaretur, defatigari, & non satiari dicebat, & hanc planè regiam existimabat victoriam, unde relicto viri thalamo, ac mutatâ veste noctu lupanaria frequentarit, & cum nobilissima suæ ætatis meretrice contendens, eam quinto, & vigesimo concubitu se vicisse jactarit, labore denique se potiùs fessam, quàm concubitu satiatam destitisse affirmarit, de qua inquit *Iuvenalis Satyrâ 6.*

Et lassata viris nondùm satiata recessit.

Narrant Herculem Thespii filias quinquaginta una nocte omnes mulieres reddidisse, è quibus totidem filios suscepisse. Est apud Indos quædam herba tantæ virtutis, (cujus meminit Thophrastus) ut ea comesta quidam ad septuaginta coitus processerit, & tandem guttatim esset spermatis emissio, & in sanguinem deveniret. Sed isthæc inauditæ libidinis exempla sua, crederemus equidem hos semen non emittere, sed tantùm quandam exhalationem, & quandoque in creberrimo veneris usu multo-

multoties sanguinem excretum fuisse ex venæ, vel arteriæ alicujus hiatu, & repentinam mortem nonnunquam secutam fuisse observavimus, qua ratione Cornelium Gallum, & Q. Actherium equites Romanos in venereo actu expirasse refert *Plinius lib.* 7. Præterea plurimùm coëuntes parùm vivere, ac citò senescere compertum est; hinc passeres mares, quia salacissimi, citiùs fœminis ob veneris assuetudinem senescunt: Mulus longioris vitæ est equâ, & asino, à quibus genitus est, sic castrati diutiùs vivunt, quàm non castrati, & fœmina ex accidenti diutiùs quàm mas, cùm tamen ex naturâ masculus non castratus sit longioris vitæ, quàm fæmina, quia calidior, & in calore stat vita hominis. Hinc meritò *Epicurus* vir alioqui vitæ modestissimus, continentissimus, & omnium Philosophorum sui temporis summus, cujus doctrina nunc eò magis colitur, interrogatus, quisnam esset coitûs usus in semine? Nullum profectò respondit; nec is suâ destituebatur ratione., existimabat enim veneris usu corporis, & animi vires labefactari, utpote quia summum bonum in rectâ corporis constitutione, & sanitate ponebat, & hanc ille voluptatem appellabat. Non multùm ab hac sententiâ abhorruit Pythagoras, qui interrogatus, quando congrediendum cum fœmina foret? Cùm voles, inquit, teipso fieri debilior. *Diogenes Cynicus* in eâ fuit sententiâ, ut crederet modestis hominibus venere utendum esse, non ob copulatam illi voluptatem, sed ut noxam vitarent, quæ à retento semine nasci solet. Verùm mulierculis, & hominibus lascivis, & luxuriosis coitus tantùm ad humanæ vitæ solatium, voluptatis blandimentum ad sollicitas leniendas curas, & ad tristem exhilarandum animum tantùm concessus videtur, ac proinde perpetuò in spurcâ veneris mephite tanquàm sues volutantur. Non fuit veneris usus ad satiandam luxuriam, vel libidinis œstrum temperandum primariò datus, ut voluptuarii imaginantur, sed ad sobolem propagandum, & hinc duplex emergit finis, prolis nempe procreatio, & luxuriæ lenimen, cui actui insignes illecebras, & superflui excernendi libidinem sagax copulavit natura, ut tanto libentiùs, imò avidiùs, & ardentiùs inter se conjungerentur; si enim sola voluptate, quæ omnium est esca malorum ad coitum non instinctu naturæ traherentur, futurum omnino esset, quod *Epicurus* dicebat, & non corporis modò, sed animi vires frangerentur, ut *Claudianus* cecinit:

Luxuries perdulce malum, quæ dedita semper,

Corporis arbitriis, hebetat caligine sensum,

Membraque Circæis effæminat acriùs herbis,

Blanda quidem vultu : sed qua non tetrior ulla

Interiùs fucata genas, & amicta dolosis

Illecebris &c.

O tu quicumque es, uxorem duxisti, debitor factus es uxori, solve debitum, aut cede bonis.

At non sine maximo nostri animi cruciatu laudabilem matrimonii usum à suo optimo instituto ferè nunc degenerasse conspicimus; nam paucissimi hodie propter generandæ prolis finem coëunt, sed more ferarum in coitum feruntur, non matrimonii præcipuum finem meditantes, nec primariò in mente, sed tantùm secundariò ad explendam insatiabilem luxuriam. Vnum tantùm omni vitæ probitate majorem novimus primariò uti conjugii fine, nam dispositâ uxore in thori spondâ subuculâ etiam depositâ, cruribus divaricatis, & in altum elevatis, & iste omni devotione plenus, ante naturæ tribunal genuflexus prolixum habet alloquium, non uti matrimonio ad oblectamentum, laxum, sedandamque libidinem, non ad noxam ex retento semine vitandam, sed ad humani generis propagationem, ut conjugii jura exposcunt, illecebrisque voluptatibus, aliisque deliciis, quæ ad verum matrimonii usum non faciunt, se nunquam assentire protestantur. Nonnulli propter sanitatem tuendam tantùm coëunt; alii, quod maximè dolendum, ne sobolem procreent, vel extra naturæ limina habent amicas manus, vel congrediuntur, extra naturæ hortum semen projiciunt. Tandem aliqui, *corruperat omnis caro viam suam*, proh facinus! puellam, quæ in puero, alii puerum in puellâ, alterum in altero sexum mutant. Malè pereant perditi. Vir nubit in fæminam, Venus mutatur in alteram formam, ac proinde non mirum, si coitus superfluus sit, & deinde naturæ ager suo destitutus cultore sterilescat, & nulla pignora reddat; sed mutati post fata, ajunt, Pithagoræi in scarabæos.

Parcite jàm, castæ aures, si parùm honesta, & minus pudica hactenus in medium attulimus, ne erubescatis quæsumus, quia calamus non erubuit, nec nostrum cælibatum hæc pernecessaria tractatio lacessivit; siquidem non ad lasciviam concitandam, sed ad commodissimæ rei dilucidationem, vergente necessitate, & rerum serie pro sterilitatis alexipharco hæc scriptis mandavimus, & auribus ab uxoratis hausimus. In matrimonii itaque usu modestiam, & temperantiam commendamus, ut legitimo modo, & sanctis legibus concessus exerceatur; non enim illicitâ Venere quisquam uti debet, sed tantùm coire, ut liberis opera detur, & corporis sanitati consulatur, nec quod legibus divinis omnino adversatur, tentare opus est: Creator namque tantùm homini indulsit, quantùm ad speciei humanæ propagationem, & valetudinem tuendam sat est. Appropinquandum igitur uxori magna cum honestate, & temperantiâ in *Oeconomicis Aristoteles* his verbis in-

ſinuavit: *Sit pudor in verbis, in operibus verò fas, atque honeſtas, nec quatiant ſine verecundiâ, ac pudore, hæc enim meretrices ad mœchos pati decet.*

Expediti à ſex rerum nonnaturalium regimine, ad pharmaceuticam curationem gradum facimus pro ſterilitatis curatione; hæc namque vel legitimâ obſervatâ diætâ, vel pharmaciâ perficitur. Verùm curativa indicatio in ſterilitate multiplex eſſe ſolet juxta cauſarum multiplicitatem, quibus varia medicamenta occurrere debent: ac proinde non poſſumus non admirari aliquorum Medicorum inſcitiam, & reſupinatum errorem, qui uno, eodemque remedio omnem ſterilitatem abigere ſe inaniter gloriantur. Nos ſecundum cauſarum diverſitatem aliam, & aliam curationem inſtituemus.

Si itaque ſterilitas per maleficia, incantationes, carmina, & ligaturas introducta fuerit, perexiguus eſt Medicinæ locus, & rarò removeri poteſt, niſi ſimul veneficiorum inſtrumenta, quorum nempe beneficio talia parata ſunt: ſed pro his ad preces, & orationes confugiendum eſt, quæ à viris pietate præſtantibus ardenti animo fuſæ, divinum implorant auxilium, ac proinde maleficia, & incantationes, quæ fæcunditatem abigunt, exorciſmis, & adjurationibus, quibus per divina immundus ſpiritus expelli traditur, curantur. Præterea inquirendum eſt, ubi veneficium abſconditum ſit, ubivis in ædibus, an ſupra oſtii limen, vel ad cardines, ſi acus mortuorum, quæraturque in ſubliminibus, vel ſub lecto, ejuſvè ſtramine, culcitrâ, vel pulvinari, vel ſub ipſo pavimento quicquam abſconditum, vel defeſſum jaceat, & ſiquid reperiatur, igni comburendum tradatur, lectus autem, ipſiuſque ſtratum cum aliis permutetur, benedicaturque. Si nihil inveniatur domum permutatam oportet. Prodeſſe contra maleficium dicunt abrotanum oleo illitum, ac vino ſumptum, radicem aſparagi cum vino dulci coctam, allium hortenſe, ſaturejam, ocymum, vel carduum hortenſem vino generoſo maceratum, ſi hæc vera ſint experientia te docebit. Si ex fabis, nullo humano auxilio, ſed ſola divinâ virtute curari maleficium ſcribit Iſaac. Si verò ex nuce, jubet, ut conjugum uterque nucem integram ſeparet, ſpargatque ex utraque parte viæ, deinde conjungat, & poſt ſeptem dies coëant; hæc tamen omnia ex fide ſcripſimus, qua accepimus, nullamque experientiam feciſſe fatemur, ac proinde fides ſit penes authorem. Unum tamen dicimus, ſi hæc, & alia non juverint, imploranda eſt Divina Majeſtas, imprimis à peccatis recedendo, deinde largas diſtribuendo eleemoſinas, jejunia celebrando, ac ardentiſſimis precibus, & orationibus inſiſtendo: ſed ad quid tot carnis macerationes, & animi contritiones? ſufficit *Pater noſter.*

Solet humani generis hoſtis omnifariâ verſutiâ hominibus illudere, & nocere, & præſertim in iis, quæ ad

generationem pertinent: Sic in cœlibatu salacitatem, & in matrimonio odium, frigiditatem, & maleficium omni arte insufflat, vel per ligaturas virilitatem, & fœcunditatem adimit, ut nimirum illic scortationem, & hic adulterium promoveat, & in utrobique gehennæ reos distinet, probè noscens scortantes, & adulterantes in Regnum cœlorum non ingressuros. Per frigiditatem, seu extinctam virilitatem intelligimus morbosam erigendæ virgæ impotentiam in ætate floridâ extra morbum contingentem; hoc enim ægrotantibus, & decrepitis naturale est, quòd exhaustis spiritibus mentula flavescat, nec ullo pacto erigi possit, reliquis verò aliàs sanitate fruentibus, talique ætate, qua aliis coætaneis vigere solet: talis impotentia si accidat, imprimis matrimonio junctis, & brevi anteà contrario modo alacribus, consuetum, & morbosum quid est.

Hujus impotentiæ, seu frigiditatis causæ diversæ esse possunt, putà virium debilitas, cordis imbecillitas, & palpitatio, copiosa sanguinis effusio, seminis penuria, & frigiditas. Similiter nervorum virgæ resolutio ex nimiâ refrigeratione per moram in aquis, vel locis frigidis, vel per medicamenta refrigerantia intus, & extra adhibita, nervorum, & vasorum spermaticorum obstructiones per humores frigidos, & diætam crassam, & infrigidantem; frequentiùs verò impotentia procuratur per diabolicas, & veneficas operationes, uterque magicas à Satana per instrumenta sua ad corporis, & animæ noxam suggestas. Quandoque imaginationis distractio impotentiæ causa est, sicut evenit his, qui totâ suâ intentione ad studia, & magnas occupationes feruntur, vel maximis negotiis impensè occupantur. Quidam etiam in omnibus omni cogitatione, & imaginatione ad res divinas, & religiosas amorosè reperiuntur. Vel etiam in cunctis ad venerem quidem apti, & seminosi sunt, sed ita verecundi erga fœminas, ut appropinquantibus veluti incantamento impotentes reddantur, ut talis quidem impotentia aliam non habet medicinam, nisi ut priùs cum fœmina intercedat frequens consuetudo, & familiaritas. Diuturna quoque à venere abstinentia virilia contrahit, semen incrassat, ac fermè coagulat, eique interdum ad genitalia motum conciliat, & desuetudinem coitus parit, non secus ac diutina intermissa lactatio lac in mammis exsiccat, & aufert. Hujus impotentiæ remedium, ut virilia sæpe sæpiùs contractentur, fricentur, calfiantque, ut calor in illis excitetur, distendanturque de obstruantur, semen liquescat, & sic diu intermissa, vel sopita venus suscitatur, & vires acquirit. Ad hunc etiam finem multùm prosunt inunctiones, & interna medicamenta infrà describenda.

Adest

Adest & alia, tum respectu viri, tum uxoris impotentiæ causa, quæ est ligatura; uterque enim ligari potest, & hoc modo vir nullatenus virgam erigere potest, & mulier semper uteri cervicem sibi constringi sentit, non ut quidam, qui se ligatum dicit, & cum uxore nec erigere, nec nullatenus ob virgæ flacciditatem coire potest, & tamen est egregius masculorum concubitor; nam ligatus virilitatem amittit, nec ampliùs virgam erigere potest, nec uxor virum admittere. Ligat maledicta saga uxorem, vel virum genuflexa supra sepulchralem lapidem, tunc cùm sacerdos Missam celebrat, & sacrum facit, quidem ter recitat carmina, & tres nexus in patientis ligula vincit, & ligatus fit impotens propter maleficam operationem, donec ligatura per contraria carmina solvatur. Est & alius ligaturæ modus, qua veneficæ sua instituunt veneficia, per ligna nempe frigida, ut sunt quercus rami, & spinæ acaciæ, idest pruni sylvestris, è quibus clavum, seu paxillum sectione formatum in jamjam emissam ad terram urinam adhuc tepentem configunt, pedibusque penitùs intra terram calcitrando propellunt; & protinus vir ille, cujus urina ita maleficè tractata est, virilitatem amittit, nec ampliùs ipsius erigitur virga, donec clavus extrahatur, vel ligno priori contrario, nimirum calido operatio frigida annihiletur, quod fit ex surculis lauri, buxi, hederæ arboreæ &c. in fasciculum, seu scopas ligatis, quarum ramusculi sursum, caudices verò, seu manubrium dicti fasciculi deorsum recto modo teneantur, tum afflictus suam emittat urinam in superiores ramusculos, & ita à superiori ad inferiorem defluat, & à fascino liberatur: ambo autem conjuges unà omni vespere per aliquot dies quantitatem nucis juglandis electuarii sequentis cum vino generoso assumant, ut

℞. *rad. maj. turgidar. satirii*
recentis recentissimè contusar.
eryngii recentium,
vel recenter conditarum,
pastinacæ conditæ,
zingib. conditæ ana ℥j.
seminum erucæ,
pastinacæ,
napi,
fœniculi ana ʒj—.
urticæ,
lini ana ʒj—.
piperis longi ʒj.
scincorum, abjectis capitibus,
& pedibus num. iij.
rasuræ priapi cervini ʒij.
cum syr. conservæ cortic.
q. s. f. electuarium.

Alii homines & mulieres ligant, ut ad concubandum reddantur impotentes, ut si virgam lupi viri, vel mulieris nomine ligaveris, adeò ad veneris munus explendum imbecilles fiunt, ut ferè videantur eunuchi, donec solutus fuerit nodus. Solet quandoque contingere, ut hæ ligaturæ diaboli arte factæ tam validæ sint, ut nullâ bona, vel mala ope-

ope tolli possint; vidimus tamen semel, atque iterum aquę haustum ex ore equi masculi in præterfluente potantis elapsæ, & subitò vasculo collectæ multum contra ligatos profuisse. Item pudenda cujuscumque sexus, decocto aquilegiæ simplicis diligenter laventur, & dente demortui pulverisato super carbones fumigentur, in sterilitate, & impotentiâ per incantationem factâ hoc valet. Ligatum à quopiam malefico sanare creditur picus avis comesta: ad hæc suffitus ex dente hominis mortui, & si corpus totum inungatur felle corvino, & oleo sesamino. Vel si argentum vivum in calamo, aut avellanæ nucleo vacuo cum cera occlusum sub pulvinari maleficio læsi collocetur, aut sub limine ostii, per quod is in ædes, vel cubiculum intrat. Si sponsus, Arnoldus inquit, per nuptialem annulum mingat, solvi ab impotentia Veneris & fascino. Quòd si in amantis calceum stercus amatæ ponatur, ubi odorem senserit, solvitur amor: nam odiosa est hæc res, & ab *Ovidio* deducta in *lib. de remedio amoris*:

Illa tuas redolent, Phineu, medicamina menses:

Non semel hinc stomacho nausea facta meo.

Si sterilitas oriatur, quia fæmina virum admittere non curatur, sublatis obstaculis, quæ conceptionem inhibent; ac proinde si uteri clausura, imperforatio sit in causâ, ejus curatio ex propriis capitibus petenda est, & ad chirurgiam confugiendum. Si in causâ sit uteri angustia, distorsio, obstructiones, tumores, & ulcera, illis providendum est remediis in eorum curationibus. Partium genitalium angustia ob teneram ætatem, curatione non indiget, siquidem ætatis progressu propriam nanciscitur capacitatem.

Hiatus uteri si sit conceptionis impedimentum qui ex ipsius debilitate, putà immoderato coitu, magnitudine membri virilis, nimio menstruorum fluxu, fluore albo, laborioso partu, vel abortu originem habuit, & ita hisce de causis laxatur, ut fibras, & membranas uterus obserare nequeat, remotis causis occasionalibus hunc hiatum & laxitatem curabis primò exsiccante victûs ratione, deinde evacuantibus catharcticis, si humores abundent, postmodùm sudor proritandus est decocto radicis chinæ, salsæparillæ, ligni guajaci & sassafras, vel balneis sulphuris, suffumigiis, ut

℞. *Rosar rubr.* ℥ ss.
thuris,
mastich.
myrrh.
sang. drac.
boli armeni,
myrtillor. ana ʒj ss.
styracis calamitæ ʒj ss.
laudani ʒ ss.
spicæ nardi ℈j.
formentur trochis.
ad suffumigia paranda.

Vel præscribi potest fotus, ut

℞. *Decocti myrtill.*
florum ros.
Cortic. mali punici,
balaustiorum,

nucum

nucum cupressi,
rad. Symphyti,
in vino rubro.

Vel parari potest balneum sequens,

℞. *Matricariæ,*
absynthij,
origani,
calaminth.
artemisiæ,
flor. chamomill.
meliloti ana m. j.
sem. rutæ sylvestris.
Styracis,
calamit.
xylobalsami,
carpobalsami,
costi,
rubeæ,
been rubei ana ℥ß.

Coquantur in suff. aquæ quantitate pro balneo, quod ingrediatur mulier, & decumbat ad umbelicum usque.

Vel sequens pulvis parari potest, ut

℞. *Radic. Symphyt. mai.*
balaust.
nucum cupressi,
pilosellæ,
terræ sigillatæ,
eboris præp.
sang. drac.
mastich. singulorum partes æquales, pulverisentur, & singulo mane ʒij. dentur.

Si immodicus menstruorum fluxus, vel albus mulierum fluor, vel mensium suppressio conceptum impediant, & sterilitatis sint in causâ, ex propriis capitibus petenda est.

Obesitas tam respectu viri, quàm uxoris, est sterilitatis causa, quia obesi pauco gaudent semine ob nimiam pinguedinem, cùm seminis, & adipis eadem sit materia, ideoque veneri nimium indulgent graciles, quàm obesi. Præterea obesitas in viris penem reddit breviorem, & in mulieribus uterum comprimit, nimia partium naturalium pinguedo pudenda impedit, ne inter se adaptari possint. Si itaque obesitas infœcunditatis in causâ sit, Duplici scopo curatur, primus est, ut jam facta pinguedo absumatur, secundus verò est ut prospiciamus, ne nova generetur, pro quo assequendo victus ratio, in qua totus curationis cardo versatur, ita præscribenda est; ut tanta pinguedinis sarcina absumatur, & nova non regeneretur.

Aër itaque subtilior, calidior, & siccior esse debet, ut pinguedo attenuetur, resolvaturque, & hac ratione balneum siccum, hypocaustum &c. juvant.

Cibus sit parcus, & paucus, quia ciborum frugalitas, & abstinentia plures curavit obesos, nulla namque res majori celeritate, & securitate nimiam corpulentiam, quàm fluidi, solidi, & humidi subtractio minuit, ac proinde abstinentia, & jejunia non parùm faciunt ad maciem inducendam. Nos multos obesos ad triremes, vel hostilem carcerem detrusos solo tenui victu graciles, vel emaciatos ex his evasisse quotidie comperuimus. Notissima est illius Abbatis obesi historia, qui ad nimiam abigendam corpulentiam thermas maximo esculentorum apparatu petebat, datâ affinium operâ, in banditorum manus offendit, & ad multos dies in rupe cavatâ vinctus, & non citra excubias asservatus, solo pane, & aquâ parcissimè victitabat: interim simulatâ

multorum millium aureorum solutione pro recepta, & commeatum assequutus, thermas adire renuit; non enim illis indigebat ob abactam corpulentiam. Cibus itaque non sit temperatus, sed acris, acidus, salinus, ut incidat, attenuet, resolvatque, ac perinde qui vim diureticam habeat, ut limones cum sale, aurantia, fructus austeri, & acidi, qui valde extenuant. Item acriora aromata, zingiber in Indiâ conditum, cinnamomum, caryophylli, sinapi, nasturtium; verùm acida magna cautione usurpanda sunt, ne majora inde eveniant mala. Laudatur panis hordeaceus, quia minùs nutrit, reliqua alimenta, quæ nimiùm nutriunt, in parcissimâ præbeantur quantitate. Juvant pisces saliti, caro infumata, & tandem nunquam explenda fames.

Potus sit aqua, hæc namque non nutrit, vitetur vinum, quia cibi, & non potûs rationem habet; illam verò commendamus aquam, quæ per diuresim facilè exturbatur, & quò citiùs potus mingitur, eò meliùs corpus emaciatur, & id diabetes confirmat, qua correpti emaciari solent. Ad hunc proinde finem nimius aceti usus, vel posca, succus limonum, spiritus salis, vitrioli, sulfuris; acida enim pinguia incidunt, attenuant, resolvuntque; sed moderatè assumuntur, quia ex acidis intempestivè sumptis, ac nimiùm usurpatis obesos in alios affectus perniciosiores, & forsan incurabiles conjectos vidimus, multa ac proinde cautione usurpanda veniunt. Maximoperè ordinarium herbæ Theæ potum commendamus, quia omnem absolvit indicationem, alvum putà; urinam, & odorem movet, ideoque facili negotio emaciat.

Motus multùm conducit, & vehementiora exercitia pro corpore extenuando, exemplum in rusticis habemus, qui rarissimè corpulenti observantur; hinc mulieres vitæ laboriosæ, curis, ac sollicitudinibus incumbentes corpulentiæ non sunt obnoxiæ, & inde fertiliores experimur.

Quies nimia vitanda, ne in otium degeneret, nam obesitati producenda admodùm idonea est; unde hinc nobiles, & matronas ob desidiam ventricosos, servos, & servas ob assiduos labores, & exercitia graciles, ac proinde illos steriles, hos fœcundos, illos citiùs senescere, hos verò diutiùs observamus.

Somnus diuturnus fugiendus, quia impinguat, nam succus nutritius torpescit, & in copiosiorem agglutinatur pinguedinem, & corporis peripheriam occupat, nec per hanc resolvitur, hinc ursos, taxos, glires, qui toto hyemis tempore in latebrosis cubilibus quiescentes, in somno sepulti, pinguiores evadere, est experientia testis. Hinc *Martialis* inquit:

Dormitis nimiùm, glires, vitulique marini,
Nil mirum, si vos crassa Minerva premit.

Vitandus itaque somnus diuturnus, & diurnus, ad obesitatem curandam sufficiat somnulus nocturnus.

Vigilia magis conducit, quia corpus extenuat, omnes ejus superfluitates eliminando.

Excreta, & retenta naturæ imperio regu-

regulentur, ac proinde viæ, per quas digestionum scoriæ proscribi debent, sint patulæ; hinc intestina scybala quotidie deponant arte, vel naturâ, sed ad obesitatem tollendam horum suppetias non affert; observamus namque obesos diarrhœâ correptos facili negotio emaciari, ideoque purgatoria medicamenta ad hunc consequendum finem maximoperè conducere existimamus, ac præmissa exactissima diæta vomitus potissimum iis qui, vel quæ facilè vomere, & tolerare solent, lenis, & iteratus prodest. Deindè purgatiunculæ leviores sæpiùs, & per epicrasim iterentur; nam ortiora medicamenta nullatenus sustinere possunt obesa corpora, quia viribus non constant: Cave itaque à validis catharticis, ne pro tollendâ obesitate in aliam priori pejorem morbum, & forsan in mortis agonem patientem conjicias. Et quia viribus non constant, idcircò etiam à sanguinis missione abstinendum arbitramur, quamobrem errant, qui ad pinguedinem detrahendam hoc remedii genus conducere rentur, ex quo potiùs corporis habitus frigidior redditur, & vires labuntur, præterquamquòd sanguis non nutrit, & obesi pusillâ sanguinis copiâ potiuntur, sed succus alimentitius. Vtendum igitur pilulis de aloë, aleophanginis, vel de hiera cum myrrhâ mistis, quæ ut alia amara detersivæ sunt, quasi suâ amaritie succos attenuare, & simul dissolvere, bilem acuere, & sic acriorem, & amariorem succum alimentitium reddere possunt, ac proinde biliosi raro sunt obesi. Item *ex aloëticis elixiria*, & *extracta parata*, *necnon rhabarbaro, aloë*, & *agarico paratæ pilulæ* insigne hîc præstabunt commodum, sed omni mane, vel cubitum iturus has capiat patiens.

Præter medicamenta purgatoria per vices iterata, & maximoperè conducere arbitramur, quæ sensilem, & insensilem, & diaphoretica dicuntur promovent evacuationem: verùm insensilis omnes simul unitas superat, ut *Sanctorii* per multos annos experientia patet; hæc namque transpiratio nunquam supprimitur, esto sensiles quandoque desinant, & plus homines consumunt, quàm instaurant, licèt quotidie bibant, vorent, ut inde obesi reddantur. Trutina hanc litem dirimere potest, quia ex victu pleniori, vel crapula plurium dierum, imò mensium, aut annorum nemo fit ponderosior, omnes verò plus minùs leviores. Ad obesitatem itaque minuendam, vel tollendam multùm confert insensilis transpiratio, quæ laboribus, & exercitiis, nunc palæstrâ, pilâ, nunc curru, equo, vel navi excitatur, iis namque exercitiis validis succi, & ipsa corporis pinguedo acriores fiunt, & mediante acredine attenuantur, & insensibiliter evanescunt in auras. Hinc nimiam obesitatem maximè tolli sub ardentibus febribus, atrophiâ, phthisi, hecticâ, diabete observamus, ubi omnes corporis succi sunt acres, & salini, à calore excedenti præsertim febrili liquescere contenta quælibet, & attenuari magis, oleosæ plùs minùs cùm sint texturæ, non secus ac ipsa pinguedo, nemo facilè inficias ibit. Quæ igitur medicamenta diaphoretica,

retica, quia insensilem promovent evacuationem, multùm in obesitate conducunt, & pro his sudorifera substituimus; hæc namque si sudores non eliciunt, per diaphoresim deturbant, ideoque *lignorum decocta, ut guajaci, corticis ejusdem, sassafras, visci quercini, salsæparillæ &c.* conducere censemus, quia sanguinis massam, ejusque circulationem rapidiorem reddunt, unde pinguedo sensim liquescit, & denuo lymphæ imbibitur, & per poros sub formâ sudoris excernitur. Item sensibilem diuretica, quæ per urinam evacuant, recensemus, quia maximæ sunt energiæ ad extenuandum, ut patet in diabete, qua mediante corpora emaciantur. Item diuretica aliis præferimus *tartarea, & nitrosa, ut lapis prunellæ, sal nitrum fixum*, & alia quamplurima, quæ cap. de lithiasi retulimus. Item *radix apii, asparagi, semen dauci*, & ea, quæ menses movent, ut *capilli veneris, arthemisia, pulegium, sabina &c.* Verùm admonitas volumus mulieres, ne imprudenter nimis extenuantibus utantur, ab his enim mensium viæ arctantur, & sanguis ad superiora recurrit, unde sæpe multa mala, & sæpe mors accidere potest. Menses in fœminis, & hæmorrhoides in viris obesis suppressas semper promoventibus, & in mulieribus ea remedia, quæ in mensium retentione recensuimus, adhibenda sunt: atqui mulieres obesæ parùm vel nihil menstruant, quia pauco potiuntur sanguine, cum tota succulentia alimentitia ferè in pinguedinem degenerat, ideoque primò aliquantisper extenuandæ sunt, & deinde menstruæ purgationes promovendæ. Inter extenuantia fonticulos connumeramus; hi enim promiscuè quicquid inveniunt humoris alluentis colliquant, & successivè succum alimentitium in liquaminis purulenti formâ exhauriunt. Nimius veneris usus hîc multùm conducit, quia absumptis spiritibus animalibus, succi alimentitii copia assumptorum locum sequi debet.

Animi passiones malignæ ad imminuendam obesitatem multùm faciunt, ut mœror, curæ, ac sollicitudines, quæ succos incrassando, graciles reddunt. Item ira, rixa, excandescentia concitatior hoc facit, quia hæc spiritus attenuat, & eorum fluxum concitat, & succi acriores, vel salsiores, & inepti ad nutritionem redduntur.

Solet quandoque gracilitas; seu siccitas esse evidens sterilitatis indicium, ex terra desumpto argumento, nam simile fœminis gracilibus accidere comperuimus, quale arenæ, argillosæ terræ, aut petrosæ accidit, dum illis semina committimus, ut inquit *Hip. aph. 62. sect. 5. Et qui plus æquo siccas & adurentes, nam defectu alimenti corrumpitur, dissipaturque semen.* In sabuloso enim loco nihil feliciter nascitur, sed semen ocyssimè contabescit. Gracilitatis itaque curativa indicatio est, graciles incrassare, & pingues reddere, verùm difficile est siccam corrigere intemperiem, quia humiditas contraria parùm activa, & humida substantia deperdita non facilè restauratur, faciliùs perinde obesitas tollitur, quàm macies incrassatur, & longius est incrassandi,

quàm

quàm extenuandi tempus, & impossibile emaciatum pinguefieri arbitramur, nisi priùs maciei causa tollatur, & præsertim si aliqua alicujus membri principalis deperditio sit in maciei causâ, imò quò magis nutries, eò magis lædes. Cæterùm gracilitatis curatio perficitur per ea, quæ valdè nutriunt, & humectant, hæc namque eadem est, ac in hecticis, & in sex rebus nonnaturalibus investigamus.

Aër itaque sit humidus, & crassus, ut est in Bœotiâ, ubi homines sunt pingues, juxta illud *Horatii lib.* 2. *epist.* 1.

Bœotum in crasso jurares aëre natum.

& qualis aër, talis est sanguinis massa.

Cibus sit humectans, optimi nutrimenti, concoctu facilis, minimè excrementitius, & aqueo abundans humore, quare utendum est carnibus aquatilium, & domesticarum avium, quæ saginantur ptisanâ, aut pane in lacte macerato, lactucâ, endiviâ, vel intybo. Prosunt juscula pinguia pullorum, gallinarum, phasianorum, sturnorum, vituli, vervecis, in quibus parari potest panatella, vel etiam concoqui potest farrum, oryza, vel amylum, vel ptisana in lacte cocta exhibeatur. Lac maximè conducit, quia sicut infantes pinguefacit, ita adultos, similiter lac coagulatum, quod toto anno matutinis horis communiter per urbem divenditur. Juvant carnes testudinum, limacum, ranarum, gelatinæ, & aliæ carnes temperatæ, & mucilaginosæ, quæ omnes maximè nutriunt. Item ova sorbilia, & omnia, quæ humectandi rationem habent, Et hujusmodi sunt fructus horarii, inter quos uvæ, præcellunt, ita pinguedo, quia multam substantiam aqueam præstant, dummodò in paucâ quantitate sumantur, & nimio humido excrementitio careant, qui corrumpi possint. Similiter passulæ, caricæ, amygdalæ dulces, pinei nuclei, pistachia, & dactyli reddunt homines pingues. Panis tanquam optimum nutrimentum omnibus aliis admisceatur cibis juxta illud: *Omnia cum pane*, sed companatici rationem habeat, corrigit namque panis omnem ciborum pravitatem, ac proinde alimentorum Theriaca vocatur, & in omnibus vitetur fames.

Potus sit hordei, vel passularum decoctum, vel potiùs vinum tenue dulce; hoc enim maximè nutrit, & potiùs cibi, quàm potus rationem habet, unde qui plurimo utuntur vino, utplurimùm sunt pingues. Vitentur succi acidi, & præsertim acetum, & omnia acria & in omnibus sitis.

Motus vehemens omninò vitetur, unde vita sedentaria, & otiosa maximè conducit, verùm exercitium longè à cibo animi gratiâ peragi debet, ut recidiva fames resurgat.

Quies non tantùm corpori, sed etiam animo necessaria est:

Otia corpus alunt, animus quoque pascitur illis.

Verùm post cibum maximè conducit, & adeò temperata esse debet, ne in otium transeat, & inde multæ cruditates, & obstructiones aggerantur, ac postmodum multa mala sequantur, ac proinde motus, & quies moderationis fines non transiliant.

Somnus sit moderato paulò prolixior, hic enim graciles impinguat, & semper somnolenti vigilantibus sunt pinguiores,

quia somnus ciborum coctiones adjuvat, & multæ superfluitates meliùs in somno exturbantur. Præterea omnes abigit sollicitudines, & lassitudines à vigiliis advectas, ideoque quies rerum & animi pax dicitur, ut

Somne quies rerum, placidissime somne Deorum,
Pax animi, quem cura fugit, tu pectora duris
Fessa ministeriis mulces, reparasque labori.

Schola Salernitana docet somnum vitandum esse:

Si vis incolumem, si vis te reddere sanum;
Curas tolle graves, somnum fuge meridianum.
Parce mero, Cænare cave, nec sit tibi vanum
Surgere post epulas: irasci crede profanum.
Nec teneas mictum, nec cogas fortiter anum.

Sed hæc scholæ Salernitanæ carmina non tanti æstima, nam desinunt in anum.

Vigilia nimia proscribatur, quia coctionem inhibet, & enervat, cruditates gignit, & macilentos macilentiores reddit, ideoque aurea sit regula somni & vigiliæ, ne nimis excedant,

Retinenda, & excernenda debitis naturæ legibus ferantur, hæc namque à potu, & cibo suam cognoscunt genesim, quia parte essentiali post corporis substentationem resoluta, scoriæ, eorum reliquiæ, & superfluæ humiditates, quæ exercitiis consumuntur, & eliminantur per varia emunctoria, & primò alvinæ fæces, quotiescumque intestinorum gravitas persentitur, saltem semel in die, & præsertim matutino tempore eliminentur naturâ, vel arte, vitetur nimia lubricitas, quia hæc corpus emaciat, ut in diarrhœa observatur. Barbatissimi Galenici ad consumptos reficiendos, clysteres nutrientes præscribunt. Eodem ferè modo quoties vesica ab urina urgetur, exhauriatur. Hinc Schola Salernitana:

Nec mictum retine, nec comprime fortiter anum.

Fugienda nimia cibi, & potus repletio; non enim quod ingeritur, nutrit, & impinguat, sed quod digeritur, & hac de causâ Lurcones graciles observantur, quia eorum cibus non digeritur, & hinc corpus nutriri nequit. Si menses nimiùm fluant, refrænandi, aliter non tantùm sterilitatem, & maciem, sed etiam vitæ periculum minantur: suppressi proritentur.

Animi pathemata maligna prorsus declinanda sunt, ut ira, mœror, timor, anxietas, rixa, odium, invidia, iniquitas, ambitio &c. hæ namque passiones animum cruciant, spiritus prosternunt, carnes extenuant, & ossa arefaciunt, admittendæ itaque tantùm sunt benignæ animi passiones, ut spes, gaudium, risus, jucundæ confabulationes, & omni meliori modo animus, ad hilaritatem, & tranquillitatem componatur, tandemque venus alma vitetur.

Si sterilitas dependeat ab acido austero ductus Falloppianos, & alia vasa constringente, & quandoque illorum fibras convulsivè vellicante, & sic spiritum plasticum inquietante, & medicamenta, quæ acidum, & austerum corrigunt, conducunt, ita sunt

salia

salia volatilia aromatica, item absorbentia, cinnabarina &c. huic scopo sequens pulveris compositio succurrit:

> ℞. *Cinnabaris nativæ* ʒ÷
> *rasuræ eboris* ʒij.
> *secundinæ mulieris exsiccatæ* ʒ.j.
> *satyrionis* ʒ÷
> *m.f.pulvis.*
> *Dosis* ʒ÷

Si ductus Falloppianus à phlegmate, vel à materiâ tartareâ sit obstructus, ita ut seminium virile, estò optimè effusum fuerit, ad ovarium non perringere possit, tunc varia præparantia, incidentia, attenuantia, & purgantia conducunt, ita erit *tinctura ligni sassafras ab Hadriano Amynsiche descripta*, ut

> ℞. *Aquæ fontanæ bene coctæ,*
> *& adhuc summè calidæ lib.* viij.
> *ligni sassaffras in taleolas tenues incisi* ℥ij.

Stent in infusione per noctem in ollâ novâ vitreatâ, & bene coopertâ donec per se frigescant: manè per chartam filtrentur, & colatura clara cum tinctura cassiæ ligneæ parum aromatizetur, & ad usum pro potu quotidiano servetur. Hæc tinctura viscidâ, pituitâ, & materiâ tartareâ ductus Falloppianos infarctos deobstruit, illamque incidit, attenuat, & per uteri colluviarium eliminat, menses provocat, & uterum ad conceptionem præparat, quia ob ingentem siccitatem, & moderatum calorem loca generationi dicata ab omni infarctu liberat.

Maximopere etiam ad sterilitatem abigendam, & conceptionem juvandam supra dicti authoris sal uterinum commendamus, quia uteri obstructiones reserat, ut

> ℞. *Rad.bryoniæ lib.* ij.
> *dictamni alb.*
> *pœoniæ ãã lib.*j.
> *visci querc.*
> *granor.chameactes,*
> *Sambuci ana lib.*÷
> *Herbar.roris marini,*
> *melissæ,*
> *matricariæ,*
> *Nepetæ,*
> *pulegii ana* ℥iv.

Ex omnibus mistis fiat calcinando cinis, ex quo posteà cum aquâ melissæ, vel aliâ appropriatâ extrahatur sal candidissimum. Dosis ℈.j. in vehiculis appropriatis, & specificis.

Ad hunc etiam finem omnia salia volatilia ex herbis uterinis elicita conducunt, quia obstructi uteri vias reserant, viscidos humores utero impactos, incidendo, subtiliando, & depellendo. *Hartmannus* sal satyrionis commendat, si ejus ℈÷. post mensium fluxum in vino malvatico, vel in aquâ vitæ mulierum sæpiùs exhibeatur.

Præmissis præparantibus, & incidentibus, pituitam illam viscidam è corpore, & utero evacuabilis *resinâ jalap. vel mechoacannæ, vel agarici, vel pilulis de ammoniaco*, vel illis purgantibus, quæ uterum respiciunt, uterinis admistis.

Si ovorum tegumenta sint nimis crassa, vel dura, & vivili semine fœcundari non possint, conducunt tum salia volatilia, in primis ex herbis uterinis elicita, & ex his, quæ venerem stimulant, item spiritus armoniaci volatilis anthosatus, ut & varia suffumigia infundimus, pessi &c.

Sterilitas

Sterilitas si à paucitate liquoris in ovulis contenti pendeant, & omnia, quæ semen adaugent, conferunt, ita sunt cibi optimè nutrientes; *Succolata cum lacte cocta*, *Diacinnamomum regium ab Amynsicht descriptum*, ut

℞. *Succolatæ Indæ* ℥.iv.
*nuc.moschat Indicæ condit. num.*ij.
syr.cinnam.q.s.m.
in formam electuarii,
& adde confect.Alkermes ℥.j.
*olei cinnam.*ʒ÷.
ambræ moschatæ,
margaritar.trochiscat.ana ℈j.
*fol. auri Hungarici num.*xxxi.

Denuò misce, & tanquam regium, & magnificentissimm medicamentum, ad usum repone.

Item sequens electuarium, ut

℞. *Conf.flor.salviæ,*
anthos ana ℥.j.
Radic.eryng.conditæ,
nucis Indicæ conditæ ana ʒ.iij.
succolatæ ℥.iij.
pulv.antophyll.
sem.seseleos ana ℈ij.
cum syr.de cinnamomo
fiat electuarium.

Vt mulier itaque fiat prægnans, si opus, universalia præmittimus, & talia esse oportet, quæ venerem stimulent, & generationis instrumenta roborent, & hæc etiam viris conducunt, ideoque utrisque propinanda sunt; attamen simul habitâ constitutionis, & craseos subjecti propriæ ratione, in primis, an gracilitas, obesitas, vel cachexia militet, & aliæ quamplurimæ sterilitatis causæ spectandæ sunt, tum ratione seminis, tum instrumentorum generationi dicatorum, quas retulimus, quibus sublatis, fœcunditas respectu utriusque succedit.

Ad instituendam igitur curationem antequam menstrua fluant, universalia, quæ totum corpus respiciunt, præmittantur, & post medicamenta specifica utero appropriata continuentur, & hæc uterum, & partes generationi dicatas corroborant, & hujus energiæ sint, quæ venerem utriusque sexus stimulent & augeant, hujusmodi sequentia sunt medicamenta, ut

℞. *Castaneas vino Cretico maceratas, deinde coctas num.*xx.
*satyrionis num.*x.
*scincorum num.*ij.
pinear.
pistaciorum ana ℥.iv.
seminum erucæ ℥.ij.
cubebar. ℥.j.
cinnam.acuti ℥.÷.
sacch.lib.j.
fiat electuarium,

De quo sumatur ad castaneæ quantitatem ante, postve cœnam.

Vel ℞. *Pistaciorum* ℥.j.
zingiberis,
piperis longi,
scincorum ana ʒ.ij.
*satyrionis num.*iv.
pinearum mundatar.℥.v.

Contundantur optimè, misceantur, quibus adde conservæ radicis eryngii q.s. & fiat electuarium.

℞. *Cinnam.*
zingiberis,
piperis,
sem. nasturtii,
synapis ana ʒ÷.
linguæ avis,

sem.

sem. cæpæ,
schincorum ana ℈. j.
sacch. albiss. in aquâ ros. dissoluti ℥ iv.
fiat confectio in morsellis.

Decantatum est non solùm apud Medentes, sed etiam vulgus celebre *electuarium* illud, quod *Dyssatyrium* vocatur, cujus descriptionem adducere non pigebit:

℞. *Soccuul, seu*
eryngij alb. & mund. lib. j.
bull. in jure cicerum,
rad. satyrionis ℥. viij.
raphani ℥. iij.
dragonteæ ℥. ij.

Contundantur, quibus superpone lac vaccinum ad duorum digitorum eminentiam,
olei sesamini,
butyri vaccini recentis ana ℥. iv.

Coquantur convenienti igne ad spissitudinem, & si opus fuerit, reiterato, adde lac, oleum, & butyrum, quousque perfectè coquantur. Tunc immisce.
mellis depurati lib. vj.
succi cæparum humidar. lib. j ÷.

Iterum omnia coquantur, quousque perfectam adipiscantur consistentiam. Aufer ab igne, & sequentes inde pulveres,
caudarum, & lumborum scinci. ʒ viij.
seminum erucæ,
nasturtii,
pastinacæ,
sinapi,
asparagi,
zingiberis,
cinnamomi,
piperis longi,
linguæ avis,
sem. fraxini,
ana ʒ. iv.
m. & adde pinear. mundat. lib. j ÷.
pistachior. mundat. contusor. ℥. x.
cerebri passerum coctorum ℥ ij.

Omnia optimè misce, & aromatiza cum moschi ʒ. j. *ac probè subacta in vas optimè clausum ad usum reconde.* Dosis ℥. j. in vino puro generoso. Verùm in horum electuariorum usu multoties observavimus pro coitu augendo profusos accidisse sudores, & de more solito tantùm coivisse: non itaque cogenda, sed ducenda venus.

Supradictorum electuariorum vis est potenter venerem veluti emortuam excitare; corrigit namque, & emendat frigidam partium genitalium intemperiem à propriâ constitutione, morbo vel nimio coitus usu enatam; semen multiplicat, illudque fœcundum, & generationi aptum reddit. Testes, & renes roborat, eorumque imbecillitati succurrit, partes generationi dicatas proritat, calfacit, erigit, tumefacit, rigidas reddit, & coëundi desiderio æstuare facit, quia partes genitales aliàs frigiditate torpidas, vel nimio coitu effœtas calfacit, & confortat; ac omne coitus impedimentum aufert, hominem reddit fœcundum. Impotentes, frigidos, maleficiatos, & senes fortiter in veneris castris militare facit, & quamplurimi, qui diu cum uxoribus absque ulla liberorum spe concubuerunt, horum electuariorum venereorum usu innumeras susceperunt proles. Prætereà homines reddit hilares, & amasios, ac tota eorum mens veneris palæstram meditatur. Est tandem medicamentum analepticum, & nimio coitu consumptos, & emaciatos reficit, primævas restituit vires, stomachum roborat, & optimam per universum corpus nutrimenti distributionem promovet.

Verumenimverò admonitos volumus viros, ne his abutantur electuariis, nec violenter, & cæco luxuriæ impetu more ferarum ferantur; nam nimius coitus sterilitatis est occasio, & estò nonnunquam hæc medicamenta venerea, tam fortem reddiderint naturam, ut ad decies, quindecies, & ultra coëundum pervenerint multi, tamen simul animam cum vitâ veneris in castris amiserunt, nimium namque est naturæ inimicum: omnia itaque moderatè fiant, tum ob fœcunditatem, tum ob vitæ incolumitatem, & sic unâ fideliâ duos dealbabunt parietes.

Essentiam Satyrionis sub brevibus, & obscuris verbis *Paracelsus lib.* 3. *cap.* 11. *de Vitâ longâ*, *& ab Osvualdo Crollio in Basilicâ chymicâ* explanatam, reperimus, & est præstantissimum medicamentum in venere confortandâ, daturque magno cum juvamine frigidis, & maleficiatis: senibus item invalidis virilitatem amissam potenter restituit. Dosis ʒ. j. ad iij. & iiij. in vino muscatellino.

Idem *Paracelsus* specificum Venereum describit, ut

℞. *Castorei*,
galangæ,
macis,
caryophill.,
anisi,
piperis longi,
boracis Venetæ ana ʒ. ij.
boleti cervini ʒ. j ÷.
satureiæ,
rad. satyrionis,
valerianæ ana ʒ. j.
stinci marini sine caudâ,
aronis,
cardamomi ana ʒ. ÷. *m.*

Et redige in pulverem tenuissimum, quem cum essentiâ ambræ tertiâ parte distempera, & fac inde cum spiritu pilulas. Dosis ʒ. ÷. vel ʒ. j ÷. leniter in ore dissolutæ deglutiantur.

Maximæ energiæ pro languidâ, & emortuâ venere confortandâ, & excitandâ est satyrium ex signaturâ, quia ejus bulbi testiculos, vel humanos, vel brutales repræsentant, (ab aliquibus testiculi canis vocantur) quia duos habet bulbos hæc planta in radice, & unus est turgidus, alter verò flaccidus. Turgidus luxuriam incendit, eamque flaccidus extinguit; colligendi sunt itaque bulbi turgidi, & in electuariis contra impotentiam, amissam virilitatem, & fœcunditatem adhibentur. Potest fieri ex his conserva, vel eædem radices condiantur pro usu Venereo.

Ejudem facultatis cum satyrio est *Eryngium*, nam egregias habet vires in concitandâ venere, ac ejus radix, & semen in electuariis, & morsulis venerem excitantibus præscribitur radix condita. Fit ex radice eryngii conditâ *electuarium*, quod singulariter pro maritis frigidis maleficiatis commendatur, ut

℞. *Conf. rad. eryngii.*
satyrionis ana ℥ iij.
zingiberis viridis conditi,
cortic. citri condit. ana ℥ ÷.
amygdal. dulcium,
nucleorum pini,
pistachiorum,
avellanarum,
dactylor. pulpæ,
nucum viridium ana ℥. j.
priapi tauri,
testiculorum leporis ana ℥ ÷.
seminum pistaciæ,

cinaræ

cinaræ,
erucæ,
sinapi ana ℥. j.
piperis albi,
galangæ,
cinnamomi ana ℥. ÷.

Tritis terendis misceantur omnia f. l. a. electuarium, quod insigne est contra viros frigidos, & maleficiatos secretum. In omnibus medicamentis venerem cientibus observetur, addenda esse primò remedia, quæ semen augent, ut sunt *amygdalæ, nuclei pini, pistaceæ, pulpa nucum viridium.* Secundò admiscenda, quæ semen titillandi vim habent, ut sunt, quæ sale volatili acri constant, *ut piper album, galanga, cinnamomum; & semen erucæ, eryngii, sinapi, cinaræ &c. Eruca* sale volatili acri abundat, ac propterea eximium est venereum, tam ejus planta, quàm semen: in stimulandâ venere hic est vulgare remedium, nam ubique in campis ubertim reperitur, & in foro olitorio passim venalis invenitur, ac propterea Schola Salernitana canit:

Excitat in venerē tardos eruca maritos.

Hæc medicamenta descripsimus, non quia venerem diminutam, vel emortuam stimulant, excitant, & augent, sed quia venerem excitando, utriusque sexûs partes generationi dicatas roborat, & hinc fœcunditas succedit; omne enim agens agere non potest, nisi priùs exaltetur, & naturæ hortus fœcundus esse nequit, nisi optimè colatur, undè *Priapus Bacchi, & Veneris filius* propter membri virilis magnitudinem in Deorum numeros receptus, meruit esse numen hortorum. Roborantur itaque & disponuntur genitalia ad fœcunditatem, si conceptionis impedimenta specificis auferantur; omnis namque fœcunditas à sale dependet, exemplum, & experimentum à terrâ fertili parente sumimus; nam quò sale abundat, eò fœcundiori generatione in eâ luxuriant quæcumque generabilia corpora, & feracior redditur. Imò compertum habemus, quod si terra omni sale privetur aliquo mediante artificio, ita sterilescit, ut semina, & plantæ minimè in ejus gremio germinent, & crescant: ubi verò abundantior est sal, ibi feracior existit. Sic salis beneficio ex fimo, vel vegetabilium corruptione resultantis, saginantur arva, dum stercorantur. Præterea rustici sylvas, sentosaque arva subjectis incendunt flammis, & in cineres vertunt, quia hujusmodi cineres plurimo scatent sale, ac proindè hujus salis beneficio arva, plantasque reddunt fœcundiores, unde vegetiùs pullulant, germinantque, si cineribus, quàm fimo fuerint saginatæ, latet namque in hujusmodi cinerum alkalibus salibus vis, & fomes quidam vitæ, unde cineres alicujus vegetabilis in aliquam telluris partem indantur, vim seminalem ejusdem speciei vegetabilem producendi habet. Quæ venerem stimulant, genitales partes generationi destinatas roborant, & ad fœcunditatem disponunt, salinæ sunt particulæ; Sal itaque venerem concitat, genitalia firmat, prolificumque reddit semen, & qui salsamentis, carnibusque sale maceratis vescuntur, alacriores ad venerem redduntur, & hinc salaces veneri sunt dediti, ac proinde venerem è sale natam finxêre poëtæ.

Abundat uterus ſale, eodemque imbutum eſt ſemen humanum, ut guſtu cuique patere poteſt, attamen utriuſque ſexus ſal ſuum temperiem ſervare debet, & hanc nullatenus excedere; nam ſi ſit inſipidum nulla fœcunditas expectatur, ſed tantùm ſterilitas, & cognoſcitur tum guſtu, tum inertiâ ad coitum: ſi verò ſit acerrimum, ſterilitatis eſt argumentum, expetitur guſtatu, quia linguam ſalſedine ſuâ diſcerpit, tùm nimio coitu, tùm quia partes tangendo, ipſas veluti ignis excalfacit, vel incendit. Exemplo terræ id comprobamus; nam ſi ſit indiga ſale, vel eodem exceſſivè referta, infœcunda redditur; ſiquidem terra ſuo ſpoliata ſale ſterileſcit; & loca ubi ſal effoditur, cæteræque ſalinæ ſteriliſſima ſunt, quippe ſal fixum ſuâ exurenti acredine fœcunditati prorſus reſiſtit, vegetabilium germina exurendo, & cætera ſalia volatilia, vel fuſa in ſe fixando. Sal, quod terræ fœcunditatem continet debet eſſe fuſum, & tenuibus particulis compoſitum, ut quolibet fermentitio motu exaltetur, ut in plantam germineſcat; nam alkalium indolem redolet, ideoque terra alkalibus reſperſa uberior redditur.

Ea itaque medicamenta fœcunditatem promovent, quæ utriuſque ſexûs in ſemine ſalia corrigere, emendare, & ad propriam temperiem prolificam reducere apta ſunt, & hæc volatilia ex aromatibus venereis, & uterinis elicita eſſe oportet, ut *moſchata*, *ambrata*, *theriaca cæleſtis*, *diacinnamomum Regium*, *eſſentia nucis moſchatæ*, *roris marini*, *veronicæ*, *tinctura coralliorum ſaſſafraſſata*; *ſal volatile Satyrionis, eryngii, vel erucæ ad* ℈. j. *in aquâ vitæ mulierum*, *emulſio piſtachiorum*, & *pinearum*; *ſal volatile meliſſæ, matricariæ*, *arthemiſiæ &c.* Maximum, & certum ſpecificum eſt *elixir Crollii uterinum* cujus ℈. j. in omnibus uteri defectibus in aqua meliſſæ pro vice aſſumitur, & multas mulieres ſteriles hujus elixiris uſum fœcundaſſe ſcimus. Partes genitales, vel animalium ſalaciſſimorum ad abigendam ſterilitatem quammaximè juviſſe obſervavimus, ita ſunt *teſticuli verris exſiccati*, *vel priapus cervinus ad* ʒ. ÷. Item *vulva leporis*, *vel cervæ exſiccata.* Valet *eſſentia teſticulorum*, *vel vulvarum propinata cum eſſentiâ ambræ.* Summoperè commendatur *electuarium factum ex priapo tauri*, *& cervi cum floribus ſtoecadis Arabicæ*, *& melle*, quod convenienter irrorari poteſt cum *eſſentiâ formicarum.* Inſigniter nonnulli contra ſterilitatem laudant *pulverem ſecundinæ humanæ ad* ʒ. j. Item ſummoperè extollitur *ſpiritus formicarum*, *& ex his parata eſſentia uterina.*

In viperis præſertim bonum ſal latet ad fœcunditatem conciliandam; totius namque corporis œconomiam renovat, viſcerum fermenta jam effœta reſtaurat, & vitalem ſanguinis fermentationem promovet, & maſculat. Præ cæteris *Helidæus Paduanus in obſ. p.* 294. refert, quod brodio, in quo carnes viperinæ decoctæ fuerunt unà cum columbo juveni myrobolanis, & ſimilibus, mulier leproſa fuit curata, quæ cum eſſet jàm quadragenaria, & anteà ſemper ſterilis, hoc ipſo decocto tamen, & ſanata à leprâ, & ſimul fœcunda fuit reddita. Unde viperarum eſus, earundem eſſentia, aut in ſpecie ſal volatile non erunt fruſtranea ad conciliandam fœcunditatem, cùm notum ſit, quòd viperarum eſus mares reddat fœcundos, non aliter ac galli, & gallinæ

viperis enutriti admodum fiunt fœcundi; quorum animalium postmodùm easdem vires possidentium esus ad eadem confert mala, & cùm scabiem, quem veneream &c. sanat, tum etiam ad fœcunditatem, vitæ productionem, corporis nitorem, & oculorum claritatem conciliandam, confert.

Internis externa copulanda sunt, ac proinde utilia sunt balnea artificialia, menstruâ purgatione exactâ, quæ ad quinque dies continuari debent, ut

℞. *Rad. bryoniæ,*
imperatoriæ,
angelicæ,
valerianæ,
ireos,
fol. betonicæ,
mercurialis
artemisiæ,
pulegii,
majoranæ,
lauri,
salviæ,
matricariæ,
summitat. juniperi.
bacc. juniperian q. s.
fiat balneum,

Egressa è balneo per dimidiam horam in lecto decumbat, & *sacculum* justæ magnitudinis ventri imponat, è *melissa, calaminthâ, menthâ, aut matricariâ paratum, & vino aspersum.* Vel institui potest suffitus *ex gummi anime, tacamaachâ, benzoës*, vel

℞. *Gummi juniperi* ʒ. j.
bacc. ejusdem ʒ. ij.
thuris,
mastich.
gummi ammoniaci ana ʒ. ÷.
m. pro suffitu.

Aut fiant trochisci carbonibus injiciendi pro suffitu, ut

℞. *Ladani,*
styracis calamitæ,
benzoës ana ʒ. ij.
ligni aloës ℈. j.
moschi gr. vj.
cum infusione tragacanthæ,
aqua ros. facta f. trochisci.

Adhiberi debent interim pessi *è foliis mercurialis, & matricariæ recens contusis*, vel

℞. *Mastiches,*
styracis liquidæ ana ℥. ÷.
fol. melissæ,
nepethæ
mercurialis ana ʒ. j.
caryophyll.
nucis mosch. ana ʒ. ÷.
zibeth. ℈. ÷.
ceræ albæ q. s.
fiat pessarium.

Post balnea, & suffitus, pectinis, & umbilici regio oleis, & linimentis uterinis inungatur, ut

℞. *Olei cheirini* ℥. ÷.
destillat. majoranæ ℈. j.
caryophyll. ℈. ÷.
nucis mosch. per express. ʒ. j.
styracis liquidæ ʒ. ij.
zibethi,
moschi ana gr. vj.
ceræ parum
f. linimentum.

Varia emplastra perinæi, & lumborum regioni applicant, quæ continuò gestant, vel singulis noctibus usque ad ultimam hebdomadam, quâ menstrua erumpere solent, ut

℞. *Emplastri matricalis* ℥. j.
styracis liquidæ,
gummi carannæ ana ʒ. ij.
gallæ moschatæ ʒ. ÷.
ol. caryophyll. ℈. ÷.
nucis moschatæ per express. ʒ. j.
m. cum oleo cheirino,
fiat emplastrum.

Summoperè commendantur clysteres uterini, ut

 ℞. *Rad.*

℞. *Rad. utriusque Aristolochiæ ana* ℨ. ij.
gentianæ,
zedoariæ ana ℨ. j.
herbæ hederæ terrestr.
Centaurii min.
rorismarini ana m. j.
melissæ,
artemisiæ rubræ ana m. ÷.
cardamomi min. ℥. ÷.

Incidantur, & contundantur pro decocto ad clysterem.

Tandem ad sterilitatem abigendam utiles sunt thermæ naturales sulphureæ, bituminosæ, aluminosæ, nitrosæ, ad quas plerùmque mulieres steriles, tanquam ad asylum confugiunt, & quædam sæpè non sine fructu. Habemus hic uberrima *Balnea in Aenariâ, ut Gurgitelli, Cytharæ, & Plagæ Romanæ à Iulio Iassolino descripta*, ad quæ nostrates Medici infœcundas mittunt mulieres, sed non felici cum successu: Cæterùm omnibus balneis palmam præripiunt ad fœcundandas mulieres balnea *Novana*; hæc namque adeò salutifera, & infallibilia ob innumeras observationes, & quotidianas experientias sunt, & omnes sterilitatis causas emendandi, corrigendi, & peculiari, ac privata adimendi patiantur energiâ, suppressa menstrua provocant, uterum purgant, & à quocumque pravo abstergunt humore. Insuper hæc balnea moderatè mollificant, ac proinde uteri durities, callositates, scirrhos, cæterosque tumores resolvunt, uteri clausuram, vel angustiam aperiunt, distorsionem dirigunt, pravam membrorum confomationem emendant, omnem uteri intemperiem tam simplicem, quàm compositam corrigunt. mirabiliter exsiccant, unde fluorem album sistunt, menstrua impetuosè fluentia coërcent; uterum prolapsum ad pristinum reducunt statum; omnes incantationes, & maleficia solvunt, & ob subtilem, digestivam & penetrantem, quam habent virtutem, causam cujuscumque conditionis occultâ, & specificâ qualitate emendant. Quod magis mirandum, balneatores isti nunquam laxantur, & magnâ charitate, fraternâ imò paternâ hæc balnea quocumque anni tempore subministrant, balneantque mulieres infœcundas in privatis laribus; qua de re in maximâ veneratione, & conceptu habentur apud mulieres, eosque mariti venerantur, quia plurima de dotium restitutione dirimunt litigia, & innumeram procreando sobolem, à pueris, imò ab omnibus indifferenter Patres vocantur.

CAPUT V.

De furore Vterino.

Est & aliud symptoma, quod miserum sexum fœmineum quandoque infestare solet, vocatur *furor uterinus* quo corripiuntur fœminæ, abjecto pudore, & omni verecundiâ, & nullâ honestatis ratione habitâ, lascivis, & obscœnis verbis delectantur, venerem avidè, & furiosè expetunt, & ad eam viros invitant, iisque se prostituunt, sic audent, quæ ad explendam venerem facere possunt. Vocatur *Nymphomania.* Item *Priapismus fœminarum.* Aliis etiam dicitur *Melancholia mulierum. Vteri deliramen-*

deliramentum, spiritus plastici furor, excandescentia &c.

Symptoma censetur in genere actionum læsarum, tam naturalium, quàm animalium; nam immoderata ad naturalem, depravata veneris imaginatio ad animalem spectat, fitque jam malignæ & fœdissimæ mentis passio. Provenit ex vitiato uteri temperamento, unde locus primariò affectus uterus est, ac ejus partes, in quibus veneris viget appetitus, ut sunt testes, & processus ille, quem delectationis sedem in quibusdam statuimus, ac præsertim collum uteri, & ejus osculum, sicut canina fames, & immodica sitis in ore ventriculi fiunt: per consensum autem communicato fervore diaphragma, & cerebrum etiam compatiuntur, utrolibet enim vitiato delirium sequitur.

Ex quo patet affectum hunc diversum esse à salacitate; etsi enim in salacitate quoque fit magnus veneris appetitus; tamen nullum adest delirium, & fœminæ salaces intra honestatis rationis limites adhuc se continent, & siquid tamen occultè id faciunt, in præsentiâ verò aliarum appetitum illum venereum celant. Ita liquet differre à pruritu uteri, quia iste in senioribus etiam ortus sine libidine, delirio, & veneris appetitu esse potest; si sit conjunctus cum appetitu venereo, saltem salacitatem parit, & fœminas libidinosas facit sine delirio, & furore, quales fuerunt *Semiramis Regina, & Messalina*, quæ lassari quidem poterat venere, sed non satiari. Si ille in sui consensum cerebrum trahit, rabiosum delirium ad illum sequitur, ex quo fœminæ depositâ omni pudoris verecundiâ insatiabili desiderio viros palam insectantur, aut sese suspendio, flammæ, & in puteos præcipites dant, majoris dedecoris fugiendi gratiâ. Ad hæc uti pruritus satyriasi virorum, ita furor priapismo correspondere videtur, & in pruritu, quia humor turget, partes cum delectatione dolent, in furore non dolent, tandem quia pruritus annosis, furor virginibus magis contingit; nec aliter differt à furore maniacorum, nisi quod in illo uteri substantiâ, & universum ejus corpus, eisdem afficitur symptomatibus. Est quidem & alius affectus huic affinis, quem uteri furorem antiqui appellarunt, quando nimirùm universa uteri substantia, & totum ejus corpus incalescit, cum dolore, & lumborum gravitate, horripilatione, fastidio, & urinæ, ac excrementorum alvi suppressione, & fœmina coitum vehementer appetit, sed ob dolorem venere uti pertimescit. Verùm à solâ intemperie uteri calida provenit iste affectus, non à seminis acrimonia, ut furor uterinus.

Ad furorem uterinum pertinet, & illud symptoma, quo nobilem aliquam fœminam, ætatis mediocris, bonæ habitudinis, sanguineam, albam, carnosam, & facie rubram, elegantis corporis, aliàsque pudicam correptam fuisse scribit, *Matthæus de Gradibus cons.*80. Ea, cùm non esset prægnans, per intervalla quædam in mentis perturbationem incidit, & furiosa quasi evasit. Primùm totum corpus ejus tremuit, omnesque ejus partes etsi immobiles detinerentur, in ventre sonitus audiebantur, & hinc præter solitum veneris, ac libidinis cupido

cupido invasit; cui immoderato appetitui, cùm vir satisfacere, sive non posset, sive non vellet, reddebatur vigilans, & incipiebat quasi insanire. Postquam verò à viro concepit, semper libera fuit ab omnibus hisce accidentibus, si verò post partum inter annum, aut duos non conciperet, in pristinum furorem incidere solebat.

Appetitus nimirum naturalis sensitivum stimulat, qui etsi à ratione corrigi, & supprimi deberet: tamen, ut in causis jam dicetur, cùm sit nimius, ratio, & vincitur, & delirium quasi excitatur, ut fœminæ, omnis honestatis oblitæ, obscœna loquantur, appetant, & faciant, imò quandoque etiam mortem sibi ipsis afferant. Et cùm varia hic appetitûs naturalis, & sensitivi pugna sit cum ratione, quæ in honestis fœminis moderari, & supprimere appetitum conatur, hinc hujus affectûs quidam gradus, seu differentiæ oriuntur. Interdum enim honestæ fœminæ hunc appetitum persentiscunt; sed eum, quantùm possunt, supprimunt, nec præ pudore patefacere audent, unde præ nimio veneris appetitu contabescunt. Interdum verò fœminæ ab appetitu illo vincuntur, ut eum rectâ ratione, nec moderari, nec celare possint, unde cum impudentiâ, & audaciâ, nulla verecundiæ habita ratione cogitationes liberè proferunt, & turpia atque obscœna loquuntur, virosque sine pudore sectantur, & sollicitare audent. Ideoque plurimi statuunt hoc affectu laborasse virgines illas *Milesias*, & mulieres *Lugdunenses*. De virginibus enim Milesiis refert *Plutarchus*, *de virtute Mulier.* eas catervatim sese suspendisse, nec potuisse monitis, precibus, aut ullâ vi impediri. De Lugdunensibus verò mulieribus refertur, quòd catervatim sese in fluvios, & puteos præcipitarint, quod factum esse putant, quod cùm summo veneris appetitu laborarent, nec tamen præ pudore affectum hunc patefacere auderent, nec etiam appetitum illum tolerare possent, præ impatientiâ vitam laqueo, & aquâ finire aggressæ sunt, sicut de peste illâ Atheniensi scribit Lucretius lib. 6. quòd ægri præ ardore in fluvios se præcipitarint: & amore insano quosdam laborantes, cùm re amata potiri non possent, sibi ipsis violentas manus intulisse, ex historiâ notum est.

Laborant itaque in his affectibus cerebrum, & spiritus animales, & quidem ex consensu partium genitalium, & uteri, quod ex sequentibus patet. Nam quòd ita delirant est quòd perpetuò pruriunt, & irritantur circa uterum partes genitales, imprimis spiritus naturalis. Nam ut naturalis pruritus, & titillatio cupidinem faciunt veneris, & desiderium, ita continua, & immodica irritatio continuum faciunt desiderium, & cui præ magnitudine causæ resisti non potest. Vt enim titillationi minùs assuetæ resistere nequeunt, quin in nescio quos gestus inimicos, & ludicros impellantur, sic & iis accidit, quæ in hoc affectu corripiuntur, ut scilicet continuò irritatæ, & titillatæ, vel prurientes nihil nisi de venere, cogitent, & loquantur, manente eâdem affectione, imò verò crescente, in furorem & delirium adiguntur. Huic affectui potissimùm

obnoxiæ ſunt aut viduæ juniores, aut virgines temperamenti tantillò aut calidiores, aut melancholici.

SIGNA.

Inveteratus quamvis hic affectus ſignis non indigeat, utpote qui ex furore, delirio, colloquiis, & ſimilibus aliis veneno referentibus facilè cognoſci poteſt, incipiens verè in paulò honeſtioribus ſæpe latet, & nonniſi prudenti conjecturâ cognoſci poteſt: Cognoſces tamen ex triſtitiâ, mœrore, taciturnitate, lachrymis, pulſu parvo, debili, & ſubinde tardiore, ſubinde verò frequentiore, prout ſcilicet ſermo inciderit de amore, aut venere, aut juvene aliquo amabili. Sic etiam hariolari poteris ex oculis demiſſis, tumentibus, volubilibus, & acriter ſplendentibus, ex ſubitâ mutatione triſtitiæ; ſi mentio fiat rei venereæ, aut coitus, riſuque ſubſequente immodico, ex faciei rubore pallorem ſubſequente. Prodit etiam fœminarum affectionem garrulitas, & quod inſtar furiarum aguntur inquietæ, iracundæ, oculis ſublimibus, & incompoſitis, pruriunt, ac manibus locos ſæpiùs fricant, quorum attactu inſigniter delectantur, nihil aliud imaginantur, aut loquuntur, quàm de virorum conſortio, de coitu, de rebus laſcivis, & inhoneſtis, quæ omnia etſi pudore fœmineo, interdum celent, gaudent tamen iis auditis, & ſimilibus, maximè ſi impudici tactus occultè accedant. Vix abſtinere poſſunt à ſermonibus venereis, à geſtibus impudicis, multa loquuntur inconcinnè, delirant de perſonis, quas amant, ſaltant, tripudiant; geſtum, & vultum viris gratum, & amicum præbent, & quod intus urit geſtibus oſtendunt, viros adoriuntur, ſuavia cum ſuavibus commutant, oſcula oſculis excipiunt, imprudenter ſe gerunt, & inſtar melancholicorum varia ſibi imaginantur. Affectio multò gravior, & acerbior ſatyriaſi, ac pruritu, indecens, ac turpis, quæ tamen adhibitâ multâ diligentiâ facilè curatur, non adhibitâ, in inſaniam, & in opprobrium procumbit.

CAUSÆ.

Veteres Galenici exiſtimarunt ſemen in hoc affectu putreſcere, & malignam qualitatem induere, unde gravia hæc ſymptomata emergunt. Verùm ſi putreſceret, proculdubio malignam, & venenatam qualitatem indueret, & quod tangitur à putredine putreſcit. Verumenimverò ſi ſemen intra vaſa ſua propria ſaltem incaleſceret, & majorem, quàm naturaliter ſolet, acrimoniam contraheret, naturam tamen firmat, retinet, & ita nulla prava ſymptomata inducit, ſed ſaltem veneris nimiam appetentiam excitat.

Hippocrates in lib. de morbis virgineis retentum ſanguinem menſtruum cauſam hujus mali eſſe dicit. Sed pace tanti viri obſervatum eſt, fœminas quasdam, quibus menſes rectè fluxerunt, hoc malo laboraſſe.

In hoc malo duo effectus præter naturam concurrunt, unus eſt in cerebro, ſcilicet appetitus immoderatus, ſeu imaginatio, imò forſan etiam ratiocinatio depravata circa inſatiabilem veneris appetitum, qui animalis facultatis depravatio eſt: Alter verò & à quo appetitus animalis vitiatus oritur, eſt appetitus naturalis veneris

neris nimius. Ut enim in aliis actionibus, naturalis appetitus sensitivum movet, hic verò ipsam, & ratiocinationem, quæ tamen utrumque, si omnia rectè se habent, moderatur, tamen appetitus sensitivus interdum vincit rationalem.

Nonnulli quidem delirium hoc oriri à vapore per spinalem medullam, & vasa ad cerebrum pertingentia à semine calido ascendente existimant, qui spiritus animales turbet, & hoc delirium excitet. Verùm non putamus necessarium esse hunc vaporum ex semine ascensum, sed solùm nimium appetitum sufficere. Cùm enim viris amor insanus à continuâ de re amatâ cogitatione excitari possit, sine vaporis alicujus spiritus turbantis communicatione, & è testibus ascensu, idem etiam in fœminis accidere potest ex nimio appetitu, qui imaginationem, & ipsam rationem quoque vincit.

Ut deveniamus ad causam tam horribilis affectûs, scire oportet, spiritus ille incendiarius redditur flammivorus, inprimis incendit eas Ideas, quæ exprimunt de Venere; hinc illi spiritus circa partes genitales existentes cerebro talem plicaturam faciunt, & eosdem poros cerebri aperiunt, ut ferè nullæ aliæ Ideæ fiant, quam de libidine. Causæ verò, quæ spiritum irritant, & stimulant præter ætatem juvenilem, temperamentum biliosum, veneris experimentum, potissimùm sunt liquoris genitalis muliebris ex glandulis cervicalibus proveniens abundantia, & acrimoniâ, eaque salsâ, vel acidâ, spirituum copiâ, propter quam illæ quidem magis, vel minùs ad venerem incitantur, majoremque, aut minorem ex coitu percipiunt voluptatem, & denique causæ externæ, ut sunt aër calidus, siccusque & serenus, propter quam causam mulieres æstate, magis quàm hyeme, aut alio tempore ad venerem irritantur, alimenta quoque calida, acria, salita, acida, aromatica leniter diuretica suum symbolum addunt; Venus enim ut sale prognata creditur, ita salsis, acidisque, & aromaticis valde accenditur. Vigiliæ quoque protractiores hîc contribuunt, & vita otiosa. Varii ex memoriâ, aut recensione rei venereæ affectus animi, & denique excretiones quædam vel suppressæ, vel auctiores, ut menses suppressi, alvus segnior, liquoris ex utero copiosum profluvium, quibus accedunt blanditiæ amantium, choreæ, amores ficti, & similia. Miseræ mulieres in principio utplurimùm nondum audent præ pudore affectum proferre, sed tacitè lascivientes paulatim contabescunt, quòd si putridus insuper sit halitus, desipientia conjungitur, ac tum fœminæ pulso pudore cum audaciâ, quasi œstro percitæ, viros insectantur, & appetere, imò sæpe sollicitare audent, maximè, si connaturale temperamentum calidum augeatur; quas plerumque vulgares philtris, hoc est amatoriis poculis infectas, ac seductas existimant, quin & ipsæ non raro idipsum prætexunt, ut patrata facinora excusent, aut metu pœnæ, aut rerum causas ignorantes.

PROGNOSIS.

Miserabilis autem est hic affectus, quod lentè tantùm, & sensim curari po-

ri poteſt, tum quòd macula eſt honeſtioribus familiis, nec enim illi titillationi reſiſtere poſſunt, imò tanta aliquando ejus vis eſt ingraveſcente morbo, ut tandem viros palam, & coram omnibus ad coitum invitent (quandoque inveniuntur quidam ſceleſti, à quibus premuntur,) rem veneream proprio, & vernaculo nomine inculcantes proclamant. Si maturè adhibeatur medela curabilis eſt; ſi diutius perſeveraverit, & firmas egerit radices, in veram maniam degenerat. Magna ſalutis ſpes eſt, quando longiora intervalla, aut quando corpus emaciatum inſtaurari incipit, & commemoratio rei venereæ coram illis facta eas non ampliùs ita afficit, & perturbat.

CURATIO.

Diæta in omnibus morbis aurea cenſenda eſt, ipſa curat morboſe etſi nullum adhibeas medicamentum, attamen in hoc miſerabili mulierum affectu nihil prodeſt, quando incendiarius totam domum exardet, nullus bonus effectus conſpicitur; attamen quando in principio animadvertimus, eam præſcribere oportet, eamque à ſex rebus nonnaturalibus initium facimus.

Aër eſt eligendus, vel faciendus, frigidus & humidus, vitetur calidus, & ſiccus, à quo mordicus & inflammabilis ſanguis redditur, & ſic malum excandeſceret.

Cibus ſit parcus, & ſobrius, qui corpori alendo ſufficiat, non verò nimiam ſanguinis copiam ſuppeditet, ſimulque refrigeret; cùm fœminæ, quæ tali affectu laborant, refrigeratione indigeant. Cibi non multi nutrimenti, ac perinde abſtinendum à carnium eſu, inprimis gallinarum, perdicum, caponum & ſimilium, ut & ovis. Potiùs conveniunt carnes bubulæ & piſces recentes. Cibi condiantur aceto, aromatibus non multis, & ſale copioſo abſtinendum, cùm ſalſa venerem irritent & hinc Venus è ſpumâ maris dicatur orta. In eſu etiam ſint lactuca, portulaca, endivia, cichorium, acetoſa, melones, cucurbita, ceraſa, poma, pruna, meliſſa. Ab amygdalis verò, pineis, piſtaciis, dactylis, ficubus abſtinendum.

Potus vinum non bibendum, nec cereviſia craſſior, ſed tenuis aliqua, aut aqua cocta ſemine coriandri condita. Iſta tamen mutatio non ſubitò, ſed ſenſim fieri debet; aliàs inordinatâ, & ſubitâ mutatione, & ad cibos non conſuetos tranſitu, ægræ ſibi alia, & magis gravia mala attrahunt.

Motus, otium vitent, nam tales fœminæ laboribus, & exercitiis, iisque continuis exerceantur: nam

Otia ſi tollas, periere cupidinis arcus,
Exſtinctaque jacent, & ſine luce faces,

Quies omnino vitanda; nam corrumpit corpus, extinguit calorem naturalem, & auget phlegma, & multa mala excitat, quod cognoſcens Poëta inquit:

Cernis ut ignavum corrumpunt ocia corpus?
Ut capiant vitium, ni moveantur aquæ.

Igitur inter motum, & quietem debet intercedere aliqua proportio.

Somnus sit moderatus, & parcior, potius in principio quidem; ubi verò eam delirare incipiunt, somno multo ipsas uti commodiùs est. Neque dormiant in plumis mollibus in culcitrâ, sed linteaminibus, quibus folia viticis & salicis substernantur. Ægra supina non dormiat, ne calefactis renibus pollutio involuntaria succedat.

Vigilia sit longior, & prolixior, quàm somnus; ipsa enim attenuat & resolvit spiritus, somnus & vigilia non excedant modum, sed in æquilibrio stent, ne noceatur temperaturæ; nam *Hip.* inquit *sect.* 2. *aph.* 3. *somnus, atque vigilia, utrumque si modum excesserint, malum.*

Excernenda, & retinenda ne exorbitent, sed in suo naturali cursu conserventur; nam si menses non fluant, proritentur, ne impediti malum augeant, alvus lubrica servetur, si non naturâ, arte sollicitetur, Vrina non detineatur, volens eam reddere, non poterit. Cogitationes de rebus venereis quantùm possunt, omninò excutiant, sint procul, idque faciliùs præstabunt, si cum masculis non conversentur; librorum, qui de rebus venereis & amatoriis agunt, lectione abstineant; picturas ejusmodi non inspiciant, sed potiùs ea videant, audiant, legant, quæ tristitiam ex animo excitare valent. Exhortentur fœminæ sic affectæ ad honestatem & opprobrium eis proponatur, nisi resipiscant. Sic Milesias virgines curatas legimus, lege promulgatâ, ut quæcunque sese hoc affectu percitæ necarent per forum nudæ traherentur: cavendum tamen ne dedecus divulgetur, ne spreto pudore & famâ, admonitiones non curent. Imprimis meditationibus colloquiisque sanctis, & sacris precibus cum jejuniis adversus libidinem pugnent. Confert coitus iis, quibus licet, nam etsi usus veneris libidinem augeat, moderatus tamen, & modestus valet, quatenus mulcetur fœmina, & furor mitigatur, excerniturque titillans, at turgens semen.

Animi passiones in hoc malo nihil juvat eas moderari, sed tantùm fœmina ad venerem intenta est, nisi pudor aliquid efficiat, actum est. Vinciatur domi, & optimè custodiatur, nam sæpè decipiunt, & arreptâ fugâ, quærenda est. Monitiones Virgines audiant, ut suæ, imò totius familiæ, famæ, atque honori consulant, neque tam turpiter se prostituant, precibus & jejuniis veneris stimulum illum doment, habitatio earum sit cum honestis, & pudicis virginibus, & matronis, turpia, & obscœna nec minùs audiant, nec videant, nec legant. Tutissimum quoque est, ut tales Virgines matrimonio honesto viro jungantur, cum *meliùs sit nubere, quam uri*; durissima sunt prælia castitatis, ubi quotidiana pugna, & rarissima victoria.

CURATIO.

Vulgares calidos humores, & vitiosos inspicientes, qui uteri, & seminis caliditatem fovere, & augere possunt, & abundant, & ii temperandi, ac lenioribus medicamentis evacuandi sunt; quia tamen sanguis seminis est materia, si is in corpore abundet, & calidior sit, evacuandus, & quidem non semel, sed sæpius, si opus sit; cum sanguinis missione, & sanguinis massâ, &

sâ, & totus corporis habitus, & uterus refrigeretur, & proinde vix præstantius remedium aliud ad hoc malum vincendum, quàm sanguinis missio. Si tamen humores adusti, & ad maniam multùm declinare videantur, etiam fortiora, quæ atro humori competunt, usurpari possunt.

Putant Galenici humores, & sanguinem efficere malum, & evacuato humore, & sanguine, statim compescere morbum. Si remanet guttula una humoris, & sanguinis, affectus superstes viget, quia evacuatur causa mali, & non malum, non est sanguis, qui uteri, & totius œconomiam subvertit, sed quid in sanguine, est spiritus incendiarius, qui semel apprehensa furoris idea, ita sibi cudit, ut præter rem nisi veneream sibi continuò imaginatur, spretâ quacumque aliâ, & morbi qui in forti ideâ conservantur, diu perseverant, & remoto hoc spiritu, cessat morbus, quia licet centies phlebotomabis, invictus, & fortior evadit, quousque totus sanguis evacuetur, & cadaver existat. Si quæris in humoribus, in nullo istorum invenies, quia si centies purgabis, centies perseverabit, & præcipue si mania adjuncta fuerit, imò malum in pejus reduces.

Tandem accedunt ad uteri, & universum corpus refrigerantia, & humoris fervorem temperantia, præ aliis commendant balnea ex refrigerantibus parata, & ea pluries in morbi decursu erunt repetenda, ut

℞. *fol. lactucæ,*
salicis,
nymphea, &
ros. ana m. ij.

Coquantur omnia in balneo, quod ingrediatur tepidè, sine sudore, bis in die longe à partu. Summam enim curationem in eo consistere aiunt, ut uterus valdè refrigeretur, in quem finem etiam ad tempus serum lactis suadent.

Quibus omnibus addunt illa specifica, quæ quadam pollent virtute semen extinguendi, ac refrigerandi. Cui usui conferunt omnia refrigerantia. *Riverius* sequens commendat destillatum, ut

℞. *fol. nymph.*
salicis,
viticis ana m. ij.
lactucæ,
portulacæ,
umbilici Veneris ana m. j.
semin. quatuor. frigid. maj.
lactucæ,
papaveris albi ana ℥.÷.
anethi ʒ. ij.
flor. nymph.
violarum ana m. j.

Contundantur omnia recentia, & irrorentur succo limonum, & destillentur in B. M. ac singulis aquæ libris adde camphoræ ℈.j. Capiat. ℥. j. frequenter.

Optima sunt balnea, quæ universum corpus, & uterum humectant, sed centrum morbi non attingunt; refrigerant partes externas, partes verò intrinsecas, ubi sedes mali, & focus residet, non pertingunt, alibi quærendus.

Vel emulsio ex semine frigid. maj. lactucæ, papaveris albi extracta cum aquis nymphææ, lactucæ, & salicis cum syr. violaceo. Præscribunt varia opiata.

Inter externa magnifaciunt omnia linimenta refrigerantia, lumbis, pubi,

& perinæo admovenda, & laminam plumbeam supra renes continuò gestandam esse præcipiunt. Injectio in vulvam fiat ex decocto hordei pauco cum succo solani, sempervivi, aut cicutæ. Verùm hæc medicamenta lumbis, & perinæo, & lenimenta supra renes præscribunt, faciunt semen stagnare in iisdem locis, & nova scæna sentitur. Injectio in vulvam non potest fieri, nisi in viduis, & qui maritos habent ignavos.

Si affectus perseveret, applicentur cauteria cruribus; nihil enim præstantius est, quàm materiam per istos fonticulos derivare. Optima sunt cauteria, sed nihil nisi corruptum per istos fonticulos derivant, ægram torquent, cauterizant innocentem partem, & vulvam non attingunt, unde mulieres magis furiunt in furore uterino.

Tandem si confirmatus est morbus, quod cognoscitur ex maniâ, actum est de ægra.

Quoad nostram curationem attinet, si sanguis abundat, per epicrasim minuendus est appropriatis nostris medicamentis minorari debet; vel si liquores acres, genitales spiritum plasticum ad libidinem irritantes, & spiritus animales accedentes, temperandi, & eluendi sunt, ut

℞. *flor. nymph.*
ros. ana m. j.
fol. lactucæ,
portulacæ ana m. ij.
sem. viticis
plantag. ana ʒiij.
coquantur ex aquâ, postea colat. ℥.xx.
adde aquæ cinnam. ʒ. vj.
spiritûs nitri dulcis gutt. xviij.
m. f. apozema, de quo capiat ægra bis, vel ter de die ℥.iij.

Vel potest parari:

℞. *fol. nymph.*
viticis,
salicis ana m. iij.
lactucæ,
portulacæ,
umbilici veneris ana m. j.
sem. lactucæ,
papav. 4. frigid. maj. ana ℥÷.
anethi ʒ.*ij.*
fol. nymph. m. j.
violar. m. ÷.

Contundantur omnia recentia, & irrorentur succo limonum, ac stent in digestione hor. 24. postea destillentur, & destillati singulis libris addatur camphoræ ℥. *j.* servetur ad usum. Dosis ℥.j.

Aqua castitatis summoperè laudatur à cunctis authoribus.

Vel Decoctum tale fiat:

℞. *Summit. viticis,*
fol. lactucæ,
salicis;
flor. violar.
nymph. ana m. j.

Coquantur, fiat potio, quæ aromatisetur sem. coriandri, & edulcoretur saccharo: vel cum suff. q. f. syr. cui sub finem adde camphoræ ʒ.*j.*

Emulsio in hunc modum parari potest:

℞. *Sem. lactucæ,*
papav. alb. 4. frigid. maj. ana ℥.÷.
aquæ lactucæ,
nymphea,
salicis ana ℥.IV.
fiat emulsio:
adde julep. Violar. ℥.*ij.*
magist. corall. ʒ*j. m.*

Electuarium tale paretur:

℞. *Conf. flor. nymphææ,*

vio-

violarum,
summit. viticis florentis recentis ana ℥.j.
rosar. ℥.ſs.
corall. rubr. præp.
smaragdi præp. ana ʒ.j.
caulium lactucæ condit. ℥.j.
cum syr. violar. &
nymph. f. electuarium.

Faciunt autem huc primò refrigerantia, ut *lactuca*, *viola*, *nymphea*, quod contra veneris insomnia bibatur, & ea prorsus adimat, potaque aliquot diebus, genitale infirmat. *Salix*, cujus folia trita, & pota, & sumpta cum aquâ præstat mulieribus, ne concipiant. Libidinis intemperantiam coërcent; ac in totum auferunt sæpiùs sumpta, folia *portulacæ*, & *umbelicis veneris*. Tandem semen extinguit *vitex*, quæ etsi vim calefactoriam habeat, & menstrua moveat, occultam tamen proprietatem habet ad extinguendum semen, & veneream libidinem coërcendam, unde & agni casti nomen accepit, cujus & folia, & flores, & semen id præstant. *Ruta*, *anethum*, quorum, & semina, & comæ comesta, aut cocta, ac pota venerem extinguunt. *Cannabis*, cujus semen idem præstat, si præsertim comedatur, seminalem materiam absumit. *Camphora*, quæ plerumque Medicorum testimonio venereos ardores potentissimè exstinguit, ac inter reliqua hujus generis medicamenta facilè primas obtinet. Tandem utraque facultate id præstant *corallia*, quæ & vim refrigerandi, & exsiccandi, & procul dubio etiam occultam qualitatem habent, quibus teste *Dioscoride*, seminis profluvia, albosque mulierum fluores curant, nocturnasque pollutiones arcent. *Smaragdus*, de quo etsi affirmatur, etiam gestatum venereum actum impedire, vel à coitu frangi: experientiæ tamen id non respondet. *Cicuta*, quæ potentissimum est ad exstinguendam venerem, scribit de ea *Dioscorides lib.* 4. *cap.* 74. herbam cum coma tritam, & testibus circumlitam, libidinum imaginationes in somno compescere, & genitale resolvere, atque pueris præstare, ut eorum testiculi alimentum non sentientes contabescant, & propterea extra genitalibus imposita venerem exstinguit. Verumenimverò; cum omnium consensu Medicorum notum sit, cicutam præsentaneum venenum esse, sine periculo exhiberi non potest. Hæc tamen pro libidine Medici præscribi possunt, vel solitariè, vel cum combinatione, ut major effectus percipi queat, & per aliquot dies continuari debent.

In primis verò ad uterum, & universum corpus refrigerandum, humorisque fervorem temperandum, utile est aquæ dulcis Balneum, & tale parari potest, ut:

℞. *fol. lactucæ*,
salicis,
nymphea,
vitis,
portulacæ,
umbilici veneris ana fasciculum j.
flor. ros rubr.
violarum,
nymphea ana m. ij.

Coquantur in aqua dulci pro Balneo, cui fœmina bis de die insideat, sudorem tamen caveat.

Inter hæc, & alia præscribi solent anodyna, quæ valent compescere furorem uterinum in principio; sed si jam altiùs fixerit radices morbus, &

suos

suas faciat insolentias, crede mihi, quantò magis sumat, tantò magis insolelescet, quare omittere debemus tale salutiferum medicamen.

Post balneum fiant inunctiones oleo Nymphææ, unguento ros. camphorato aliisque *ex succo viticis, lactucæ, hyoscyami, cicutæ, salicis, additâ camphorâ.* Utilis pessus in mulieribus *ex succo plantaginis, portulacæ, & cucurbitæ.*

Verùm de hisce medicamentis, præcipuè iis, quæ occultâ vi semen, & venerem exstingunt, monendum, cautè ea usurpanda esse, & nonnisi in Monialibus, & iis Virginibus, quæ certis de causis conjugium inire non possunt, In Virginibus verò, quæ matrimonio se Viris jungere cupiunt, ab iis abstinendum, cùm steriles efficiant. Talesque universalibus illis, & medicamentis, quæ saltem qualitatibus manifestis, humorum, & seminis caliditatem, & acrimoniam temperant, contentæ esse sanguinem sæpius emittere debent. Quæ si non sufficiunt nihil tutius est, quàm sese honesto matrimonio viro jungere, cùm congressus legitimus conjugum matrimonio conjunctorum certissimum, & à Deo hominibus, qui dono continentiæ carent, concessum, ad libidinem, & ardorem venereum domandum, remedium sit. Interim verò diætâ commodâ, quæ non parum quoque ad ardorem libidinis compescendum facit, uti opus est.

CAP. VI.

De Morbo Virgineo.

Morbus hic ab Hip. chlorosis, à recentioribus febris alba, febris amatoria, morbus virgineus, pallidi virginum colores, & Icterus albus appellatur.

Inter quæ primò est *fœdus ille virginum color, & febris alba*, qui affectus, ita familiaris, imò proprius quasi est, ut morbus virgineus quoque à plerisque autoribus appelletur. Etsi enim humorum crudorum copiâ, & obstructiones, pedum tumores, & alii morbi in hoc morbo concurrant: tamen cùm symptomata præcipuè hîc manifesta sint, inter symptomata, quæ ab utero, & præcipuè à suppressione mensium proveniant, hîc de hoc malo agere libet.

Appellatur ab Hip. hic *morbus, chlorosis*, quæ vox virorem, vel etiam pallorem significat, quòd virgines hoc morbo laborantes è pallido virescentes appareant. Vulgò appellatur morbus virgineus, quòd virginibus jam viro maturis magis sit familiaris; cùm virginibus tum temporis sanguinis menstrui fluxus ad uterum contingat, qui si effluere non possit, & subsistat, ad majora vasa, & hinc in varias corporis partes, cor, hepar, præcordia, & totum penè corpus regurgitet, varia symptomata excitat.

Dicitur *febris alba*, non quòd febris semper conjuncta sit, sed quia sic affectæ speciem febricitantium, colore pallido, virium debilitate, pulsus celeritate, & frequentiâ, quæ non caloris augmento à ventilationis defectu, calorisque suffocatione quasi habet, præ se ferunt; cùm potius plerumque iste affectus frigidus sit.

Febris virginea, quòd virginibus familiaris, & amatoria sit, cum ratione coloris, juxta illud:

Palleat omnis amans, color hic est aptus amanti.

Tum ratione ætatis cum virginibus viro maturis accidat.

Dicitur etiam *fœdus, seu pallidus virginum color, ut & Icterus albus*, quod sicut in Ictero, redundante humore bilioso, totum corpus flavo colore tingitur: ita in hoc affectu, pallido, & albo colore inficitur. Plurimæ quidem virgines colorem hunc non pro fœdo, sed pro pulchro habent, & amantibus convenire, & gratum esse persuasum habent, juxta illud modò dictum:

Palleat omnis amans,

coloremque rubicundum rusticum esse putant, ideoque ut talem colorem sibi concilient, rerum noxiarum, & absurdarum esu, frumenti, ceræ, cinerum, gypsi, nucis moschatæ, (ut faciunt virgines Hispanæ, quem colorem appellant *Chevadro*) viscera intemperata reddunt, & obstructiones in iis excitant.

Complectitur autem hic affectus plura mala, ac symptomata, & actionum facultatis naturalis, & motus animalis læsiones; totâque ferè corporis œconomia in hoc affectu pervertitur: conjungitur sæpe malacia, pica, cordis palpitatio, difficultas spirandi, melancholia, febris lenta, capitis dolor, totius corporis cachexia, pedum inflatio, tumor.

Est morbus virgineus coloris faciei naturalis in pallidum, & virescentem mutatio, cum virium languore, & gravitate omnium membrorum, cibi fastidio, cordis palpitatione, respiratione difficili, mœrore, pedumque & palpebrarum, & totius faciei tumore œdematoso, à pravâ nutritione, & humorum crudorum copiâ, ex viscerum hepatis, lienis, ventriculi pravâ dispositione genita, & vasororum circa uterum, & vicinorum viscerum obstructione, atque inde menstruorum suppressione proveniente, ortum habens.

SIGNA.

Primò sese offert faciei, & totius corporis color pallidus, & subalbidus, interdum verò plumbeus, lividus, ac virescens. Hunc affectum comitari solent tumor, & inflatio hypochondiorum, lassitudo totius corporis spontanea, crura quoque & pedes, præcipuè circa malleolos intumescunt, & ob serosorum humorum abundantiam corpus laxum, & molle cernitur, miseræ in hoc affectu vexatæ, si scalam ascendunt, vel alio modo se movent, statim de respiratione conqueruntur difficili, semper ferè percipiunt cordis palpitationem cum pulsatione in arteriis temporum, pulsus aliquando observatur celer, ut febricitare videantur, & hinc etiam dicitur à vulgo *febris alba*; dolor adest capitis gravans, ac diuturnus, somnus ipsas affligit, ac sunt ad omnia torpidæ, & ob acidum illud depravatum in ventriculo, adest aliquando cibi fastidium, atque rerum absurdarum appetitus, & cùm laborant picâ menses ipsis utplurimùm sunt obstructi. Parùm sitiunt, quæ hoc morbo corripiuntur, frequentes patiuntur ructus, abdomen à pastu intumescit, borborygmos sentiunt, & rugitus, nauseabundæ sunt, atque aliis plerumque segniores. Excreta, quæ à quacunque viâ excernuntur, cruda sunt, & pituitosa. Ordinariò frigent, nisi quando phlogosi laborant, quæ ipsis frequens est, quibus omnibus signis præsentibus, omnino de hoc morbo ambigere nullus debet.

Non tamen hæc symptomata, & signa omnia in omnibus semper apparent, sed pleraque in plurimis, & omnia in quibusdam.

CAUSÆ.

Hic affectus oritur quandoque à pituita tantillo acidiore,& viscidiore,sæpe verò à liquore in glandulis uteri vaginalibus prodeunte vitioso, & malè se habente massæ sanguineæ crasim perturbante, & spiritum opprimente, & quasi obruente; hinc tota massa sanguinea ad fermentationem concipiendam iners redditur, aliquando verò acris, uti facilè ex symptomatibus morbum hunc concomitantibus demonstrari potest,cùm misellæ hæ cadaverum instar pallescant. Tumor,& inflatio hypochondriorum in hoc affectu frequens oriuntur à flatibus à vitioso Gas excitatis cavitatem abdominis distendentibus, qui sursum premendo diaphragma, difficilem faciunt ejus motum deorsum, hinc difficilis est respiratio,quæ ab exercitiis augetur,quia tunc humores magis incalescunt,& dilatantur, sic quoque vapores in abdomine inclusi magis rarefacti, majus spatium occupare debent, hinc magis distendunt abdomen, & fortiùs premunt ipsum diaphragma, hinc difficilis respiratio augetur ab exercitio, & motu corporis.

Lassitudo totius corporis spontanea oritur à spiritûs torpore, ac ejus spirituum animalium paucitate, & viscidi-tate, qui sæpe in uteri luto hærent, nec se extricare valent,quapropter non sufficiunt ad multa exercitia.Sic enim oriri potest hæc spontanea lassitudo à multis tubulis musculorum, ubivis in toto corpore obstructis,adeo ut spiritus animales possint tantùm in pauciores musculorum influere, hinc difficulter possunt, & flectere membra movenda, & insuper etiam hi spiritus animales hîc sunt segniores & minùs agiles. Si adsit vellicatio,uti sæpe adesse solet, oportet sanguini aliqua crassiori conjuncta sit acrimonia fibrillas arteriarum vellicans & spasmodicè vibrans.

Externæ verò causæ sunt, tum totius corporis, tum præcipuè manuum, pedumque refrigeratio, aquarum ingurgitatio, intemperantia in cibo, vitiosa, & absurda alimenta assumpta, ut sunt creta, oryza, crudi cespites, oculi cancrorum, frusta panum exsiccata, induarataque,nuces moschatæ,acetum, succus limonum, mala limonia, aurantia, fructus æstivi, quæ omnia fermentum ventriculi, aliarumque partium enervant, & corrumpunt. Symbolum suum addunt somnus nimius,& intempestivus, quies nimia, & torpor. Animi affectus frigidiores,inprimis tristitia, & mœror, excretiones variæ suppressæ, alvus segnior, suppressio mensium,eorundemque diminutio, & denique hæreditas, siquidem hic affectus etiam per hæreditatem contrahitur.

Differt à suffocatione ex utero,quòd in hac uterus in situ, vel figura vitiata oberrat: in virgineo morbo frequentiùs obstructiones extra uterum fiunt in viis,nec ideo dispnœa accidit, quòd uterus septum comprimat,sed quod citiùs,ac magis septum dilatari cogatur, & conetur, quod tamen nequit obstructionis magnitudine impeditum. Differt à melancholiâ, quòd in eâ humor crassus per adustionem fit, in morbo virgineo per cruditatem. Ab Epilepsiâ, quòd in hac halitus ex utero ascendunt inquinato semine, vel menstruo: in morbo virgineo, non halitus, sed humor ipse per corpus universum diffunditur:& si quando est,is quidem nec magnus,sed frigidus & crassus.

Muci-

Mucidi Galenici obstructionem hic omnium venarum, præsertim verò vasorum circa uterum existentium culpant; causæ veræ obstructionum harum ipsi sunt humores crassi, viscidi, & crudi ex pravâ plerumque victûs ratione producti.

PROGNOSIS.

Virgineus morbus periculo non vacat; quando totam corporis œconomiam pervertit, & ad longum tempus perseverat, in hydropem interdum mutatur. Atque observatum in corpore hoc morbo extinctis hepar totum scirrhosum, & corruptum inventum fuisse. Et si caput humores petant, interdum ad insaniam fœmina redigitur. Cùm cor in hoc affectu valde afficiatur, sæpe accidit, ut facultate vitali oppressâ, ægra subitò moriatur. Quia uterus refrigeratur, & viscerum calor debilitatur, ac sanguis frigidus inde generatur, nisi maturè huic malo occurratur, sterilitatem infert; aut si pariunt, partum infirmum, & parum vitalem edunt. Iste morbus satis est diuturnus, & si radices egerit difficulter, præcipuè si hepar simul afficiatur. Si verò saltem ab utero oriatur, faciliùs curatur, & solutis ejus obstructionibus, virgines pristinæ sanitati restituuntur. Si etiam ventriculus valde afficiatur, & cibi pertinax fastidium adsit, rerum verò alienarum, & absurdarum ingens desiderium, periculosum malum est: cùm possibile non sit, eum morbum tollere, qui alimentorum assumptorum vitio continuò fovetur, & augetur. Si menses fluere justo tempore, & quantitate incipiant, jam victoriæ de morbo spes affulget. Ex maritatis steriles difficiliùs corripiuntur: virgines promptiùs liberantur, si aut viro cohabitent, difficulter etiam sanantur lienis obstructiones ob crassitiem alimenti attracti, ideo diligenter curandæ, ne in melancholicum habitum, nigrum ictèrum aut delirium degenerent.

CURATIO.

Omnis morbus tam magnus, quàm parvus diæta, hæc namque valet sine Medico morbum sanare, si sit brevis; si verò sit chronicus, cum Medico debet inire fœdus, & curatio ex voto succedit. Hæc per sex res non-naturales vagatur, & sunt.

Aër sit purus, & ad calidum vergat, unde curatio tempore verno, & æstivo feliciùs procedit, & æstate hoc morbo laborantes longè commodiùs curantur, quàm aliis anni temporibus, & si aëris constitutio simul contra morbum pugnat, plus unâ septimanâ, quàm tempore frigido, & humido totidem mensibus perficietur; quæ verò in locis frigidis, & humidis habitant, vix integrè sanantur.

Cibus sit boni succi, & facilis coctionis, omnes verò pravi succi studiosè vitentur, ut frigidi, & humidi. Abstineant igitur ægræ planè ab oleribus, fructibus horariis, lacte, & lacticiniis, piscibus. Condiantur cibi hyssopo, salvia, rore marino, cinnamomo. Panis sit bene fermentatus semine fœniculi, carvi conditus.

Potus sit vinum, ab aquæ tamen potu, ut & jusculis, & liquidis nimiis abstineat, fugiat acetum, tanquam noxium, estò ægræ sæpius id appetant.

Motus sit moderatus in principio, &

declinatione morbi ſenſim augendo, quia calorem excitat. In primis utiles ſunt frictiones aſperiores manè in lecto inſtitutæ.

Quies eſt in iis valde noxia, quia aquæ ſine motu putreſcunt.

Somnus ſit moderatus, nec verò ſomno nimiùm indulgeat, etſi ob vaporum copiam ad cerebrum aſcendentium in ſomnum ſint propenſiores. Inprimis manè non diu dormiant; niſi forſan noctu vigilaverint.

Vigilia optima eſt pro morbo Virgineo, quia humores crudos digerit, & quò diutius vigilaverit, eò meliùs, attamen quo tolerare poterit, nam ſomnus eſt imago mortis, vigilia verò eſt imago vitæ.

Excretio & Retentio regulantur juxta præſcriptum naturæ; nam ſi alvinæ fæces non reſpondeant ſemel, aut bis in die, ſollicitentur pilulis, & clyſteribus; ſi urina non reſpondeat ſuo modo, diureticis proritetur; nam habere podicem, & urinam proclivem ad exitum, magna ſunt juvamenta, expurgantur per ſuam viam humores. Si menſes non reſpondeant quid ſemper ſuppreſſi ſunt, ſuo naturali ſtatui reſtiſtuantur, ſi tantillùm effluxerint magna ſpes ſalutis affulget. Si ſudor non fluat, (qui ſemper in mulieribus eſt obſtructus) ſaltim ſollicitatur, quia diaphoreſim movebit.

Animi paſſiones malignæ ſint procul, ut mœror, triſtitia, quia coagulant humores, & malum augent. Benignæ paſſiones, ut gaudium, ſpes &c. vel rixæ, iræ &c. utiles ſunt, quia ſpes alit afflictos, & rixæ augent calorem naturalem, & corpus faciunt evaporare ſaltim inſenſibiliter. Venus ipſis utilis eſt, non tamen ubi malum in vigore ſummo eſt, & dum virium maxima adeſt imbecillitas.

Galenici Veteres, ut rectè procedant, primò alvum clyſtere, vel aliâ leni evacuatione ſollicitnat, venam ſecant, ſi affectus recens, & virgo aliquo modo ſanguinea, & quidem venam brachii ſiniſtri, ſi lien ſit obſtructus, dextri ſi hepar, vel commodiſſimè in talo aperiendam ridiculè cenſent. Verumenimverò indiſcriminatim in quocumque morbo venam ſecant, & toto cœlo falluntur; Primò, quia inſignis adeſt totius corporis refrigeratio, & jam incipiens cachexia. Deinde crudi humores, pituitoſi, aquoſi potius quàm ſanguis peccant. Tertio, quia maxima adeſt virium debilitas, quæ venæſectionem non admittit.

Deinde varia apozemata aperientia, & purgantia exhibent, & quia humor craſſus eſt, calefaciendus, & attenuandus, ideò unicum apozema non ſufficit, pluribus vicibus res perficienda eſt. Variæ ſunt partes, quæ obſtructionem patiuntur in hoc morbo, aperientia eligenda ea quæ, cũ partibus quæ afficiuntur, familiaritatem habent; ratione hepatis, hepatica; ratione lienis, ſplenica; ratione uteri, uterina. Et omnino eadem ferè hîc curandi ratio eſt, ac leucophlegmatiæ, cùm è ſimili cauſa oriatur hydrops.

Ad apozemata aperientia, & purgantia, quorum formulis abundant eorum libri, peractâ ſolemni purgatione tanquam ad ſacram anchoram confugiunt. Deinde viſcera roboranda eſſe ajunt corroborantibus, & variis ſpecificis viſceri labefactato debitis, quæ ſuo loco peti poſſunt, uti & reliquorum authorum indicationes.

Si petas noſtrum votum in curatione, hoc

ne, hoc tale erit. Omni operâ annitendum erit, ut spiritus à torpore excitatur, spiritus animales è luto suo extricentur, acidi viscerum humores corrigantur: & correcti educantur, & simul ventriculi habenda est ratio.

Ut itaque ordine procedamus, primò quidem prima regio mali labes est, ut si saburra illa acida in ventriculo lateat, tutè vomitorium lene exhibere poteris, ita est aqua Æsculapii, vel crocus metallorum in substantiâ, aut mercurius vitæ, vel Hippocras emeticum, illis regulis à nobis descriptis; verùm quia Vomitorium semper metuendum mulieribus, suspicionem de veneno augurantur, ideo omittendum. Verùm quia humor in torpore jacet, & acidi spiritus, viscidi humores torpidi manent, extricentur, corrigantur. Purgandum est apozematibus parum, & sæpe, quia subjectum est debile, & ablatis viribus, nihil boni est moliendum, illas medicamentias de suppressione mensium usurpanda sunt, vel potes dare pilulas catharcticas, & inprimis ex gummatis paratas, additis croco, vitriolo, salibus fixis, mercurio dulci &c.

Sequenti vino medicato feliciter usi sumus:

℞. *Herbar. melissæ,*
rorismarini,
pulegij,
nepethæ ana m. ÷.
radic. heleni,
aristolochiæ rotund.
angelicæ,
bryoniæ ana ʒ. ij.
fol. senæ s. st. ℥. j.
radic. hellebori nigri opt. ʒ. ij.
agarici albi ℥. ÷.
cortic. aurant.
semin. cardamomi,
dauci cretici ana ℥. j.
limat. chalyb. in nodulo ligat. ℥. j.
cassiæ lign. veræ ʒ. ij.

Contusa, & confracta dentur in nodulo, cui affunde vini albi Græci mensuram unam. Dosis ℥iij. in die.

Conducunt hîc omnia, quæ in mensium defectu diximus, inprimis Martialia, quæ acidum corrigunt, austerum emendant, & eliminant, quod solo vino martiali sequenti consequimur:

℞. *Essentiæ Martis* ℥. j.
cassiæ ligneæ ʒ. ij.
cinnam. electi ʒ j. ÷.
caryophyll. ʒ. j.
vini malvatici lib. ij.

Stent in digestione loco calido per biduum, postea coletur per manicam Hippocratis. Dosis ℥. j.

Lazarus Riverius beneficio pulveris cachectici innumeras virgines, & mulieres chlorosi laborantes curavit, & nos testes oculati fuimus, quantum valeat, & quantum possit hic pulvis cachecticus, multas virgines ruentes ad interitum sanatas vidimus; & pulvis cachecticus simplex veluti divina dextra est in hoc morbo bis in die sumptus; ac proindè pro pauperibus vinum chalybeatum multùm prodest, & ferè idem patrat effectus.

Sequens electuarium etiam laudatur à Cratone trium Imperatorum Archiatro:

℞. *Limaturæ ferri cum aceto parat.* ℥vj.
cinnamomi,
nucistæ conditæ ana ʒiij.
rhabarbari ʒ. j.
spec. aromat. ros. ʒ. j ÷.
mellis,
sacchari ana lib. j.
m. f. electuarium.

Primò autem hic monemus, attendendum esse, an venæ circa ventriculum, & in mesenterio, an verò hepar, aut lien magis obstructæ sint. Si enim ventriculi propria vasa præcipuè obstructa sint, chalybs crassiore modo præparatus exhibendus, & vomitum moventia admiscenda, vel vomitus ante usum chalybis, vel diebus intermediis provocandus est. Ita enim vitiosis illis humoribus vomitu rejectis, facilè viscera convalescunt. Si autem humores vitiosi in ventriculo hærentes, ad peniriores partes obstructione laborantes deferantur, morbus inde gravior redditur.

Si mesenterium præcipuè obstructum sit, hoc electuarium laudat *Mercatus*:

℞. *Spec. diarhod. abb.*
Diacureum.
agarici trochis. ana ʒ. j.
medull. carthami ʒ.ij.
cort. rad. ramicis,
rubiæ,
semin. dauci ana ʒ.j.÷.
garyophyllorum ʒ.j.
chalybis minutissimè triti,
& vino præparati ʒij.
mellis despumati q. s.
f. electuarium.

Cujus Dosis est à ʒij. ad ʒiiij.

Quod si eo assumto laborans vomerit, non est prohibendum, nisi aliquod damnum timueris, aut diu vomitus persistat: quod vitium vitare poteris, purgatâ infernè alvo, & ablatis à compositione carthamo, & agarico.

Si verò hepar præcipuè obstructum sit, chalybs subtiliùs præparatus exhibendus, atque medicamenta hepatica, quæ per alvum evacuant, nullo verò modo vomitum moventia, admiscenda. Hepate affecto, hoc electuarium idem commendat:

℞. *Limaturæ chalybis lib.* ÷.
quam vase vitreo excipe additis
vini albi ℥viij.

Mox vas illud igni lentissimo appone, diligenter hinc & inde chalybem, & vinum sursum, ac deorsum agitando tandem decem, aut duodecim ebullitionibus fervere sinito; quoad usque ejus spumosum sursum ferri videas, ac mediocriter crassescere conspicias, tunc spumosam, ac pinguosam chalybis partem, quæ fervore separatur, simul cum vino in aliud vas transfunde, atque id quater facito, ordine prædicto: nimirum denuo aliam vini quantitatem conjice in eandem limaturam, & eodem modo fervere sine, parique ratione separari, & pro tertio, & quarto idem facies, servato prædicto ordine. Itaque vinum cum supra dictâ quadruplici spumâ quatuor coctionibus ex chalybe rursus igni appone, donec leviter fervens mellis spissitudinem acquisierit, quo tempore usui servare oportet, ex quo electuarium hoc modo conficito:

℞. *Sem. petroselini,*
dauci,
spec. diacurcumæ,
diarhod. ana ʒ.j.
cinnamomi ℈.j.
chalybis modo dicto præparat. ʒ.vj.
cum melle despumato f. elect.

Cujus ʒiij. ad ʒ.v. summo mane præmisso levi exercitio, exhiberi possunt.

Liene obstructo splenica medicamenta addenda, Mercatus liene affecto hoc modo chalybem præparat:

℞. *limaturæ chalybis lib.* j.

Quam semel ablue aceto, & à recrementis expurga, postea, factâ colaturâ, super pannum inspergito, & projice
pulv. caryophyllor. ℥÷.
quæ per diem & noctem eo modo sunt dimittenda: & mox ea excipere oportet vase aliquo vitreo, cui adde

vini albi opt. ℥.x.
ac projice desuper limaturam cum pulveribus
spec. diarch.
scolopendr.
fol. senæ,
cort. rad. cappar.
& aliis supradictis, aut citra ipsos: deinceps quàm valde concutito, commotâ vehementer phialâ, mox tamen soli ferventi exponitoer integrum diem; ac si hyems fuerit, infurnariâ stupâ, aut loco alio calido adserva: tandem octo, aut decem diebus idem facies, donec limatura ipsa in vinum fere liquetur, parum, aut nihil in fundo videat, sed veluti mixtum quoddam factum sit, cujus summo ℥ij. *exhibeto, purgantibus tamen & exercitio præmissis.*

In hoc morbo aliquandiu continuandum est incidentibus, attenuantibus, & deobstruentibus, inprimis convenient alia volatilia, & fixa, olea aromatica, pulveres minerales, additis stomachicis, atque uterinis. Sit sequens mistra cochleatim sumenda:

℞ *Aqu. menthæ,*
cortic. aurantior. ana ℥.ij.
aquæ Vitæ Matthiol. ℥.j.
antimonii diaphoret. ʒ.÷.
spiritûs salis armoniaci gutt. xx.
ol. alicujus aromatici, vel carminativi gutt. vj.
syr. de menthâ ℥.j.

Olea quoque amara conducunt, ut Tinctura absynthii, centaur. min. coriar. vel eupatorii aquat. elixir pr. Hic etiam conducunt ea, quæ vitium illud acidum absorbent, & edulcant, simulque corroborant spiritus. Sequens pulvis eum in finem efficaus:

℞. *Acid. tart. Myns.*
oculor. cancri,
croci Martis ana ℈.j.
ol. caryophillor. gr. IV.
m. pro 3. dosibus, mane,
& vesperi singulas exhibendo.

Dum itaque humores emendati, ut ex parte evacuati sunt, porrò reliquiæ per sudores eliminandæ sunt, sive ex decocto aliquo ex lignis, sive misturis diaphoreticis, sive pulveribus, sive aliis, quæ sudores movent. Vel paretur sequens balneum ad vasa aperienda, & relaxanda, & materiam obstructionum fundendam, atque dirigendam. Cujus tanta est efficacia, ut aliquando viderimus quibusdam ægrotantibus menstruas purgationes in tertio, aut quarto balneo profluere incepisse, quæ per longum tempus anteà delituerant:

℞. *Rad. althææ,*
liliorum,
enulæ campanæ,
bryoniæ,
cucumeris agrestis ana lib. ij.
fol. malvæ,
violariæ,
mercurialis,
pulegii,
matricariæ,
melissæ ana m. IV.
seminis lini,
fœnugr. leviter contusi ana ℥.ij.
Coquantur in aquâ fontis pro balneo, quod ingrediatur tepidè bis in die, sine sudore, & longè à pastu, per biduum singulis diebus decocto renovato.

Verùm ubi sunt balnea naturalia, eò meliora, nam aquæ sulphureæ penetrant, sudorem movent, & corpus rectificant, ita sunt balnea Gurgitelli, quæ octo balneationibus sanant quem-

cum-

cumque morbum virgineum, menses movent, & corpus in optimâ constitutione conservant.

Denique de hoc circa hanc curam monendum, licet fœmina rubicundior, vegetiorque fieri incipiat, non statim à curatione desistendum esse, sed eam repetendam, & continuandam esse, donec vel menses, vel certum sit omnes viscerum obstructiones liberatas esse.

Ac denique congressus, si legitimè fieri possit, illo enim calor naturalis in partibus multùm excitatur, quo uteri vasa impensè dilatantur. Docet experientia interdum primâ conjugii nocte pallidis mensium fluxum excitari; aliis verò, quæ optimâ fruuntur valetudine, tempus consuetum anticipari.

CAP. VII.

De Passione Hysterica.

DUm semen, & sanguis menstruus præter naturam retinentur in mulieribus, putrescunt, ac corrumpuntur [,] & acidam, [austeram ponticam, malignam, & propemodum venenatam qualitatem acquirunt, unde vapores maligni elevantur, & ad varias corporis partes deferuntur, propter mirum consensum, quem uterus habet cum omnibus propemodum corporis partibus, & inde varia accidunt symptomata, ita diversa, ut jure dixerit *Democritus in epistolâ ad Hippocratem*, sexcentarum ærumnarum, innumerarumque calamitatum autorem esse uterum; & ipse Hipp. scripserit lib. de morbis virginum, multis, & incomprehensibilibus fere actionibus premi miserrimas mulieres. Non illas omnes affectiones hoc capite explicare aggredimur, & unico hystericæ passionis nomine comprehendimus, *Galenum* imitantes, qui *lib. 6. de loc. affect. cap. 5.* dicit hystericam passionem unum quidem nomen esse, varia tamen, & innumera accidentia sub se comprehendere. Ab *Helmontio* vocatur asthma uterinum; in viris vocatur suffocatio hypochondriaca, in fœminis suffocatio uterina. *Sylvius* hunc affectum appellat suffocationem, & strangulationem hypochondriacam æquè viris, ac mulieribus solemnem.

Est certè gravissimus affectus, & varia sub se comprehendit symptomata, & propterea non solùm miseллis ægrotantibus, sed Medicis ipsis & adstantibus, timorem incutit; subitò enim fœminæ prosternuntur, corpus refrigeratur, respiratio, & vox quasi faucibus hæret, pulsus cessat, & nonnunquam sensus, & motus abolentur, ut miseræ quasi mortuæ jaceant, de quibus in signis agemus.

Magnam habet similitudinem cum syncope, catalepsi, apoplexiâ & epilepsiâ, à quibus tamen sic distingues.

A syncope quidem pulsu; nam in animi defectione cessat; in suffocatione uteri remanet, licet exiguus, rarus, & languidus; in syncope sudor frigidus, & color lividus adest: in suffocatione color non mutatur, aut certè ruber, seu pallidus est: sudor nullus. A catalepsi, quia sic affectæ rigidæ remanent, & oculis apertis, neque audiunt, neque vident, quod suffocatis non contingit. Ab Epilepsiâ, convulsione qua carent verè suffocatæ sine [illegible]rius

affe-

affectus, licèt convulsivum nonnunquam patiantur motum. Præterea, quia in uteri suffocatione mulier vocata sæpe audit, præsertim cum pungitur, aut pili avelluntur, sentit, & manu collo admota se suffocari indicat, & licèt non possit respondere, tamen post accessionem recordatur, & non habet spumam, qualis conspicitur in epilepsiâ; in epilepticâ autem accessione neque vocata audit, nec postea recordatur, & spumam in ore habet. Ab apoplexiâ, quia stertor non adest, neque anhelitus, aut sensus penitùs intercipitur. Insuper in hystericis spuma signum est salutis, in aliis lethale. A lethargo etiam febre discernitur, quà præfocatæ non vexantur. A venenis denique frigidis assumptis, dolore, ictericiâ, vomitu, unguium, & extremitatum lividitate, quæ sicuti in venenatis non adsunt. Verùm, quia pleraque ex his symptomatibus communia esse solent, accuratè omnia intueri oportet, ne turpiter decipiantur.

SIGNA.

Affectum hunc comitatur respiratio difficilis, faucium adest strangulatio, ac bolus quasi faucibus hæret, aut angustia quædam quasi à fuste in æsophagum intruso strangulari videtur; adsunt etiam borborygmi, & rugitus, aliquando nausea adest, rariùs vomitus, pandiculario, & cardialgiæ comites sunt. In ipso paroxysmo pulsus imminuitur, quandoque in totum aboletur, interdum ad quadrantis dimidiæ, & integræ horæ spatium, subinde ad satis notabile tempus ad unum, vel alterum diem, ita ut tales ægræ pro mortuis habeantur, nullis signis unde vitam adesse judicare possumus sese prodentibus, ut plura exempla apud Auctores fide dignos habemus. Fauces etiam ita constringuntur, ut suffocari ægrotantes videantur, succedit pallor, & frigus notabile, motus, & sensus nunc in totum, nunc ex parte tolluntur, sæpe in abdomine percipitur globus quidam ad diaphragma usque ascendens, quem falsò uterum dicunt, cùm uterus quatuor suis ligamentis firmiter annexus sit.

Accedunt quoque animi deliquia, varii motus convulsivi, ac epilepsia, menses sunt sæpè suppressi, in hypochondrio utroque prçcipuè sinistro percipitur pulsatio, conqueruntur ægræ de anxietatibus, siti, doloribus variis, inprimis verò capitis, ventriculi, artuum &c. alvum aliquando habent obstructam, & tamen à lenientibus hic enarrantibus. Tandem ni pereant ægrotantes, post paroxysmum longiorem, aut breviorem, imò interdum ad notabile temporis spatium cordi, & arteriis motus restituitur, & pulsus observatur, pectus quoque extendi, atque complicari, sicque respiratio redintegrari incipiunt, vox quoque quæ antea nulla, redit, & ægræ de molestiis præcordiorum conqueruntur, aliæ odorifera perferre nequeunt, ambram scilicet, moschum, cinnamomum, rosas &c. quo sodores, & plures viri absque deliquio animi tolerare non possunt. Hæc sunt symptomata graviora nostri affectus, non enim quemlibet hæc comitantur symptomata; in aliis pauciora; in aliis plura sunt, imò adeò obscura, ut vix ab incantatione discernantur, omnia etiam enarrare, quæ

deindè conjunguntur symptomata, impossibile est.

Sunt tandem alia signa, quæ distinguunt inter præfocatam, & mortuam, & vulgariter quidem floccis naribus admotis, clausis fenestris, & recedentibus adstantibus, cyatho aquâ pleno pectori imposito, aut speculo ori, ex eorum motu, infectionevè præsentem respirationem, vitamque arguunt. Verùm quia hæc parum firma sunt, ideo pilorum avulsione potiùs de vitâ cognoscendum, & sternutatoriis, ex pulvere hellebori, ac pyrethri naribus insufflato, aut pennâ intinctâ in aceto acerrimo squillitico, in quo ruta incoxerit, vel spiritus salis armoniaci fumans naribus admotus. Sed neque hæc certitudinem habent plenam, quia in quibusdam sola pulsatio vitam tueri potest, quapropter suffocati, apoplectici, ac epileptici meritò aliquandiu servantur, etiam nullo respirationis indicio: fuerunt enim jam pleræque ex sarcophago relatæ, & ex sepulchro auditæ. Cur verò Arabes his, Germani cunctis defunctis triduum definierunt, causa videtur, fœtor, qui in triduo ab obitu manifestatur; aliis humorum motum, cùm enim sanguis perpetuò, pituita quotidiè, bilis quoque tertio die, melancholia quarto moveatur, ad unum horum, si superesset homo, excitandus erat.

CAUSÆ.

De causa hujus intricatissimi affectûs sentiunt maleferiati Galenici esse semen muliebre, & sanguinem menstruum, dum præter naturam retinentur, & corrumpuntur, malignamque ac venenatam qualitatem acquirunt; ex quibus maligni vapores elevantur, per arterias, venas, & nervosum genus ad superiores partes ascendunt, & prout vel ad hanc, vel illam feruntur, diversa symptomata producunt.

Verùm varios humores excrementitios in uterum confluentes, qui diuturnâ morâ putrescunt, & tetros vapores emittunt. Hujus rei fidem faciunt vetulæ non paucæ, quæ sanguine menstruo, & semine destitutæ, hystericis tamen affectibus sunt plurimùm obnoxiæ.

Nullum membrum alienâ vivit quadrâ, nisi uterus, ac proinde existimamus in abdominis partibus inferioribus, præsertim in utero existere spiritus animales, qui Janitori ad uteri nutum esse debent, qui spiritus animales intra uteri fibras existentes, si omnia ad nutum peragunt lenes, & contractiores motus constanter fiant; sin verò iidem spiritus ab hoste, putà acido vitioso, austero facilè effervescenti plurimùm irritantur, tunc tumultuariè insiliunt, ita ut densiùs aggesti, & in auxilium vocantes spiritum vitalem statim progredi, & pertransire nequeunt, inde membranas, quibus intertexuntur, distendunt, divellunt, & dilatant, quin & sæpe ipsas quasi à vento incluso inflatas attolli & anteriùs propelli faciunt, hinc & uteri, & mesenterii plicæ à spiritibus agitatæ intumescunt, imò cum insultibus exilire, ac intra abdomen arietare videntur, nec minùs ventriculi, ac intestinorum tunicæ à spiritibus eo modo expansis, impetumque facientibus elatæ in varias distensiones, ac inflationes urgeri solent, in hac

spasmodicâ convulsione, & dolorosè convulsis intestinis, & abdomine aliorsum in alias partes subinde continuentur motus cum fortiori spirituum animalium perturbatione, hinc à spasmodicâ faucium contractione oritur illa constrictio faucium, & globus in abdomine; hinc sæpè oriuntur epilepsiæ &c. In graviori hoc malo ab eodem acido, vel austero, tandem supervenit sanguinis quodammodo congrumati stagnatio in præcordiis, indeque omnimoda suffocatio, & reliqua symptomata facilè ex his præmissis deduci possunt.

Eadem causa respirationis impeditæ, & imaginationis boli in faucibus esse potest, quod intestina torqueantur, & convellantur, quapropter diaphragma minus deorsum ferri potest. Secundò quia musculi abdominis, & gulæ convelluntur, ità ut pectus, & abdomen minùs, & cum summâ difficultate moveantur, & gula constringatur, quapropter anima judicat vel vinculo gulam constringi, vel globum in gulâ hærere, in aliis verò partibus hærentes particulæ austeræ, acidæ, varias convulsiones excitant, & morbus hic cum epilepsia valdè conveniat.

Verùm diximus à semine, & sanguine corrupto malignam, & venenatam qualitatem acquiri, ad hoc ut fiat hæc passio hysterica, attamen verum non est quòd acidum, austerum, seu ponticum sit causa tantæ torturæ muliebris, cùm vetulæ semine sint destitutæ, paucumque habeant sanguinem & patiantur hunc morbum.

PROGNOSIS.

Non admodùm periculosus est hic affectus; ex se enim rarò lethalis est, quamvis ratione, aut conjunctorum morborum, aut supervenientium symptomatum subinde lethalis fieri potest, diuturnus autem est, & contumax, præsertim si altas egerit radices, aut plurima eaque gravia conjuncta habeat symptomata, præsertim in vetulis. Viragines non, aut minùs huic affectui sunt obnoxiæ, quàm fœminæ sedentariæ, quia illarum sanguis spirituosior, & tamen nervosum firmum est. Periculosus esse solet hic affectus puerperis, & prægnantibus. Aliquando in epilepsiam degenerat. Sternutatio mulieri hystericæ superveniens bona. *Hip. sect.* 5. *aph.* 35. *Mulieri hystericæ sternutamentum superveniens, bonum.* Robur enim significat cerebri, & illo motu maligni vapores cerebrum obsidentes discutiuntur; tum humores vitiosi utero contenti evacuantur. Sic etiam bonum est, si copiosi ructus superveniant; his enim & morbus, & paroxysmus sæpè terminari solent.

Postquàm paroxysmus hystericus aliquandiu duravit, ægræ ad se redeunt valdè defatigatæ, scilicet à convulsionibus, & membra dolent, non secus ac si fustibus percussa essent, & reverà quoque utrobique est doloris causa; nam sicut à fustium ictibus fibræ rumpuntur, unde dolor; sic quoque à convulsionibus hinc illinc fibræ franguntur, & hinc illi dolores.

CURATIO.

In paroxysmo passionis hystericæ nullo modo diæteticam curationem ten-

tentabis; extra verò paroxyſmum infirmam ad aſſumendum cibum conveniens impelles, & quia diætetica conſiſtit in ſex rebus non-naturalibus, ideo exordium faciemus ab aëre.

Aër ſit temperatus, vitetur aſperior, & borealis, odores exſtinctæ candelæ, moſchi, zibethi, aliorumque ingratorum vitentur.

Cibus ſit boni ſucci; auſtera, acida, ſalſa, & concoctu, & fermentatu difficilia vitentur, caſtaneæ &c. nocent etiam fumo indurata.

Potus ſit vinum optimè defæcatum, vel tenue, nocet omne vinum non bene coctum, & fermentatum, item potus aqueus, muſtum &c.

Motus, & Quies; excreta, & retenta, inprimis menſes ſuppreſſi, alvus conſtricta, & ſemen retentum, ſi modum excedant, non ſunt patroni hujus affectûs.

Somnus, & vigiliæ etiam in mediocritatis cancellos contineantur; nocent enim ſomnus, & vigiliæ nimis protractæ, cùm varias cumulent cruditates.

Animi paſſiones ſint hilares, ſpes, gaudium; mœrores autem graves, & animus meticuloſus, conſternatio ex inopinatis caſibus, & ſiqui ſunt ſimiles affectus hunc morbum facilè inferre poſſunt.

Ad curationem igitur vocati Medici; caveant diligenter, ne incauti mortuæ remedia adhibeant; nevè muliercularum communi errore, quidquid affectus illis contigerit, in uterum reijciant, cùm poſſint ex aliis cauſis ſuboriri, ne tandem vulgari ſuperſtitione ſic affectas ab immundo ſpiritu teneri judicent.

Veteribus Galeniſtis ſuffocationi uterinæ curativæ intentiones duæ ſunt, una, quæ præſentem reſpicit affectus hujus paroxyſmum, altera, quæ tempus paroxyſmo liberum; eò ergo incumbunt, ut vapor malignus ex utero adſcendens diſſipetur, & à membris principalioribus avertatur, dein, ut humor è quo elevatur vapor, evacuetur, & è corpore eliminetur, tandemque partes corroborentur.

Poſtquam ergo fœmina in lecto collocata, ut faciliùs reſpiret, & faſciæ corporis omnes ſolutæ fuerint, naturam excitant clamores, & proprii nominis inclamatio, pilorum in pudendis præcipuè avulſio, auriumque vellicatio, ligaturæ, & frictiones dolorificæ, præ omnibus tamen obſervatione titillationes in plantis pedum paroxyſmum diſcutiunt.

A partibus verò ſuperioribus, auram adſcendentem revellunt eædem ligaturæ, & frictiones dolorificæ partium inferiorum, femorum, crurum, ac pedum, cucurbitulæ ſine ſcarificatione, cum multâ flammâ, primò ſuris, & femoribus, deinde etiam inguinibus appoſitæ.

Naribus graveolentia, & fœtida admovent, quibus partim vapor ipſe diſcutitur, partim ejus adſcenſus, dum uterus graveolentia averſatur, impeditur, qualia ſunt, *plumæ avium, imprimis perdicum combuſta, pili, corium, cornua combuſta, caſtoreum, aſa fœtida, galbanum, oleum ſuccini*, &c. ut vapores illi maligni diſcutiantur, adhibenda volunt, in quem finem etiam arcani inſtar verrucas, (quæ tibiis equorum adnaſcuntur) comburunt, fumumque naribus excipere inſtituunt. Pudendis ſuaveolentia varia exhibent,

ut *zibethum*, *moschum*, *galla moschata*, eâ additâ ratione, ut scilicet humorum, & spirituum motus in utero versus inferiora revocetur, & quasi consopiatur.

Revocandam etiam, & revellendam volunt materiam ad superiora ascendentem, clysteribus ex uterinis, & carminativis paratis: ut etiam materia vaporum mater ex utero tollatur, pessos in maritatis utero indunt, *Barbaris Nascalia* dicta, naribus verò indunt varia sternutatoria, auribus *oleum salviæ*, *succini*, *spicæ &c. Emplastrum de Galbano*, aliaque regioni umbilicali imponunt; & si à menstruorum fluxu impedito proveniat, venam tali secare jubent, aliaque varia uterina, & anodyna exhibent &c.

Si à semine retento affectus oriatur, nihil coitu conducibilius est, cùm mulier fuerit exercitata, si viro conjuncta sit. In coitûs penuria multi consulunt pudendorum confricationem, atque titillationem ab obstetrice factam, immissis digitis in uteri cervicem oleis aromaticis perunctis. Verùm cùm id sine scelere fieri nequeat, à Medico Christiano nunquam est præscribendum.

Postquam è paroxysmo elevata est fœmina, laborandum, ne is recurrat, quod fit causarum remotione. Cùm verò, ut antea dictum, proxima hujus affectûs causa sit vapor malignus ab utero elevatus, hic verò ex semine, & sanguine menstruo corruptis elevetur; danda opera, ut semen, & sanguis corruptus evacuentur; neque quicquam horum ampliùs corrumpatur, uterusque corroboretur.

Itaque si à semine retento affectio hęc ortum habeat, universalibus purgationibus, quæ lenes esse debent, ac sępe repetendæ sunt, præmissis iis, quæ seminis generationem prohibent, utendum. Inprimis verò curandum, ne semen in utero corrumpatur, ac propterea si aliquod in utero vitium sit, id corrigendum; aut si corruptum sit semen, maturè evacuetur, quod commodissimè fit clysteribus uterinis, & pessis.

Ut reliquiæ verò discutiantur, & uterus roboretur, convenientia emplastra, & unguenta uteri regioni adhibenda, ut

℞. *Styrac. liquidæ* ℥ij.
caryophyllorum,
seminum agni casti,
angelicæ ana ʒ℈.
aliptæ mosch. ℈j.
olei nardini,
lilior. albor.
ceræ ana q. s. f. Vng.

Vel ℞. *Sem. agni casti* ʒj.
santal. omnium ana ʒ℈.
pulv. rosf. alb. ʒj.
gummi tacamahacæ ʒj.
carannæ ʒij.
aliptæ mosch. ʒ℈.
terebinth.
ladani,
ceræ ana q. s.
fiat emplastrum.

Inprimis verò in hoc causæ genere bonâ diætâ opus est. Utantur huic affectioni obnoxiæ, & semine abundantes, victu tenui; carnium nimio usu, vini potu & omnibus, quæ semen copiosum gignunt, abstineant; lascivos sermones, conversationes, lectiones venereas vitent, & si virgines sint, viro jungantur.

Si verò à menstruis retentis, & corruptis malum originem habeat, ea curatio instituenda quæ de mensium suppressione.

Quia tamen nec semen retentum, nec menstrua suppressa, suffocationem uterinam excitant, nisi peculiari modo corrumpantur, & malignitatem occultam, ac venenositatem induant, communia quædam medicamenta sunt, quæ humores illos discutiunt, malignitati adversantur, uterum roborant. Parantur verò talia ex *melissâ, menthâ, pulegio, calaminthâ, radice angelicæ, mei.* Inprimis efficax, & utilis est hîc, *radix Bryoniæ.* Parant aquas destillatas, pulveres, ut sunt *species galangæ, diacalamenth. diacinnamomum &c. Mithridatium, requiem Nicolai, & castor.* ex quibus concinnant varias formulas, quarum omnium Practicorum Galenicorum volumina referta invenies.

Nos omnem operam, omneque studium in curando hoc affectu adhibemus, ut extra paroxysmum causa remota acidum illud, & austerum, seu ponticum corrigatur. Uteri suffocatio analogiam habet ad apoplecticos, & epilepticos affectus, quapropter probabile est ab iisdem causis ab acidis, scilicet vitriolatis anodynis in utero existentibus provenire.

In paroxysmo verò ut spasmodica illa concussio, & contractio, & suffocatio tollatur. Spasmodicam illam contractionem auferunt omnia ea, quæ spiritus animales extra pomeria sua vagantes iterum in ordinem pristinum restituunt, in quem finem commendamus salia volatilia urinosa, aliaque fœtida, & subtilia acria, ut *sunt spiritus armoniaci volatilis, fuliginis, ungula equi, tinctura castorei, asa fœtida, charta cum pennis perdicum combustis &c.* Subtilissimorum talium odoratorum, seu fœtidorum vis tantùm non sensibili effectu se exerit in his, uti in summè debilitatis, & lypothymiis odor vini generosioris, vel alius aromatici, quas nonnunquàm ad vivos revocare videtur. Pudendis suaveolentia admovenda, *ut zibethum, moschus, gallia, alipta moschata*, ut humorum, & spirituum motus in utero versus inferiora revocetur. In pauperibus sufficiunt *pulvis caryophyllorum, cinnamomi, nucis moschatæ.*

Vel ℞. *Styracis calamitæ,*
benzoës ana ʒj.
galliæ moschatæ ℈ß.
cum mucilag. tragac.
fiant trochisci,

Qui carbonibus inijciantur, & fumus per infundibulum in orificium uteri immittatur.

Cavendum tamen hîc tegumentis necessariis, ne odor ille suavis ad nares ægræ pertingat, malumque augeat.

Revocant etiam, & revellunt materiam ad superiora ascendentem clysteres flatus discutientes alvo injecti,

Vt ℞. *Artemisiæ,*
mercurialis,
majoranæ,
pulegii ana m. j.
semin. carui,
cumini ana ʒij.
*rutæ m*ß.
coque in aquâ s. q. in colat. lib. j.
diss. elect. diaphœnic.
hieræ ana ℥ß.
extract. castorei ℈j.
ol. rutac. ℥jß.
fiat clyster.

Ma-

Magnoperè commendamus oleum Jovis, quod sic paratur: *Solve stannum Anglicum in aquâ forti, ex nitro & alumine factâ secundum artem. Et stannum ipsum paulò post in fundo apparebit, in modum calcis albicantis. Hanc calcem exsicca, & per ollas super cucurbitâ tubulatâ positas sublima, quemadmodum aliàs fiunt flores antimonii albi, atque ita corpus Jovis sursum fertur in formâ pulveris, seu farinæ candidissimæ. Hunc pulverum solve in aceto destillato, & extrahe per biduum; quotidie sæpius vas agitando. Solutiones, & extractiones repete per recens acetum destillatum, donec tota completa fuerit extractio. Tandem extractum omne conjunge, & acetum destillatum usque ad siccitatem indè evapora, aut destilla. Quod remanet, cum spiritu vini extrahe, quemadmodum cum aceto destillato factum: separa vicissim spir. vini usque ad medietatem. Pone in locum humidum, & enascentur crystalli, quas demum in liquorem per diliquium solve. Is liquor umbilico hystericæ immissus, statim suffocationem sistit. Intra à gutta. j. ad ij. ad summum* iij. *repetitis vicibus exhibetur.*

Osuvaldus Crollius miræ virtutis præparat elixir uterinum, ut

℞. *Castorei lib.* ÷.
croci ℥ij.

Extrahe tincturam cujusque seorsim spiritu vini, & separa spiritum ad remanentiam extractorum, quibus mistis adde

Extracti Artemisiæ ℥. iv.
salis matris perlarum ℥j.
oleorum stillatitiorum angelicæ,
anisi,
succini ana ʒij.

Digerantur mista omnia per octo dies.

Dosis hujus elixiris ʒj. vel ij. ingruente paroxysmo hysterico, tunc illicò sanantur. Quod si singulis mensibus appetentibus menstruis æquali dosi utantur, non revertetur morbus.

Interiùs adhibetur essentia, vel extractum chamæactes, ut

℞. *Granor. sambuci probè maturator.* q. u.

Exsicca, & cum aquâ ardente extrahe tincturam, hanc si vis ad mellis consistentiam, vel picis redigere potes.

Dosis est extracti ℈j. tincturæ unum, vel alterum cochlear.

Quam maximè juvat *fæcula Bryoniæ* non solùm in paroxysmo, sed etiam extra ad præcavendum; summum enim uteri mundificativum est, cum quo habet signaturam, miscetur cum castoreo, asa fœtida, cum ol. & tincturâ, sive magisterio succini.

In passione hystericâ ad convulsivos istos motus sedandos & simul austerum absorbendos. *Jovialia, saturnina, anodyna, castorina, cinnabarina*, omne absolvunt medendi punctum.

Tinctura bezoartica cum spiritu armoniaci, castorei, vel elixir uterinum cum essentiâ anodyna mista generosa sunt remedia.

Laudanum sequens hystericum in usu nostro comprobatum, est generosum remedium, quod in usum ægrotarum communicare lubet:

℞. *Extracti opii cum aceto facti* ʒj.
zedoariæ ʒ ÷.
verruc. equinar.
rad. calami arom. ana ℈ ÷.
cinnabaris nativæ,

casto-

castorei ana gr. XII.
croci gr. XV.
lap. bezoar. orient. ℈ ÷.
olei succini,
ruth. ana q. s.
f. l. a. extractum.

Cui grana ii, & iij. ad quatuor in aquâ melissæ, aut calaminthæ exhibita mira præstant, his verò aquis destitutis, in vehiculis domesticis cervisiâ &c. propinandum.

Extractum lichen sic fit:

℞. *lichen. q. s.*

Affunde aq. melissæ, pone in vitro ad tincturæ extractionem, & abstrahe ad extracti consistentiam.

Hæc de medicamentis durante paroxysmo exhibendis, extra paroxysmum verò hic affectus, aliam postulat methodum, sedato, & inducias ferente acido, hostem illum apertiùs aggredi audemus: Hinc extra paroxysmum conveniunt illa, quæ acidum illud ponticum absorbere, præcipitare, dulcificare, & quovis modo corrigere apta sunt, & simul respicere debent janitorem uteri, & hæc sunt omnia uterina specificè juvantia, ut aromatica, & volatilia, dein omnia præcipitantia correcto aliquo modo austero pontico sæpe viscido, operæ pretium est, ut deinde educatur; in quem finem varia conducunt purgantia antihystericis maritata.

Sequens medicatum vinum non est contemnendi usus, ut

℞. *Herbar. absynth.*
card. benedicti,
melissæ,
scolopendr.
ceterach,
ruthæ ana m ÷.
Radicis zedoariæ,
eringii,
pimpinellæ ana ℥ ÷.
angelicæ ʒij.
Rhabarb. opt. ʒiij.
fol. senæ ʒj.
sem. sileris mont.
fœniculi,
carici ana ʒ. ij ÷.
cortic. aurantior.
tamarisci,
fraxini ana ʒiij.
tart. crudi ℥ ÷.
incisa d. ad Chartam.

Si quis pilulas amat, sequentes erunt, ut

℞. *Spec. diacymini* ʒj.
asæ fœtidæ gr. XII.
extract. castorei ℈ ÷.
extract. croci gr. V.
extract. rhabarb.
extract. resinæ jalappæ ana ℈j.
ol. rectificati succini,
tincturæ castorei ana gut. vj.
m. fiant pilulæ,

Quæ sufficiunt pro XXXVI. vicibus; purgantibus cautè incedendum.

Vel ℞. *Rad. bryoniæ* ʒiij.
fol. sen. ℥ ÷.
agarici ℈ij.
zinziberis ℈j.
cinnam. ʒj.

Infundantur per noctem in aquâ fontis. In colat. dissolve.
Syr. rosac. ℥j.

Fiat potio sumenda bis, aut ter in mense.

In iis, quæ facilè vomunt, utile est vomitum proritare semel, aut bis in mense, ad hunc finem *sal vitrioli* in aquâ appropriata exhibemus à ʒ ÷ ad ʒj. & in hystericis specificum prædicamus. Pilulæ fœtidæ majores bis in mense ad ʒ ÷. exhibitæ sunt utilissimæ.

Sed

Sed longè efficacior est pulvis sequens, qui diuturnas, & contumaces affectiones hystericas sanat, si frequenter assumatur ʒ.j. pondere cum vino, aut pane hostiario, vel in boli formam redactus cum syrupo artemisiæ, ut

℞. *Rad. gentianæ,*
Dictamni albi,
tormentillæ,
pirethri,
rhapontici,
bistortæ,
aristolochiæ rotundæ,
carlinæ,
baccarum lauri,
angelicæ,
imperatoriæ,
semin. coriandri præp.
semin. anisi,
grana juniperi,
mastiches,
boli armenæ oriental.
terræ sigillatæ ana ℥jii ÷.
croci orientalis ʒjj ÷.
fiat pulvis tenuissimus in vase bene clauso reservandus.

Commendamus ad hunc affectum *vitriolum Martis*, eiusque granum unum, vel duo cum duplâ sacchari portione exhibemus per multos dies cum vino, aut liquore idoneo.

Post universalem purgationem, ad materiæ morbificæ reliquias discutiendas, conveniet decoctum sudorificum, per plures dies exhibitum, ex ligno sassafras, aut guajacino cum semine fœniculi, & viticis paratum. In eundem usum maximè convenient Thermæ sulphureæ, & bituminosæ quales sunt nostræ Gurgitelli, quarum usu multas optimè habere quotidiana experientia patefacit.

Musitanus de Morbis Mulierum.

CAPUT VIII.

De Vteri Procidentiâ.

VTeri procidentia, prolapsus, descensus, sive exitus, & egressus, quem Arabes matricis præcipitationem vocant, tunc fit, cùm uteri corpus per fœminæ pudendum ita evertitur, ut instar struthiocameli ovi foras promineat juxta majoris, aut minoris differentiam, prout violenta eversio contingit. Fernelius agnoscit inter prolapsum, & descensum hanc differentiam, quod in descensu in infimas partes uterus pervolvatur, prolapsus verò gravior fit, quòd eversus uterus foris procedat; ejusque fundum, uti diximus, instar ovi promineat; neque verò, ut imperiti putant, à suis solutus appendicibus, ac ligamentis totus decumbit; nam si ita procideret, restitui minime posset, sed ejus ligamenta fiunt laxiora, præsertim cùm peritonæum, aut ipsius vincula dissolvuntur, aut disrumpuntur; ut enim variis partibus per diversas propagines alligatur, ita ilio per tunicam à peritonæo demandatam.

SIGNA.

Vteri procidentiæ signa ex ægræ relatione patent; conqueritur enim de pondere, & tumore instar ovi, nunc minoris, nunc majoris. Quandoque tumor vulvæ labia aperiendo, apparet, quandoque extra labia se videndum exhibet. In principio adest insignis partium dolor, quibus annectitur uterus, lumborum nempe, hypogastrii, pudendi, & circa os sacrum. Si malum

 diu

diu duravit, ob assuetudinem dolor demulcetur, & solùm quædam ponderis molestia percipitur, & in ambulando impedimentum præbet. Interdum alvinæ fæces & urina supprimuntur ob compressionem. Quandoque supervenit febris, & quandoque convulsio.

CAUSÆ.

Procidere uterum putârunt nonnulli, quando eius fundus prolabitur, invertiturque propter ligamentorum relaxationem, extentionem, vel ruptionem, & deorsum labitur, ut pars intima extima sit; laxiora, inquiunt, fieri ligamenta à variis causis occasionalibus, ut ab humoris pituitosi affluxu, à nimio fluxu seri, aut sanguinis, diutino fluore muliebri; ab his enim immodicis evacuationibus per uterum factis relaxantur ligamenta, & foras prolabitur. Externæ causæ sunt partus laboriosus, balnea, insessus, linimenta, & omnia emollientia, & refrigerantia, ut pedum & lumborum refrigeratio, sessio super lapide frigido, sic & potus aqueus, alimenta lubricantia. Diuretica sæpius repetita & exhibita, nimia corporis exercitatio, aut ambulatio pedestris, equitatio, saltatio, tussis, sternutatio &c. subiti, & graves animi affectus. Excretiones aut suppressæ, aut immodicæ, alvus adstricta, diarrhœa, dysenteria, vel similes causæ, quæ vel à toto corpore, aut parte aliqua ad uterum refundunt. Nonnunquam, & sine ullâ istarum causarum debilitantur corpora, ut membranis, musculisque vulvam sustinentibus exolutis contingat uteri procidentia, quod in occidua ætate fieri solet. Vel ligamenta extenduntur à frequenti, & difficili partu, gravi & onerosa fœtûs gestatione. Vel rumpuntur à violentis causis, ut ictu, casu, vel ponderosi fœtûs gestatione, aut ponderis elevatione, præcipuè post partum, saltatione, partu laborioso, aut abortu, violentâ secundinarum extractione, sternutatione post partum, vociferatione &c. His de causis uteri procidentiam fieri, aiunt, sicut quandoque musculi ani, sphincteres dicti, intestina, omentum è suo loco deorsum labuntur, ut in ramice contingit, & ita matricem sæpe deorsum ruere, & è corpore propendere, & sicut etiam in sanitatis statu uteri substantia densa, & compacta est, nonnunquam tamen in statu morboso laxatur, ut scrotum. Fundus prolapsus, & inversus carnem propendulam scroto virili persimilem, ovumque anserinum magnitudine æquantem repræsentat, vel quod per vulvæ rimam procidit, ovo strutiocameli simile est, majoris tantùm, aut minoris ratione differens, prout inversionis violentia coëgerit. Si cervix prolapsa sit, caro rubens virili glandi cum suo foramine similis extra corpus ante pudendum propendet.

Hanc uteri procidentiam ab omnibus ferè Medicis, tam Antiquis, quàm Neotericis hactenus decantatam invenimus; verùm isti oculos glaucomate offuscatos habuisse credimus, & non mirum si quid pro quo, vel pro Cete Cancrum aspexerint; aspexerunt namque aliquid rugosi, & membranei ab interiori colli uterini parte versus pudendum propendere, quod pro utero ipso acceperunt, & adhuc quotidie omnes ferè vulgares vanâ spe delusi etiam pro utero habent. Resipiscant, quæso, imperiti Medentes, & his rationibus palinodiam canant.

Vterus pro parte inferiori duobus ligatur fortissimis ligamentis, quæ illum firmiter retinent, ne superiores com-

comprimat partes, & neque in dexteram, vel sinistram contorqueatur, & meatum, vel cornu, vel os interiùs dilatans quòd ligamentorum alterum relaxetur; aut contrahatur ad partem dexteram, vel sinistram. Hæc ligamenta inferiora, quæ processus sunt nervei, teretes, & cavi, ortum habent à lateribus fundi uterini, vasa deferentia contingunt, & ad inguina descendunt per peritonæi productiones, ac ad pubis os devenientes, bipartiuntur, & antequam in latam, & nerveam exilitatem degenerent, una medietas clytoridi jungitur, altera verò in membranam latam per femoris musculos excurrit. Vteri cervix cum vicinis partibus undique connectitur, anteriùs vesicæ urinariæ, ossibusque pubis beneficio membranarum à peritonæo prodeuntium; posteriùs recto intestino, & ossi sacro, cui toto ductu incumbit, & circumcircà fibris quibusdam vicinis partibus alligatur.

Parte superiore uterus duo habet ligamenta lata, membranosa, ac robusta, sed mollia, ut incremento augescentis sensim fœtûs successivâ expansione spatium relinquat, quorum primum in lateribus observabile pro expansione quadam peritonæi habetur, estque membranosum penitus, tamque latum, ut cum tubis, ac testibus, necnon fundo confibulatum, uterum ossibus ilium annectat, vocatur hoc aliforme ob similitudinem alarum vespertilionum, quam refert.

Ex hac uteri anatome constat ipsum ligamentis firmari, & roborari, ut in oneribus ferendis, expellendo fœtu, clamoribus, laboribus & humorum fluxu ad hanc partem, nullatenus per relaxationem invertatur, nec minùs hæc ligamenta rumpi possunt, quia à naturâ non constata sunt ex chartâ emporeticâ. Insuper præter hæc firmissima vincula natura peritonæo totum munivit uterum præter venas, & arterias, quòd si quandoque peritonæum relaxetur, devolvitur, & decidit in partem inferiorem aliquibus magis, aliquibus minùs. Præterea uteri figura aliis rotunda statuitur, aliis pyriformis, sed estò ad rotundam accedat, quò capacior sit uterus, tamen cucurbitæ fundo optimè assimilatur, quia fundus rectà deorsum sensim angustiatur, collum verò uteri canalem oblongum, & rotundum repræsentat, inversa cervice: Ex hac igitur figurâ clarè patet nullo modo uterum inverti posse, cùm ejus fundus amplior sit & collum angustius, non invertitur itaque ut mactatorum animalium intestina à laniis invertuntur; non enim si ita procederet, restitui posset, & præcipuè illis vanis medicamentis, quibus jactabundi authores uteros prolapsos restitui gloriantur, Putârunt, credimus, vulgares Medicos per relaxationem, aut ruptionem uterum è suâ sede inverti non aliter ac tibiale invertitur. Non equidem ab ignaro vulgo dissonat, quod inter naturæ miracula connumerat matricem per rimam magnam deorsum non prolabi.

Nos uteri procidentiæ, quam vocant, causam proximam esse vaginæ, seu cervicis uteri annexus fibrosi cum partibus vicinis solutionem statuimus; vaginæ namque uterinæ tunica rugosa est, mollis, laxa, & inæqualis ob rugas orbiculares, ut major titillationis ab attritu in coitu voluptas percipiatur) nervosæ, sed nonnihil spongiosæ, fungosæque substantiæ: Vt non solùm penem strictiùs amplectatur, ac

semen meliùs ad uterum deferat, sed etiam ut partûs tempore infantem excludat. Ista membrana rugosa, seu tunica separatur à cervice, vicinas impellit partes, & deorsùm in pudoris sinum detruditur, ob loci dispositionem fit corpus orbiculare ex hac tunicæ relaxatione, & versus pudendum invertitur, quandoque extra propendet, quod uterum mentitur, bardosque decipit Medicos. Sed quod pejus est, nonnulli imperiti hunc prolapsum quandoque pro uteri herniâ suspicantur. Observavimus nos in quadam muliere hanc tunicam totaliter è suâ sede divulsam, & gangrænâ penitùs consumptam, in qua post triste fatum culter anatomicus, quia Medentes obstinatè uteri procidentiâ decessisse asseverabant, uterum minime è suo loco prolapsum patefecit. Causæ occasionales possunt esse omnes illæ, quas in vulgarium recensuimus.

PROGNOSIS.

Affectus hic rarò perniciosus est, attamen molestus, & opprobriosus, quia fœminis in deambulando impedimento est, ac veneris dulcedinem, conceptionem quandoque & rectam menstruorum purgationem impedit, ac quendam fluorem concitat. Dum recens est, & extra vulvam non procidit, faciliùs curatur; at si diuturnus fuerit in corpore cacochymo, & debili, ac extrà prolapsus non nisi longo post tempore, & equidem difficulter sanatur. Faciliter in junioribus, quàm adultioribus curatur, & præsertim quibus & si reponatur, le[illegible] de causâ iterum procidit. Si dolor, febris, inflammatio, vel gangræna ab aëris alteratione, aut violentâ repulsione accedat, si subsequatur mensium suppressio, vel hysterica passio, convulsio, & alia gravia symptomata, fœminæ mortis causa est, & præsertim puerperis.

CVRATIO.

Medicina absque diætâ est mutila ex unâ parte, attamen cum suis partibus perfecta est; hæc namque si non curat, saltim ex partibus completa est, & Medicus alacriter curam potest aggredi: ista diæta ex sex rebus non-naturalibus auspicari potest, quæ sunt.

Aër, in quo vivit ægra ad siccum magis, quàm calidum vergat, & præcipuè si à laxitate ligamentorum sit uteri procidentia, ægra vitet aërem humidum, & balnea.

Cibus siccans, & adstringens, & glutinans, ac propterea conveniunt oryza, amylum, cydonia, pyra, caseus recens. Fructibus verò horariis, piscibus mollibus, lacte, leguminibus, ac pinguibus abstinendum.

Potus sit Vinum subadstringens rubrum, nec largè potet.

Motus sit moderatus nec vagetur per lectum, quia uterus ex se ipso vagatur.

Quies in summo vitet, nec moveatur multùm, non clamet, non cantet, non rideat, neque etiam quantùm fieri potest sternutet; omnia illa jurgia quæ tussim concitare valent, vitet.

Somnus sit longior quàm vigilia, & quò diutiùs dormiat, eò meliùs.

Vigiliam vitet prolixam, nam corpus extenuat, ac somnus, & vigilia, si modum excesserint, malum.

Excretio, & retentio, si corporis excretio nimis profluat, sistenda; si nimis sistatur, clysteribus juvanda est, quia fæces comprimunt renes, sic flatus, & stercus in intestinis procidentiam adaugent; si urina adsit, depletur.

Animi

Animi Passiones absint, & præcipuè quæ uteri subvertunt œconomiam, ut jurgia, rixæ, exclamationes, ira, contentiones vitent: hilaritas, mœror, timor sunt boni successûs. Spes alit afflictas. Alma Venus, tanquam lethiferum venenum fugiatur. Tota igitur prolapsûs curatio potissimum in operatione chirurgicâ consistit, danda opera, ut id, quod prolapsum est à sua sede, quamprimùm restituatur, & contineatur. Ad hunc finem obtinendum, ægram super dorsum resupinam coxis altioribus dilatatis, reflexis poplitibus, pedibus divaricatis, constrictis natibus, & demisso capite in lecto collocabis. Postmodum admotâ manu tumor tepido inunctus oleo comprimatur ab ægrâ, obstetrice, vel chirurgo introducatur, ac in situm reponatur naturalem. Si vagina uteri partium vicinarum compressione nimiùm intumescat, præmittatur clyster, si flatus, vel stercus in intestinis procidentiam adaugeant, si urina in vesicâ adsit, depleatur: Vterus namque inter intestina, & vesicam suam obtinuit sedem, [id est inter stercus & urinam] intestina enim, vesica tensa, & repleta repositioni reluctantur.

Si uteri vagina intumuerit ex alteratione ab aëre externo frigido, & reponi non possit, adhibeatur fotus ex decocto *malvæ, althææ, seminis lini, fœnugræci, florum chamomillæ.* Vel fiat fotus *ex rorismarino, salviâ, absynthio decoctis in aquæ & vini partibus æqualibus, aut coquantur folia, & baccæ lauri, menthæ, flores sambuci, summitates artemisiæ in vino adstringente*, & fotus tepidè cum linteo applicetur. Si inflammatio adsit; tamdiu differenda est repositio, donec sistatur. Remisso tumore post fotum, priùs uteri vagina inungenda est mucilagine radicis consolidæ, & posteà aspergenda pulveribus, qui asperitatem nullam habent, ne partem lædant, sed glutinandi magis, quàm adstringendi vi polleant ut

℞. *Mastiches,*
thuris ana ʒ.jj.
sarcocol. in lact. muliebri nutrit ʒ.j.
mumiæ,
balaustior.
lacrym. sang. drac.
acaciæ.
hypocystidis ana ʒ.÷.
f. omnium pulv. subtiliss.

Tumor sensim & blandè reponatur, quòd si ægrè succedat, id peragat obstetrix baccillo crassiori obtuso linteolis involuto, vel intrudendo insuper gossypium in se involutum, formâ, & crassitudine muliebri sinui respondens, linteoque exceptum, ac vino rubro stiptico imbutum, sic absque dolore, & violentia in propriam sedem devolves.

Commendant aliqui tanquam specificum ad spontaneam vaginæ uterinæ repositionem suffitum *ex pelle anguillæ sale conditæ, & in furno exsiccatæ, & in pulverem redactæ*, *alii* verò *ex stercore bubulo.* Multi naribus admovent bene olentia & fœtida genitalibus subjiciunt, dummodò mulier hystericæ passioni non sit obnoxia. *Rodericus à Castro de morbis mulierum lib. 2. cap. 17.* ad uteri repositionem plurimùm conferre scribit, ut chirurgus cauterium actuale, aut aliud ferrum candens manu ostentet, ac fingat eo uterum inurere velit; Ita enim natura contrahitur, & cum ea uterus ipse, tum etiam quæcumque alia pars extrà prominens. Ad hunc ferè modum, *Zacutus Lusitanus* de quadam muliere narrat, quæ

ab anno, & dimidio uterum prolapsum habebat summa cum duritie, & post multa, & frustrà tentata præsidia nihil proficiens ad ridiculum confugit: supposuit mulieris cruribus mures filo alligatos, quibus positis, & per femora vagantibus, fœminæ metus ingens occurrit, & repentè uterus propriam in sedem reductus fuit, & à malo imposterum tuta remansit. Verùm pace nostri Lusitani, ipse ratus fuit cum Platone in Timæo uterum esse animal sensu, & ratione particeps, quod facilè ab alio animali terretur; quàm medicamentis indiga est vulgarium medicina, ut quandoque seriis incassum tentatis, ad ridiculas inventiones recurrere cogatur pro morborum sanatione! Quidam in hoc affectu vomitorium commendant; quia ad superiora fit humorum revulsio, & estò hoc titulo proficuum, nihilominus aliâ ratione metuendum est, hoc namque suas exerit vires magno impetu, & conatu, ac non minùs quàm sternutatio uterum pellit. Imò experientia docuit ad partum difficilem, & fœtum mortuum excludendum nihil efficacius esse, quàm vomitorium exhibitum.

Postquàm uteri vagina convenienter fuerit reposita, omni industriâ & arte, procurandum est, ut in suo loco contineatur: Mulier itaque in lecto collocetur aliquantulùm inclinata, cruribus extensis, & ita coaptatis, ut unum alteri incumbat, & per octo, vel novem dies in hoc situ consistat. Interim procurandum est, ne alvus segnior, vel laxior sit; nam si fæces duræ sint, vagina in iis egerendis facilè prolabitur, fluida alvus laxat. Duo sunt medicamentorum genera, quæ repositam uteri vaginam in suâ sede retinent; quædam hanc in suo loco stabiliunt, & partibus vicinis agglutinant, & coalescere faciunt, ea sunt medicamenta adstringentia, & agglutinantia; quædam verò tantùm vaginam retinent, ne prolabatur, & hæc cura palliativa nominatur. Equidem verò, quæ fit curatio per agglutinationem est vera curatio; nam solius naturæ est agglutinare continui solutionem, & ut hæc faciliùs rectiùsque perficiatur ea adhibenda sunt medicamenta vulneraria, quibus in vulneribus consolidandis, & enterocelis curandis utimur. Hæc medicamenta adstringentia, & agglutinantia in hoc affectu cùm internè, tum externè adhibemus; verùm cautè usurpanda sunt, si menstrua, statis periodis, fluant, ne supprimantur, & inde graviora proveniant mala: opportunum igitur hujusmodi remediis utendi tempus est, ubi menstruus fluxus præteriit.

Dum sequentia adhibemus medicamenta, quies seriò imperanda est, caveat proinde sibi ægra à vociferatione, jurgiis, omnibusque illis quæ tussim, aut sternutationem concitare valent. Sumat ægra bis, vel ter in die sequentem haustum adstringentem, & vulneratium, ut

℞. *Herbar. herniariæ,*
pilosellæ,
stellariæ,
bursæ pastoris,
polygoni ana m. j.
radic. consolidæ maj.
dictamni albi,
tormentillæ,
bistortæ ana p. j.
rosf. rubr. p. ij.
nucum cupressi num. IV.
fiat decoctio in vini rubei lib. IV.
vase optimè clauso.

Non

Non credibile eſt, quantùm valeat in uterinæ vaginæ procidentia hoc noſtrum decoctum vulnerarium per os aſſumptum, qui experietur nos vera dicere, fatebitur. Imò ſi per ſyringam in vulvam injiciet, compendiaria utetur viâ pro talis affectûs ſanatione. Ad uteri vaginæ roborationem exhiberi poteſt ſequens pulvis:

℞. *Radic. thapſi barbati* ʒ. jj.
flor. myrti,
ſem. paſtinac. domeſticæ ana ʒ. j.
raſuræ c. c. *&*
nucis moſch. ana ʒ. ÷.
oculor. cancr. præp. ʒ. *j.*
corall. præp. ℈. *jj.*
fiat pulvis,

Cuius doſis eſt ʒ. j. in vino auſtero.

Ad firmandam uteri vaginam in ſuâ ſede, peſſus ſæpius renovandus eâ figurâ, quæ vaginam impleat, fiat ex ſpongia, vel lana, vel goſſypio, vel ex petiis lineis, & ſequenti imbuatur decocto, & in vulvam immittatur, ut

℞. *fol. myrti,*
quercus
rubi,
artemiſiæ,
matricariæ ana p. j.
cortic. granator.
cupular. glandi p. ÷.
balauſtiorum,
baccar. myrt. ana ʒ. jj. ÷.
ſucc. acaciæ,
hypociſtidis, &
ſarcocollæ ana ʒ ÷.
ſang. drac.
boli armeni,
maſtiches ana ʒ. jj.
ſumach. ʒ. j.
alum. rcc ℈. VI.

fiat decoctum in paribus partibus vini auſteri, & aqua ferrariorum.

Interim umbilico, vel ſub mammarum regione, aut utrique reni cucurbitulam cum multâ flammâ ſine ſcarificatione admovent.

Ventri imponunt ſequens emplaſtrum, ut

℞. *Radic. cyperi,*
biſtortæ ana ʒ. j.
gallarum,
acaciæ ana ʒ. ÷.
nucis cupreſſi.
oſſium dactylor.
ſemin. myrtill. ana ʒ. j.
picis,
colophoniæ q. ſ.
f. emplaſtrum.

Lumborum & pectinis regioni tale applicant emplaſtrum:

℞. *Opoponac.* ʒ. jj.
ſtyracis liquidæ ʒ. ÷.
thuris,
maſtiches,
picis,
boli armeni ana ʒ. jj.
ceræ q. ſ.
f. emplaſtrum.

Vel admovent *emplaſtrum contra rupturam, vel pro retentione fœtus, vel unguentum comitiſſæ.*

Fiant ſuffitus ex pelle anguillæ, vel ex fœtidis. Suaveolentia, ut ambra, moſchus &c. naribus non admoveantur; eorum enim odor non ſolùm ad nares pertingit, verùm etiam ad uterum, & non ſolum præcipitationes inducere, ſed etiamcaput, & cor lædere, ac hyſtericas paſſiones excitare poſſunt, præcipuè ſi mulier his obnoxia ſit. Prædicta remedia per duodecim, vel quindecim dies continuanda erunt.

Solens

Solent vulgares convenientes instituere purgationes, humores pituitosos leniter purgantes, ne uterum denuò præcipitent, post quas decocta exhibent sudorifica *ex radice chinæ*, *ligno guajaco*, *vel salsâ parillâ*, sed, optimum est *visci quercini lignum* admiscere, quod potenter exsiccat. Si hæc quæ attulimus, non prosint, *thermæ sulphureæ in Puteolano*, *vel insulâ Ænariæ* efficacissimum erunt remedium, & rarum, quarum usu multas mulieres convaluisse vidimus.

Quòd si nulla perfectæ salutis spes supersit, tunc uti possumus curâ palliativâ, quâ tantùm vagina in suâ sede retinetur, ad hunc finem *Hippocratis Zona* est adhibenda; hac enim sine procidentiæ periculo munitæ mulieres ambulare, muniaque quotidiana exercere possunt, & vagina ab externo non læditur frigore.

Paratur autem hæc Zona ad eum ferè modum, quo fasciæ pro herniâ parari solent.

In deploratis procidentiis utilissima sunt pessaria, formâ rotundâ & tantæ longitudinis, & crassitiei esse debent, ut citra violentiam intrudi, vaginam tamen, ne iterum procidat, retinere possint. Formantur commodissimè ex lævissimo suberis cortice, aut glomere è filo, vel meliùs funiculo, & in cerâ liquida intinguntur, & eâ obducuntur. Sint lævissima, aliàs attritu suo menstrua alba excitarent, vel naturam ad seminis ejaculationem impellerent, quâ necessariò corporis vires debilitarentur. Fiunt perforata, ut menstruorum fluxus, vel salsus ichor ex utero profluens non impediatur. Alligantur que ligulâ sericâ, induntur que ut commodiùs quando libet, extrahi possint; quod tamen rariùs fieri debet, & non nisi concubitûs tempore. Hoc pessario adolescentulam munivimus, quam tanto ita lenivimus, ut à viro compressa conceperit, gestarit & suo tempore natum in lucem ediderit. His pessariis munitæ mulieres, vagina ita firmiter suo loco persistit, ut pedes ambulare, currere, saltare, sternutare, vociferari, rixari, equum, aut currum ascendere, pondera elevare &c. possint, & nullum tamen præsentiant incommodum.

Bardi vulgarès, qui uteri fundum inverti, & deorsum prolabi, ac per magnam vulvæ rimam extra corpus procidere imaginantur, pessaria ad columnellæ formam, ut prolapsum uteri fundum in suâ sede retineant, efformant, non aliter ac columna fornicem fulcit. Verùm hæc pessaria ad columnellæ modum non habent, ubi suam stabiliant basim, sicut nostra, quæ uteri orificium non excedunt, & sunt depressa ac perforata, veluti placentula, ac unius transversi digiti cum dimidio crassitiem adæquant, quorum circumferentia orbicularibus uterinæ vaginæ rugis adhærent ipsamque vaginam, quæ priùs pendula erat, firmiter in suo loco stabiliunt. Multa miranda canunt vulgares de pessario in columnellæ formâ, sed non credenda; asseverant namque ut mulieres conceptum retineant, utero gerant, pariantque, absque eo quod extrahatur, non impedire, imo etiam si mulieres propter uteriri procidentiam concipere non potuerunt, ut concipiant, auxilio est. Verùm nos

adduci

adduci non possumus, ut credimus cum tali pessario in uteri fundo mulieres concipere, utero gestare, & parere posse, quin potiùs conceptum, gestationem, & partum impedire, ut consideranti patet. Passaria juxta nostrum institutum confecta, ante coitum extracta, & post intrusa conceptionem non impediunt, ac gestationem, & partum, quæ si utique concubitûs tempore non extraheretur, impedirent, ut faciunt aliquæ devotæ mulieres, quæ intra uteri collum, ad cervicem usque, quantùm fieri potest, spongiæ frustulum, vel petiam, ne concipiant, intrudunt, & post coitum extrahunt unà cum semine.

CAPUT IX.

De Vteri Vlceribus.

AB uteri vaginâ rectâ ad uteri fundum penetramus, & ea describimus ulcera, quæ hanc partem quandoque corripere solent. Dicitur uterus quòd in eo, tanquam in utre quodam fœtus continetur. Matrix, quòd fœtui alendo se matrem præstat, atque etiam per imprægnationem matres efficit. Loci & locelli, quòd locus initialis sit hominis, ac præ omnibus aliis jucundis locis juvenibus placet. Hic, quem ad concipiendum, conservandumque fœtum in fœminis primus Protoplastes condidit, situs est in hypogastrio, seu infima imi ventris regione, in pelvi, quasi osseâ, quam pubis, sacri, ilii, coxendicisque concursus efformant, cujus pelvis in fœminis major est amplitudo, quàm maribus: unde etiam fœminis grandiores, & ampliores sunt nates. Talem obtinuit situm uterus, ut pro fœtûs magnitudine infans distendi, & commodè etiam excludi posset. In medio locatus est, ad nullum inclinans latus, nisi dum utero gestat mulier masculum, vel fœmellam: tum enim dexterum, vel sinistrum magis occupare solet, estò hoc non perpetuò sit verum. Positus verò est inter intestinum rectum subjacens, & vesicam incumbentem tanquam inter duo pulvinaria, unum stercore, aliud urinâ repletum. Quid ergo superbimus, qui inter stercus, & urinam nascimur?

Vteri magnitudinem non tantùm variat ætas, corporis moles, sed & veneris usus, & fœtura, consideraturque in longitudine, latitudine, & crassitie. Longitudo in iis, quæ mediæ sunt staturæ, & venere utuntur, à pudendo usque ad fundi finem communiter est undecim digitorum, fundi verò trium. Fundi latitudo duorum, aut trium digitorum, quæ in non gravidis eadem est latitudo fundi, ac cervicis, atque hinc amplitudo facilè conjici potest. In virginibus parvus est, vesica minor, perfectis major, quibus tamen venere abstinentibus, ut & vetulis satis parvus, sed crassus est: at major in illis, quæ sæpè conceperunt, & utero gestarunt, tum enim magis, magisque amplificatur, cùm ante ingravidationem sacri ossis initium non superavit, fundus postea ad umbilicum, & non ultra etiam extenditur, ut tenuibus incumbat intestinis. Crassities uteri eodem ferè modo variat, nam in virginibus tenuis est substantia, in adultioribus crassior, & quò sæpiùs mulier uterum gerit, eò crassior est ejus substantia. Mensibus flu-

entibus, crassescit uterus, & quando instat mensium excretio, humida, & crassa apparet uteri substantia. In gravidis putârunt *Gal. Vesalius*, aliique anatomici uterum, quò magis extenditur, eò magis attenuari, & crassitudinem in longitudinem absumi. Sed hi decepti fuêre, uterum namque præter naturam tenuiorem observârunt, sive ex humoris defectu, sive nimiâ distentione, & tunc de facili rumpitur à fortioribus impellentibus, ut in puerperâ observavit *Salmuth*. A primo conceptu uterus secundum omnes dimensiones paulatim ab augescente fœtu dilatatur, & in dies crassior, carnosior, & robustior redditur, ac postremis mensibus duorum ferè digitorum crassitiem æquat, & tamen tanta uteri moles intra duas, vel tres à partu hebdomadas per celebrem lochiorum expurgationem ad pristinam redit magnitudinem. Uteri figura aliis rotunda, aliis pyriformis statuitur, sed licèt ad rotundam accedat, quò capacior sit uterus, tamen cum *Sorano*, *& Fallopio* fundum cucurbitæ optimè assimilari posse sentimus, quia fundus rectà deorsum sensim angustatur; collum verò uteri canalem oblongum, & rotundum repræsentat. Cavitatem obtinet exiguam, quæ in non gravidis, præcipuè virginibus, vix fabam majusculam capit, & factâ conceptione unà cum fœtu, ac toto increscit. Hæc nullis cellulis est donata, uti falsò septem cellulas ei aliqui tribuunt, sed solâ lineâ quædam per longitudinem exporrectâ, & in interiore tantùm parte carnosæ tunicæ designatâ in dextram, sinistramque partem, dirimitur, qualis linea etiam in viri scroto extrinsecùs conspicitur.

Constat triplici membranâ distensibili, & ampliabili, ut totus cum crescente fœtu ampliari uterus possit; extima hujus membranæ tunica à peritonæo prorogatur, estque robusta satis, ut non facilè crepet, intima nervosa est, fibrosa, & porosa, media omnimodè carnosa, extra prægnantiæ rationem densa, & admodum compacta est. Post autem fœtum conceptum humorem opposititium in modum spongiæ tam largiter combibit, ut eò paulatim laxata stupendam gravidæ utero crassitiem adducat.

Vteri fundus suâ substantiâ superiùs nulli parti annectitur, ut liberior sit ejus extensio: à lateribus verò duobus ligamentorum paribus, quorum usus est uterum suspensum tenere. Vnum par superius est latum, & membranosum statuitur à musculis lumborum ortum; desinit verò in uteri fundum prope cornua, laxum, & molle est, ut extendi, & contrahi possit. Vocatur hoc aliforme, ob similitudinem alarum vespertilionum, quam refert. Atque hujus paris beneficio alligatur ossibus ilii. Hoc ipsum subinde quandoque laxatur, vel etiam violenter disrumpitur (ut per vim, partûs difficultatem, pondus fœtûs &c.) ex quo mox uteri fundus suo fulcro destitutus, uterus in sinum descendit, & inversâ aliquando cervice, atque aliquando vel lateraliter ad inguina recidens peritonæo ansam ad herniam præbet, vel inverso modo foras ruit, ubi tamen accedat necesse est quoque solutio connexionis colli. Alterum par inferius rotundum, instar lumbricorum, subrubrum instar musculorum ab utroque fundi latere profectum antrorsum pergit, peritonæumque, ac musculorum abdominis permeans, atque ad pubis

bis oſſa deveniens bipartitur, unaque medietate clitoridi jungitur, alterâ autem in membranam dilatatum, per femoris muſculos ſpargitur.

Per uterum etiam varia vaſorum genera diſcurrunt, arteriæ ſcilicet, venæ, nervi, lymphæ ductus, & tubuli quidam utero peculiares; innumeræ ferè arteriolæ uteri tubulos ingredi, ibidemque terminari conſpiciuntur, ſed uſque adeo exiles, ut ſine microſcopii ope, vel alio artificio inſtituto, vix diſcerni queant. Notatu etiam dignum eſt, quòd duplo, vel triplo plures, & majores, magiſque flexuoſæ arteriæ per uterum, quàm per vaginam, ſerpant. Sed ad uteri ulcera noſter redeat ſermo.

SIGNA.

Vteri ulcerati ſigna ſunt graviſſimi pubis dolores, indeſinenter, vel per intervalla puris fœtidi ſaburra fluere ſolet vel per ſe, vel unà cum lotio, illudque mordicans reddit, ſinciput dolet, aliquando convulſiones accedunt, initio quidem ubi unà inflammatio adeſt, febris aſſociatur, paucior ſanies dolorificè exit, ubi autem ulcus jam ſuffodiens evaſit, plus ſaniei cum mitiori dolore effundit. Sæpè ſphacelus inde oritur, qui nunquam ad pudenda uſque ſe extendit.

CAVSÆ.

Ad ulcerum uteri cauſas referunt Galenici inflammationem ſuppuratam, & apoſtemationem ruptione ſuâ ulcus efficientem, quod neglectum, vel pravâ vivendi ratione deterioratum ulteriùs exulcerat; item humores acres defluxu ſuo coryzæ inſtar, in uterum confluentes, exulcerantes, demùmque profundius erodentes: partum difficilem læſionem utero inferentem, vel per laborioſum conatum, vel violentam fœtûs, vel ſecundinæ ex utero evulſionem; venerem immodicam, præſertim per improportionatum concubitum, vel luis venereæ contagioſam uredinem; medicamenta in uterum immiſſa, vel alia quædam aſſumpta acria, & erodentia.

Vteri ulcus ſecundum noſtram ſententiam oritur ab inflammatione in abſceſſum tranſeunte; ex particulis enim acidos alinis exaltatis in materiâ purulentâ contentis uteri continuitas diſſolvitur, & ulcus producitur. Vel non prævià inflammatione, & tunc ex menſium, vel lochiorum ſuppreſſione oritur, vel ſanguine lymphâ aliiſque ſuccis nimis craſſis, ſive acribus, qui tardiùs in utero circulantes, vel remoram acquirentes, copioſiùs ſolidis, & continentibus uteri partibus collecti, acorem contrahunt, tubuli, & vaſa dilacerantur, quibus dilaceratis, pus excitant, unde ulcus, imò ſanguis, & ſuccus alimentitius corrumpitur, & acrimoniam nanciſcitur, & unà cum pure emanat. Quandoque uterus à lue venereâ conſpurcatur, corrumpitur, eroditur. Vel lapſu, percuſſione, contuſione uterus læditur, fibræ rumpuntur, canaliculi deſtruuntur, ſucci non circulantes circa deſtructa conceptabula ſtagnant, & inteſtino motu fermenteſcunt, particulæ acutiores ſuſcitantur, & plures rumpunt fibras, ac nutrimentum fundunt, quod corrumpitur, & corruptam materiam purulentam promovet.

PROGNOSIS.

Vlcus uteri feſtinam expoſcit opem, aliàs

aliàs ruit in pejus, est namque uterus colluviarium proscripti sanguinis impuri, & menstrualis cadaverosi, ac proinde sponte ad gangrænam, & sphacelum proclivis; verùm quoties pus ab eo album, paucum, & minimè fœtidum effluit, minus periculi, & sanationis difficultatis habet; nigrum verò, & fœtidum ulcus cacoëthicum, & corrosivum, ac medelæ inobediens designat.

CVRATIO.

Non opportunis tantùm medicamentis uteri ulcera sanescunt, verùm diæta in his non respuenda est, aliàs chirurgus incassum laborabit; cæterùm in sex rebus nonnaturalibus insistendum, ut consequi possimus optatam spem: hæc namque malè affectam partem restaurare, & bene dispositam in meliorem statum redigere possunt.

Aër debet esse temperatus, nam nimis calidus succos resolvit & salia destituta exaltantur; nimis frigidus sanguinem, & cæteros circulantes succos inspissat, & incrassat, & ulceribus inimicus.

Cibus sit facilioris coctionis, qui plurimo sale alkalico sit refertus. Vitentur salsamenta, ut carnes muriâ conditæ. Item pisces sale indurati. Nocent nimis pinguia sulphure exuberantia; Conducunt animalium juniorum, & vitulinæ carnes. Vitentur omnia dulcia, quia viscidum in se continent, & per extrinsecam exaltationem transeunt in corrosivum.

Potus sit vinum nec acre, nec dulce, sed medium optimi coloris ad helvinum vergentis, saporis, & odoris, sed quod aquam admittat; nam *dilutum crescit, dulcescit, & lædere nescit.*

Somnus immoderatus sanitatem destruit; nam naturales impedit evacuationes, appetitum deijcit, crudos cumulat humores, calorem hebetiorem reddit, & spiritus animales torpidos; moderatus verò sanitati confert, humidum radicale restaurat, spiritus laboribus diuturnis dissipatos instaurat, calorem ad interiora revocat, membra calefacit, crudorum humorum coctionem optimè perficit.

Vigilia spiritus, & sensus excitat, & calorem in omnes corporis partes adjuvat, excrementorum propulsionem promovet, & membra vigore fovet; immoderata exsiccat, & contabescit. Somnus itaque & vigilia moderati sanitatem conservant, immoderati verò eandem destruunt.

Motus multas utilitates corpori præstare potest; unde motus efficit, ut corpora nostra non ita facilè ab externis injuriis afficiantur, sed causis ægrotare facientibus magis resistant; exulceratæ in utero mulieres debent se domi continere, ut motus non augeat attritu malũ.

Quies est non tantùm corpori, verùm etiam multùm necessaria, moderata quies in ulceratis in utero servanda est; & semper partis cõditio attendenda est.

Excretio, & retentio ulceratis ad ordinarias leges debito modo revocanda est; præcipuè menstruorum fluxus solitus promoveatur, insensilis transpiratio non impediatur; sic urina, lac, & saliva, ut & alvus sit lubrica naturâ, vel arte.

Animi pathemata pro tuendâ valetudine aptissima sunt, & corpori nostro amicissimus affectus est gaudium, & spes; hæc namque cùm sit futuri boni expectatio est afflictorum medicina. Contrarii animi affectus, ut timor, mœstitia, mœror, ira &c. insignes in corpore efficiunt mutationes; est etiam veneris usus ulceratis fugiendus, ne breve illud

dulcedinis

dulcedinis tempus diuturna reddat ulcera.

Curant Galenici uteri ulcus humorum acrium affluxum inhibendo per venæ sectionem in brachio institutam, si ægra sit plethorica, si cacochymica per repetitum catharticum medicamentum à pravâ colluvie corpus repurgant, benignioribus tamen utuntur catharticis, *ut foliis senæ, rhabarbaro, myrobolanis, & electuario catholico*, sed sedes non est uteri emunctorium. His præmissis, per totum sanationis tempus decocta vulneraria, & abstergentia propinant *ex radice chinæ, symphyti, aristolochiæ rotundæ, foliis agrimoniæ, plantaginis, pimpinellæ, centinodiæ, millefolii, artemisiæ &c.* Vel *terebinthi resinam cum saccharo rosaceo*, & pro majori ulceris exsiccatione *pilulas de bdellio, aut pulverem ex trochiscis alkekengi* exhibent. Interim utero exulcerato non desunt lotiones ex decocto siccantium, cùm valde phlegmatica pars sit, ut

℞. *Herbar. pilosellæ,*
plantaginis,
persicariæ maculatæ,
equiseti ana m. j.
florum rosar. rubr.
malvæ arboreæ ana p. ij.
balaust. p. j.
f. decoct. in aquæ suff. quantitate,

& colatura tepidè injiciatur. Vel *decoctum hordei, in quo mel rosatum sit dissolutum, additâ myrrhæ paucâ quantitate*, inijciunt. Pessum quoque *ex croco, oleo rosaceo, adipe anserino, & medullâ cervinâ* paratum adhibent. Externè insessiones, cataplasmata, & suffumigationes adhibent, & pro suffumigio sequentibus utuntur trochiscis:

℞. *Thuris,*
styracis calamitæ,
myrrhæ,
mastiches,
gummi juniperi,
Ladani ana ℥. j.
cum s. q. terebinth.
f. s. a. trochisci.

Absterso ulcere *in decocto equiseti, millefolii, & ros. rubr. dissolvunt unguentum diapompholygos*, & in uterum inijciunt.

Vteri ulcus curamus, priùs corpus deplendo pilulis mercurialibus; hæ namque sanguinem, lympham, aliosq; succos à particulis acidis, & salinis repurgant, mundificant, & ulcerum sanationem promovent; post quas ea propinamus medicamenta, quæ particulas acidas corrigunt, eliminantque, ad quem finem diaphoretica, & porosa sufficiunt; propinamus itaque decocta sudorifica; quæ non tantùm sudores, verùm etiam per urinas humores peccantes acriores eliminant, ac simul quoque acres, & acidos temperant. Commendamus *salia volatilia, oculos cancrorum stibium diaphoreticum, sulphur auratum diaphoreticum, cerussam antimonii. Cornu cervi, ebur philosophicè præp. sal. succini volatile, c. c. viperarum, saccharum Saturni &c.* Item potiones mundificantes, & abstergentes *ex decocto radicis aristolochiæ, bistortæ, herbarum melissæ, artemisiæ, perforatæ, persicariæ, millefolii &c.* In quo *coralliorum, & margaritarum magisteria* exhibemus, quæ acida, & corrosiva salia domant.

Pro potu ordinario sequentem commendamus, ut

℞. *Dictamni,*
melissæ,
matricariæ,
artemisiæ,
agrimoniæ,
scordii,
vincetoxici,

pulegii,
summit. hyperici,
radicis symphyt.
tormentillæ ana m. j.
seminum fœniculi ℥.j.

Concidantur omnia in particulas, & exactè misceantur, tum

℞. *Hujus misturæ largum manipulum, superfunde aquæ communis lib.* iij. *vel* IV. *Coquantur in vase cooperculato ad transversi pollicis casum, colatura in cellâ probè obturata servetur, admisce tertiam vel quartam vini* partem, ut ægra pro potu ordinario bibere possit, quò copiosiùs, eò melius, quò minùs etiam vini admiscet, eò ocyùs sanat, sed ejusmodi potus per multos menses ad sanationem usque continuari debet.

Quoad topica per syringam varios liquores, & misturas detergentes injicimus, ut *lapidem calaminarem præparatum, vel lapidem salutis in aquâ plantaginis solutum, vel aquam veneream n.d. vel vinum aloëticum, vel myrrhatum.*

Solet quandoque uteri ulcus corrosionem nancisci, & ipsum uterum, & quandoque intestinum rectum perforare, ita scortum observavimus, quod nunc fæces per uterum, nunc per intestinum excernebat, plura præbuimus medicamenta, & injectiones pergimus, & nunc incolume, sed cum eâdem excretione inter amasios vitam ducit. Quandam honestam mulierem in uteri vaginâ ulcere laborantem per plures invisimus vices cum quodam optimo empirico, & quia ulcus sordidum, & corrosivum erat, & ægra debilis, intestinum excedit rectum, unde quadam tenesmi specie correpta cum cadaverosa excretione intra tres dies, utero, & intestino sphacelato, non obiit, sed abiit.

Interdum uteri ulcus, ut gonorrhœa virulenta curari debet, quæ etiam sæpe huic ulceri conjuncta est, & ea conveniunt medicamenta, præter mercurium diaphoreticum & nostrum arcanum metallicum, quæ *lib.* 3. *de luce venereâ, cap.* 2. *de Gonorrhæa* descripsimus.

CAPUT X.

De Cervicis uteri ulceribus, & rhagadibus.

NOnnulli hanc partem exulceratam, quam trutinandam aggredimur, uteri cervicem impropriè appellant, rectè appellatur uteri ostium, quia virile membrum per hoc ingreditur, & egreditur; ac rectius à quibusdam uteri vagina vocatur, quoniam virile membrum in se recondit, ut vagina gladium, aut cultrum excipit. Est hæc vagina mollis, laxa, rugis orbicularibus inæqualis, (ut major titillationis ab attritu percipiatur voluptas) substantiam habet nervosam, ut dilatari possit, sed aliquantulum spongiosam, & fungosam, [hæc in libidinis œstro aliquantulum turgescit, ut virile membrum strictiùs comprehendat] longitudinis digiti longioris est, & latitudinis intestini rectè: quæ longitudo, & laxitas variant pro ætatis ratione, nec non prout fœmina magis, vel minùs libidine fervet. Sic quoque variant rugæ in virginibus, nec non in mulieribus, quæ rariori utuntur venere, nec ad eam fervidè proclives sunt, quàm in iis quæ nunquam pepererunt, multò cre-

crebriores, ac densiores sunt, quàm in iis, quæ sæpiùs pepererunt, nec non in meretricibus frequenti utentibus coitu, utpote in quibus sensim ferè obliterantur. Non tantùm hìc nos de uteri vaginæ ulceribus agimus, verùm etiam de ejus partium ulceribus, quæ sub oculos cadunt, ut sunt labia, nymphæ, carunculæ myrtiformes, & clitoris. Est clitoris glandiforme corpusculum illud in superiori pudoris muliebris sinu situm, & à nymphis custoditum, sub qua foramen est emittendo lotio. Ab *Avicenna* virga mulieris appellatur, & quia est vulvæ non relaxatæ instar, ob hanc emulationem columella ab *Hip.* nuncupatur. A nonnullis membro virili correspondere perperàm creditur; nam potiùs cum virilis virgæ glande convenit, in qua tantummodò voluptatis sensus ex coitu, & non in reliquâ parte oblongâ, sed longitudo tantùm inservit ad seminis in uterum porrectionem, ita quoque clitoris procul dubio glandis muliebris munere fungitur. Hæc pars exquisitissimum habet sensum, & in actu venereo jucundissimam præbet titillationem; unde in hac delectationis mulierum præcipua sedes est, dum coitu utuntur, atque hinc amoris dulcedo, veneris œstrum, libidinis sedes, & irritamentum dicitur; eapropter nulla pars in coitu majori delectationis sensu afficitur, ac mulieres fricatrices in venerem magis, quàm illa exagitat.

Clitoridis magnitudo communiter exigua est, sub nymphis ferè latens, deinde leviter prominet, in aliquibus præsertim libidinosis, quæ venerem voluptuosè exercuerunt manifestè cernitur, in aliis in majorem longitudinem ad formam penis virilis excrevisse observatum est. *Platerus* clitoridem monstruosam in quadam muliere collum anserinum crassitie, & longitudine æquasse vidit. Excrescit in illis fœminis, quæ continuò, & frequenter hanc partem contrectant, & fricant, qua ratione penis muliebris nominatur, ita ut hujusmodi mulieres illa parte nonnunquam abusæ fuerint, & cum aliis sui sexus coierint, sic *Pemplius* scribit de quadam *Helena*, quæ hac parte multas exercebat fœminas, & virgines vitiabat, quia in coitu penis virilis instar turget, & quando erigitur, ad libidinem stimulat, unde evenit, ut penis virilis loco clitoride aliquandò abutantur mulieres nonnullæ, & mutuò coëant, quas confricatrices, vocant, eapropter hæc pars virorum contemptus dicitur. Hujus libidinis inventrix scribitur *Philænis* quædam, qua usa etiam sit *Sappho* poëtria, sed de his *Paulum Apostolum ad Romanos* loqui censemus 1. 26. *Nam fœminæ eorum immutaverunt naturalem usum, qui est contra naturam.*

SIGNA.

Cervicis uteri ulcera cognoscuntur ex dolore, & continuâ eo in loco mordicatione, quæ sensim augetur, & intenditur, ac præcipuè si tangatur, vel abstergentium aliquid immittatur, & præ omnibus concubitus horum ulcerum est index. Deindè visui etiam patent, adhibito matricis speculo. Tandem cognoscuntur ex puris effluxu, quod interdum odore caret, interdum flavum est, deinde fœtidum, prout ulcus modò mite, modò sordidum est; cujus portio quandoque men-

sibus

ſibus fluentibus, cum ſanguine fluit, ſi ulcus magnum ſit. Trahuntur etiam ſæpe aliæ partes in conſenſum, ut ſi ulcus veſicæ orificium ſimul afficiat, urinæ ardor, & frequens ſupervenit mictio, caput, lumbi, aliæque partes in conſenſum trahuntur, unde vel dolent, vel malè afficiuntur, etiam febris accidit lenta crebris horroribus.

Cauſarum ſigna facilè innoteſcunt, quæ ſunt vel externæ, & evidentes, ut medicamentum erodens, partus difficilis, concubitus violentus, vel impurus, quæ ex ægræ relatione percipiuntur. Si hæ cauſæ abſint, ab internis malum natales ſuos habuiſſe neceſſe eſt. Si fuerit ſecundina corrupta, lochia retenta, fluor uterinus, gonorrhœa, vel alius humorum affluxus, facilè innoteſcunt.

Rhagades cervicis uteri non ægrè innoteſcunt; nam ulcuſcula ſunt rimoſa, & oblonga, iis ſimillima, quæ hyberno tempore in labiis, manibus, & pedibus è frigore oriri ſolent. Recentes latent, temporis tamen curſu, vel in coitu ſeſe produnt, quia tum dolor pruriginoſus aliquis excitatur, & cruoris aliquid effunditur. Quòd ſi res ita ſe habeat, & de malo adhuc ſuſpicio aliqua angat, uteri cervice reſeratâ, & inſpectâ, malum ſub oculos cadit.

CAUSÆ.

Ulcera cervicis uteri, ut dicunt vulgares, fiunt vel à cauſis internis, ut ex diuturno humorum bilioſorum, aut ſeroſorum acrium affluxu, ut in fluore uterino diu perſeverante, aut ex malignis humoribus cum ſanguine menſtruo in hanc partem, quaſi corporis muliebris ſentinam confluentibus, qui per hunc locum evacuantur, præſertim in lue venereâ, & malignâ gonorrhœâ, aut ſemine corrupto, aut ſecundinis corruptis, lochiis item diu poſt partum retentis, & corruptis; ex inflammatione in abſceſſum verſâ, dùm materia purulenta acrior reddita partem prodit affectam, ſicque abſceſſus rumpitur, & pus effunditur, ac in ulcus abit, vel ex excrementis in uteri plicis retentis, & ibi putrefactis. Vel à cauſis externis evidentibus, ut ſunt medicamenta acria, & erodentia imprudenter applicata, partus difficilis, violentus coitus &c. Tandem ſunt vulneratio, caſus, percuſſio, ut in aliis locis, quæ ſi non rectè tractentur, ulcera excitare poſſunt.

Secundum vulgarium ſententiam cervicis uteri rhagades internè inducuntur ab humorum acrium, præſertim lentorum, & viſcidorum affluxu, qui hiſce adhærent partibus, ejuſque rugas ſecundum rectitudinem exulcerant. Addunt etiam ingentem uteri ſiccitatem, qua rhagades utplurimùm fiunt. Cæterùm hæc pars nunquam ſicca obſervatur, cùm uterus ſit univerſale, & totius mulierum corporis emunctorium, & veluti colluviarium, quod perenniter profluit. Vel fiunt à medicamentis acribus, vel à coitu violento, vel à partu laborioſo, ubi fœtus grandior fuerit, ut rugas aliquas in uteri vaginâ diſrumpi neceſſe ſit, quæ unitatis ſolutio ob continuum excrementorum affluxum ſordida evadit, & hujuſmodi ulcuſcula excitantur.

Ulcera in uteri vaginâ à particulis acido-ſalſis membranarum fibras ſolventibus oriuntur, ſive hæ in ſanguine menſtruo, in fluore albo, aut lochiis, ſive

sive cum semine virili à lue venereâ conspurcato communicentur. Vel tunc fiunt ulcera, cùm vasa sanguifera erosa sanguinem fundunt, & per moram inter rugas putrescit, ac in pus commutatur. Vel producuntur cùm sanguis, aliusvè succus obstructione in suis conceptabulis retinetur, in quibus stagnatione acorem concipit, vasa erodit, & patefactâ viâ in suppositam defluit partem, ibi temporis tractu corrumpitur, in pus degenerat, & ulcus excitat. Vel inflammationes in abscessum degeneratæ tale ulcus excitare possunt. Externæ causæ sunt partus difficilis, orta violenta harum partium tubulorum, ac canalium exulceratio ab obstetrice imperitâ; ad hanc referimus violentum concubitum, vel medicamenta erodentia imprudentiùs applicata.

Oriuntur rhagades internæ à particulis acido-salinis in uteri vaginas excurrentibus, & ulcuscula secundum plicas excitantibus. Externæ à coitu violento, penis crassitie, vel à frictione petulanti, vl à fœtu majori vi extracto, unde nimiùm distentæ non facilè cedunt, sed impulsui resistunt, donec vehementiori, & frequentiùs repetitâ diffringantur.

PROGNOSIS.

Vaginæ uteri ulcera spernenda non sunt, licèt exigua, & quandoque curatu difficillima, cùm in parte exquisito præditâ sensu sint, ac variis excrementis recipiendis idoneâ, unde fibrillæ omnes ab acribus particulis ita discinduntur, ut quælibet levis excoriatio magnam exigat Medici solertiam, & nisi rectè tractentur, in gravia degenerant ulcera. Hæc pars cum multis aliis consensum habet, unde varii morbi, & symptomata per consensum excitari possunt. Si hæc ulcera non fuerint magna, & fuerint recentia, faciliùs curantur, si nullum accidens conjunctum habeant. Si verò fuerint magna, antiqua, & sordida, vel luem veneream comitem habeant, difficulter curationem recipiunt. Si fuerint sinuosa, & depascentia, insanabilia judicamus. Quæ sub oculos cadunt, faciliùs curationem admittunt, quàm quæ in profundo latent.

Rhagades maximè molestæ sunt, privant namque mulieres veneris dulcedine ob dolorem, qui in coitu excitatur. Recentes faciliùs curantur, quæ verò callosa factæ sunt ulcera, utplurimùm curatu difficillimæ sunt, & præsertim eæ, quæ luem sequuntur veneream.

CURATIO.

In uteri vaginæ ulceribus exactiorem vivendi rationem ægræ præscribere necesse est, quia estò non sanet, multùm tamen intemperantia nocere, & malum pejorare potest; eligantur itaque cibi euchymi, vitentur acida, nimiùm salita, & dulcia ob occultum acidum in se continentia interdicantur, fructus horarii exulent, vinum eligatur oligoforum, & dulce, acidum angue pejus fugiatur, præ omnibus tandem sex rebus non-naturalibus dictis, imprimis venus, tanquam lethale venenum fugienda est.

Cervicis uteri ulcera curare solent vulgares illis indicationibus, quibus aliarum partium ulcera. Primò itaque opportuno medicamento acres humores, unde uteri vaginæ ulcera ortum habent, purgant, & decentem vivendi rationem, ut talium humorum genesis inhibeatur, instituunt. Si prædicti humores

à toto dependeant, universales, si à parte aliquâ, topicas celebrant evacuationes repetitas, nec non sanguinis missiones, præcipuè si menstrua defecerunt. Si intemperies adsit, juxta ejus conditionem corrigunt. Si à lue venereâ contractum sit ulcus, malignitatem expugnant veneream, deinde curationem, ut in aliis ulcerum generibus, communem instituunt.

Si dolor urgeat, illum sedant, ne molestiam ægræ inferat, ac ne ad partem affectam colluviem trahat. Dolor plerùmque à sordibus, & sanie ortum ducit, ac plerumque inflammationem habet comitem, tunc quæ sordes, & saniem abstergendi, inflammationem refrigerandi, & dolorem pacandi vim habent, medicamenta applicant. In hunc usum revocant, *lac infusum*, & *præsertim chalybeatum*, *vel ovorum albumina tria*, *vel quatuor*, *conquassata*, & *cum mucagine seminum psyllii*, *vel emulsione seminum papaveris mista*. Vel *emulsiones seminum papaveris*, & *quatuor frigidorum majorum cum sero lactis caprino*. Si dolor urgeat, *aquam hordei cum succo hyoscyami* usurpant, vel ipsum quoque *opium* aliis admiscent.

Si ulcus fuerit sordidum, illud detergunt *sero lactis*, *aquâ hordei cum melle*. Si valentiora exposcat remedia, illud *decocto agrimoniæ*, *absynthii*, *centauriæ minoris*, & *radicis aristolochiæ* abstergunt. Si valdè sordidum fuerit, in hoc decocto, vel aliis *unguentum Apostolorum*, *vel Ægyptiacum* dissolvunt. Non desunt pessaria, injectiones, insessiones, clysteres uterini, irrigationes, fumi, unguenta, nec non convenientia emplastra epigastrio applicanda, ac efficaces dijudicant thermas exsiccantes. Non solùm externa medicamenta, sed interna, ut *terebenthinam cum saccharo* deglutiendam præbent, vel *pillulas de bdellio à* ℈. j. *ad* ʒ. j. Non desunt decocta exsiccantia: nec potiones, ut

℞. *fol. artemisiæ*,
agrimoniæ,
pimpinellæ,
centinodiæ ana m. j.
radicis rhapontici ℥. j.
sem. coriand. ʒ. ÷.
viticis ʒ. j.

Coque in vini albi mensurâ, & *dulcorentur saccharo*. Bis singulis diebus ad ℥. IV. exhibe, ad longum tempus continuetur.

Vbi ulcus mundatum fuerit, illud carne implent, & tandem cicatrice medicamentis de communi ulcerum omnium claudunt.

Cervicis uteri rhagades vulgares Galenici curant, si ab humoris acris fluxu originem ducant, universales totius corporis evacuationes præmittendo, & posteà ad topica deveniunt, quæ citra mordicationem humorum acrimoniam lædunt; unde commendant *oleum lini*, & *rosarum cum ovi vitello*, *item succum plantaginis diu in mortario plumbeo cum pistillo agitatum*, *donec spissescat*: *Lac etiam cum saccharo*, *unguentum quoque* & *mucilaginibus cum plumbo usto*, & *pompholige paratum*, *vel artemisiæ succum cum cerussâ in mortario plumbeo agitatum*, *donec unguenti consistentiam nanciscatur*. Non desunt intereà *medullæ*, *axungiæ* &c. de quibus abundè diximus in labiorum rhagadibus secundum Galenistarum curationem.

Si pruritum, & dolorem comitem habeant, *unguentum ex mucilaginibus*, *seminum psyllii*, *cydoniorum*, *malvæ cum butyro insulso*, & *oleo rosaceo*, *vel unguentum pomatum*, *vel album camphoratum* usurpant. Si callosæ fuerint, *unguentum ex oleo liliorum alborum*, *medullâ cervinâ*, *terebinthinâ*, & *cerâ* parant. Si à partu

laborioso, vel coitu violento ortum cognoscant, *clystere uterino è decocto rosarum, plantag.nis, aristolochiæ, artemisiæ cum bolo armeno, sanguine draconis, & thure* utuntur, vel ex iisdem cum ovi albuin pessarium conficiunt & indunt.

Cervicis uteri ulcerum curationem aggredimur, tum internis, tum externis; interna ea sunt medicamenta, quæ particulas acidas, & salinas vel exturbant, vel diluunt, vel immutant, undè ad earum exturbationem maximoperè conducunt *pilulæ de tribus*, *vel extractum catholicum cum mercurio dulci*, *vel manna mercurii*. Item decocta ex lignis, potiones etiam vulnerariæ, ut quoque *pilulæ ex terebinthina cum mercurio dulci*. Externè verò ad ulceris mundificationem, si sordidum fuerit, convenit *decoctum ex radice gentianæ, aristolochiæ rotundæ, foliis absynthii, summitatibus sabinæ, & hyperici*. Vel fieri possunt injectiones per syringam *cum aquâ saphireâ, vel venereâ, vel ex infusione lapidis medicamentosi*, quæ ad cicatricem usque valet. Si ulcus fuerit chronicum ad thermas sulphuteas, & aluminosas confugiendum est, ea sæpè ulcera, quæ aliis medicamentis sanari non potuerunt, sanant, tum artificiales ex similibus paratæ mineralibus, optimæ sunt.

Si ex violento, & reiterato coitu, vel ab improvidæ obstetricis in partu difficili dilaceratione contractum fuerit ulcus, multùm valet *decoctum radicis symphyti majoris, summitatum hyperici, scordii, saniculæ, stellariæ, aristolochiæ cum myrrha pauca quantitate* pro uterina injectione. Vel si in conspectum veniat ulcus, præter hæc, quæ acutas absorbent particulas conveniunt, ut porosa *ex lithargyrio, cerussâ terra exanimata vitrioli, mercurio dulci, myrrhâ, tutiâ, &c.* Nec non *balsamus proprietatis, vel infusio lapidis salutis, vel vini spiritus, vel oleum myrrhæ per deliquium, vel balsamus catholicus*, multùm valebunt.

Verumenimverò ulceris vaginæ uteri curatio à luis venereæ curatione non dissidet; utplurimùm namque ipsius luis sunt symptomata, & tunc eodem modo, ut gonorrhœâ virorum curari debet, & purgantibus mercurialibus utimur sub diversis formis, ut

℞. *Rhabarb. pulverisati gr.* XII.
terebinth. opt. ℈. ij.
mercurii dulcis gr. XIV.
m. f. pillulæ.

Vel

℞. *Pulp. cass. recens extract.* ℥ij.
rhabarbari vigorati ʒ. j.
mercurii dulcis ℈. j.
cum sacch. f. bolus.

Vel sumantur *pilulæ ex terebinthinâ, & mercurio dulci*, ut de *lue venereâ diximus lib. 3. cap. 2. de gonorrhœâ.* In uterum fieri possunt injectiones per syringam, *ex vitriol. cyprii, vel lapidis salutis, vel draconis mitigati infusione, vel aquâ saphirea.*

Si chronica fuerint ulcera, non aliter ea curamus, quàm ut ipsam luem veneream, tum per purgantia mercurialia, tum sudorifera, & alia, de quibus opiparè de lue venerea diximus. Si sub oculos veniant in uteri vaginâ ulcera penicillo leviter tangantur *aquâ aluminosâ, vel mercuriali, vel spiritu mercurii albo diluto, vel spiritu mercurii dulcis.* Vel adhibere possumus suffumigium intra uteri vaginam per infundibulum admisto tantillo *cinnabaris naturalis, vel ex antimonio, vel artificialis.*

Vaginæ uteri rhagades pro causæ diversitate

versitate diversa expostulant remedia, eapropter si à coitu violento, penis crassitie, vel à partu laborioso pronatæ sint, clystere uterino utatur ægra *ex decocto artemisiæ, malvarum, aristolochiæ, rosarum, plantaginis, radicis symphyti majoris cum bolo armeno.* Si dolor, & pruritus rhagades comitentur, injectiones in uteri vaginam indantur *ex decocto quatuor anodynorum in hydroleo, in quo dissolvatur parum unguenti anodyni, vel olei papaveris per expressionem, vel olei ex seminibus hyoscyami.* Si à particulis acidis, vel salinis stagnantibus, aliunde defluxis pronascantur rhagades, ea prosunt medicamenta per os, quæ porosa sunt, & diaphoretica, in uteri vaginam verò indatur pessarium *ex sevo hircino, mucilag. sem. Saturni facch. in oleo sesamino, vel ex vitellis ovorum intinctum.* Pessarium hoc modo fit: *Accipe pannum sericum ejusdem longitudinis, cujus sunt rhagades, indantur pessarii ingredientia in crassioris digiti figuram efformata, filo alligentur, & liquori intinge*, & postmodùm in uteri cervicem immitte, in qua per tres horas maneat, his transactis, iterum intinge, & immitte. Si luem veneream sociam habent, applicari potest unguentum pomatum à nobis descriptum cum mercurio dulci, vel in ipso unguento, vel alio dissolvatur mercurius vivus tamdiu, donec nullum mercurii granulum appareat.

CAPUT XI.

De Abortu.

ABortus est immaturi fœtûs exclusio, atque adeo fœtus mortuus in utero non dicitur abortus, donec excludatur. Sive ergo fœtus vivus, sive excludatur, qui nondum maturus est, neque accretionis, quam in utero recipere debet, terminum attigit, abortus dicendus est.

Maximas autem inter, & frequentissimas gestationis læsiones certè abortus est, in quo fœminæ graviter, imo multò graviùs, quàm in ipso naturali affliguntur partu, unde addimus hanc rationem, quòd poma immatura nonnisi vi evulsa decidant. Sunt etiam ex misellis his, quæ confitentur, se malle decies parere, quàm semel abortire. Sunt verò aliæ, quæ abortiunt inter ambulandum, & non se lecto committunt, quales ego novi plures.

Certum est hominem fieri in, & ex ovo, vesiculis illis enim germen inest, ex quo corpus humanum pullulat, quum scilicèt adveniente aurâ seminali maris ad istam pullulationem germen disponitur, quæ dispositio, ovi fœcundatio, sive conceptio vocatur. Semen enim virile si in uterum, imò sæpe ad ipsum ovarium ejaculatur, aura seminalis exhalatur, & testiculos subit, pervadit, & ova ibidem hærentia penetrat, per totamque eorum substantiam diffunditur. Si autem ex omnibus ovis unum occurrat, in cujus germinis gremio liquor dispositus ad fermentandum cum aurâ seminali reperiatur, statim inchoat illa effervescentia, quæ per totam corporis producendam vitam durare debet, & tunc mulier concepisse, sive ovum fœcundatum fuisse dicitur. Ovum ita fœcundatum per ductus Fallopianos ad uteri cavitatem delabitur, & tunc simul augetur humoris copiâ, adeo ut sub formâ bullæ indesinenter incrementum

mentum patiatur. Hinc Anatomici ferè omnes primordium fœtûs bullam observarunt. Quantæ verò turbæ excitentur circa hunc actum testantur gravidarum symptomata. Primis enim conceptus diebus adsunt fastidium cibi, nausea, & vomitus inanis, pica admiranda, tormina ventris, alvi fluxus, dolor dentium, vertigo, cephalalgia, spasmus, & quandoque dolor ischii, sæpeque conceptus falsus, abortus. Mediis gestationis mensibus misellæ gravidæ affliguntur tussi, palpitatione, & lipothymiâ, lumborum, & coxendicum dolore, hæmorrhagiâ narium, uteri, &c. Vltimis mensibus ipsis accidunt urinæ suppressio, vel stranguria, alvi durities, & tarditas, abdominis fissuræ, & sæpe loco fœtûs eijciunt molam. Quorum symptomatum potiora, & frequentiùs occurrentia examinabimus.

SIGNA.

Abortûs facti signa manifesta sunt; abortus ergò contingere potest à primo conceptionis momento usque ad septimi mensis initium. Frequentiùs oboriri solet circa tertii mensis finem, sed & accidit ante, & etiam post idem tempus. Ante decimam post conceptum hebdomadam vix habentur exclusiones pro vero abortu, quia vix tunc aliquod fœtûs rudimentum apparet, vix antequam ipsius placentæ initium, unde tunc potius pro mola habetur; nisi enim fœtus appareat in placentæ corpusculo, negatur verus conceptus, nec proinde tunc conceditur abortus.

Signa verò abortûs imminentis sunt varia, sæpè incerta, quia fœminis inexpectato, & ex improviso accidit. Probabiliter verò præcedentia, & illum futurum demonstrantia hæc sunt: Lumborum, coxarumque gravitas insolita, & ad motum segnities, appetentia dejecta, rigor, aut horror per vices recurrunt, capitis dolor, præsertim circa oculorum radices; laterum, ventrisque superioris constrictio; mammarum detumescentia, & extenuatio, unde *ex Hipp. aph.* 37. *Sect.* 5. *Si mulieri utero gerenti mammæ subitò extenuentur, abortus sequitur.* Significat enim mammarum illa extenuatio, sanguinis defectum in venis, utero, & mammis communibus, ob quem fœtus periclitatur. Si verò à causâ aliquâ externâ abortus concitetur, unde sequetur violenta fœtûs agitatio, & vasorum disruptio cum dolore illarum partium, spiritus, & sanguis ad partes genitales ruunt, quibus mammæ destitutæ, extenuantur. Præterea lac copiosum è mammis effluens partum imbecillum, & hinc metum abortûs indicat, *ex Hipp. aph.* 53. *sect.* 5. *Mulieri utero gerenti, si lac multum è mammis effluat, fœtum imbecillem significat, si verò mammæ solidæ fuerunt, fœtum significant saniorem.* Si verò dolores frequentes, & fere continui, renes & lumbos excrucient, qui versus pubem, & os sacrum exporrigantur, cum quodam ex utero egerendi conatu, certum est imminentis abortûs indicium. Dolores enim illi membranas, & ligamenta, quibus fœtus utero alligatur, tendi, ac divelli significant. Quòd si dolores illos, & conatus, sanguis purus, vel serosus, vel aqua ex utero profluens, subsequatur, abortum instare, & disrupta vasa, ac membranas, atque os uteri apertum esse significat. Eodem tempore situs fœtus mutatur, & qui anteà sublimis, & fastigiatus, ventris

medium occupabat, jam conglobatus versus pudenda provolvitur: tum etiam non rarò gravia symptomata consequuntur, ut rigores, tremores, cordis palpitationes, animi deliquia, hæmorrhagiæ copiosæ.

His addere licet, quod docuit Hipp. 2. epid. 71. quod si à causis externis violentioribus, putà ictu, vel casu, & similibus, vehemens dolor, & perturbatio in gravida excitetur: statim vel saltem eadem die sequitur abortus; si verò minor fuerit vis causæ externæ, ad tertium diem abortum differri posse, quo cessat abortûs periculum, quia vulnera hujusmodi tertio, ad summum quarto recrudescere solent, vel admodum mitigari, unde fœtus denuò in utero confirmatur, & retinetur. Quod præceptum maximè est in praxi momenti, ut prægnantes mulieres post violentum causæ alicujus externæ insultum, in lecto per triduum, aut ampliùs quiescant, & remedia abortum prohibentia usurpent.

CAUSÆ.

Abortûs causas ad mentem Galenistarum, vel oritur à nimiâ sanguinis abundantiâ, majore tunc ejus ad uterum affluxu; item à defectu sanguinis in matre ad nutriendum fœtum, aliisque causis remotis.

Nos abortûs causas tam in matre, quàm in fœtu quærendas esse censemus, quatenus illa à rebus non naturalibus & præternaturalibus vario modo agentibus miserè affligitur. In fœtu verò quatenus in vel per se, vel per accidens mutationem patitur insignem, & ex pravâ, & præternaturali dispositione exitum affectat. Sic & causa proxima rimanda est aliquando in utero, quatenus is undecunque vel à plethorâ, aliis rebus inconvenientibus, spirituum animalium nimio influxu, Reginæ molestitione irritatur, & interdum spasmodicè convellitur ad inconvenientem exclusionem; prout enim ventriculus in vomitu, sic etiam uterus in abortu ad excludendum fœtum offici solet.

Morbus quoque aliquis gravior ipsius fœtûs undecunque ortus abortum producere potest, quatenùs scilicet inde fœtus facili marte à matre vegeta excluditur. Sic & sæpe accidit quando abdomen matris non ritè constitutum sit, vel tensum, vel durum, commodamque distentionem non ferens, indeque fœtus ad sui exclusionem cogitur, hisce accidit uteri conformatio vitiosa, si vel substantia, carnosa nimis crassa, vel callosa, vel nimis parva sit capacitas uteri, ut sufficienter distendi nequeat, vel nimia laxitas utero insit, quæ omnia abortum hunc ciere possunt. Sic etiam si Ianitor uteri non mitis est, sed semper indignabundus, unde non potest non fieri, quin semper abortiat.

Causæ hujus abortûs etiam esse possunt, quando mater, vel ob prægressum, vel præsentem morbum, febrem putà, hydropem, scirrhum uteri, erysipelas, inflammationem, abscessum, & cancrum, non parvam sentit virium deperditionem, unde fœtum per consensum mirè, & perperam affici posse nullus dubitat.

Sternutatio, tussis, vomitus, vociferatio, frequentes, simulque vehementes abortus metum inferunt, quatenus vires tam matris, quàm fœtûs iis absu-

muntur,

muntur, & abdominis musculi uterum quasi movendo nimis, & concutiendo premunt, & sæpissimè ad fœtus exclusionem, etiamnum immaturi, cogunt. Sic & mola tam utero, quàm placentæ firmiùs adhærens, grave tanquam pondus deorsum premit, & nonnunquam verum fœtum expellit.

Ad procatarcticas, matrem valde urgentes, & per consequens ipsum tenellum adhuc fœtum angentes, abortûs referimus causas res non-naturales Medicis dictas, ubi

Aër frigidior, post calidum præcipuè, qui in uterum admissus, & ipsum uterum lædere, & irritare, ac ipsi fœtui nocere potest; sic ab ignis, balnei, stupharum constitutione abortus: uterus inde ad fœtûs concepti excretionem stimulatur. De quo *Hipp. aph.* 12. *sect.* 3. *si verò hyems australis, & pluviosa, & serena fuerit, ver autem siccum, & aquilonium: mulieres, quibus partus in ver incidit, ex quacunque occasione abortiunt, &c.*

Cibus si copiosus sit, fœtum suffocare potest, si exiguus, & fœtui alimentum subtrahitur, & mater debilitatur; Si parvus, ac mali succi, pravum nutrimentum fœtui suggerit, ob quod is debilitatur, vel etiam moritur, cibi quoque aperientes, & medicamentosi, & uterum, stimulare possunt.

Potus maximè culpandus, vinum generosum, & inebrians vitetur, ut *Angelus lib. Iudic. cap.* 13. *Cave ergo ne bibas vinum, ac siceram, nec immundum quicquam comedas.* In specie verò à vini spiritu copiosè assumpto abstineant fœminæ, multa enim tristia exempla docent hinc factum fuisse abortum.

Motus corporis quicunque nimius, & violentus fœtum excutere potest, ut saltus, quo modo Psiltria apud Hippocratem conceptum excussit, gestatio, aut elevatio gravis ponderis, lapsus, cursus, in equo, aut curru succutiente vectio, percussio ventris, ac dorsi, abdominis compressio, tussis magna, vomitus, sternutatio, convulsiones. Sic etiam à qualicumque sanguinis excessu abortus produci potest, dum is scilicet plus, quàm par est, ad ventrem fluit, fœtum premit & fibrillas irritat, ut postea simul cum sanguine tenellus prodire fœtus cogatur. Insignis qualiumcumque partium hæmorragia, nimius qualiscunque menstruorum fluxus, alvi fluxus vehemens, & dysenteria, hunc ciere abortum potis sunt.

Vigiliæ nimiæ spiritus exhauriunt. Somnus nimius calorem hebetat. Sed istæ causæ raro tantam vim habent, ut abortum excitare possunt.

Evacuatio nimia per alvum, vomitum, quò & purgationes pertinent, abortum excitant, cùm quòd alimentum fœtui subtrahunt, tum quòd in universo corpore humores, & spiritus exagitant, qui motus facilè ad uterum, & fœtum etiam pervenire potest, tum quòd in purgantibus fortioribus maligna qualitas, & uterum offendit, idque præcipuè fit ante quartum mensem, & post septimum. Sanguis verò per uteri venas, & hæmorrhoides effluxus nimis fœtui alimentum subtrahit, præcipuè si is grandior sit, contrà nimia repletio, & sanguinis abundantia fœtum interdum suffocat & abortum excitat. Dum enim major sanguinis copia ad uterum confluit, quàm à fœtu absumi possit,

circa

circa uteri venas cumulatur, naturamque gravat, unde vel mensium fluxus excitatur, qui ut fœtus simul excludatur, occasionem præbet, vel si retineatur, calorem, & fœtum copiâ suffocat.

Animi pathemata idem præstant, repentina hominum dimicatio, mortuorum, & laniatorum inspectio, latronum incursus, fulgur, tonitrua, ignis accensus in ædibus propriis, aut vicinis, bombardarum, & nolarum sonitus; constitutio australis, inconstans, & parùm clemens: aër fœtidus cloacarum; teter etiam odor lucernarum, aut funalium extinctorum. Culpanda venit hìc omnis compressio, & constrictio abdominis, vel thoracis. Hinc malè consulunt suæ sanitati delicatulæ fœmellæ, quæ nescio qualem corporum gracilitatem, & rectitudinem quærunt, dum lumbos formant ad os usque coxendicis, & quod adhuc magis reprehensione dignum, pectora laminis ferreis, orichalceis, item ligneis sæpe suffulta gerunt, quæ ad majorem venustatem ad usque pudenda gestare non verentur, quibus corpus ita constringunt, ut vix respirare potis sint. Hinc plures à solâ vestium arctâ constrictione abortus patiuntur. Hiscecertè constrictionibus vasa redduntur adeò angustiora, ut circulatio sanguinis impediatur aliquo modo, & sic sæpe obstructiones, tumores, lancinationes, abscessus, ulcera, phtisis, respiratio difficilis, & plurima mala exoriri possint. Itaque gravidæ ab ejusmodi vestimentorum genere, quàm maximè abhorreant, induentes è contra vestes magis accomodatas, & sibi, & fœtui minùs noxias.

Veneris usus immoderatus, qui vel musculos abdominis comprimendo, vel ligamenta, quibus fœtus utero innectitur, rumpendo, uterum agitando, vel vasa umbilicalia rumpendo; vel uterum, & fœtum agitando, abortus causa esse potest.

PROGNOSIS.

In abortu semper mulieres magis periclitantur, quàm in partu naturali, quia violentior est, quàm naturalis partus, & tempore alieno fit. Vt enim in fructibus maturis pediculi ab arbore laxantur, & fructus sponte decidunt: ita & in partu naturali vasa, & ligamenta, quibus fœtus utero cohæret, sponte laxantur, & solvuntur, quæ in abortu abrumpi necesse est. Aliquando tamen evadunt, sed multis symptomatibus infestantur, & steriles posteà redduntur. Interdum enim ex disruptione vasorum violentâ, hæmorrhagiæ nimiæ excitantur, quas syncope, deliria, convulsiones, & tandem ipsa mors sequuntur, & raro servantur, quibus in abortu, vel post abortum convulsiones accidunt. Hinc testatur *Aretæus* se nullas vidisse servatas ex iis, quibus in abortu, aut post abortum convulsiones supervenerunt. Abortus in primiparâ periculosior est, quàm in assuetâ. Mulieres admodum teneræ constitutionis magis periclitantur, quàm obesæ, febres, palpitationes cordis, cardialgia, aliaque sympptomata pejora abortum reddunt periculosiorem. Minùs tamen læduntur, quæ aliàs sanæ sunt, & quæ infantes jam

jam pepererunt, ut via jam patentior sit, & partui assueta, & quæ uterum habent humidiorem, & laxiorem. Magis quoque periclitantur in abortu fœminæ nimis graciles, propter infirmitatem; ut & nimis crassæ, propter angustiam, & adstrictionem. Periculosior est abortus sexto, septimo, & octavo mense; quia infans jam grandior, in exitu majores labores, & vasorum, ac ligamentorum ruptionem affert. Inflammatio uteri ex abortu contracta, utplurimùm lethalis. Sanguis in uterum magnâ copiâ affluens, non expurgatur, sed in eo putrescit, & ad superiora regurgitat, unde febres æstuosæ, palpitationes cordis, cardialgiæ, reliqua symptomata supra enumerata. In abortu paucorum mensium fœmina abortum passa semiimprægnata est.

CURATIO.

In omni morbo, & præcipuè in abortu convenit cura diætetica, quæ utplurimùm consistit in sex rebus nonnaturalibus ritè adhibendis.

Aër in abortu sit temperatus, & absque fervore, si tamen adsit, emendandus est, tum frigidis pavimento inspersis, tum odoribus gratis, aliisque naribus admissis odoramentis nocet omnis odor ingratus.

Cibus detur paucus, coctu facilis, sit panis triticeus succo berberum, vel vino granatorum, cydoniorum, &c. imbutus, vitentur cibi conditi, salsi, acres, ex nimio enim sinapis usu abortum hunc observavi. Vitentur acida nimis humida aromatica. Juscula dentur temperata acidulis.

Potus omnem effugiat inebriationem, vel cum vino, vel cùm ejus spiritu.

Somnus, & *quies* conducunt.

Animus sit pacatus, & tranquillus. Cane, & angue pejus vitentur ira, & terror. Reliqua superiùs inter causas recensuimus.

Galenici, præsente plethorâ, cùm abortus imminet venæ sectionem instituunt, & ubi insignis cacochymia adest, purgationes blandas iterandas esse jubent, mediis præsertim mensibus gestationis, & interim toto gestationis decursu adstringentia, & roborantia varia, quæ scilicet abortum prohibere possunt, in usum revocant, quorum in fluxu mensium immodico plura descripta sunt, quæ repetere non libet, extra graviditatem omnes pravas corporis dispositiones, quæ abortum producere solent, removendas esse ajunt, ut sunt plethora, cacochymia, & peculiares uteri morbi v. g. intemperies, inflammatio, ulcera &c.

Sic & varia externa, unguenta, linimenta, emplastra, cataplasmata, fotus, conveniunt.

Ut fœmina, quæ nondum est gravida, ab abortu, si concipiat præservetur, totius corporis ejus constitutio diligenter perpendenda est, & si plethora, cacochymia, vel morbus aliquis insignis in toto, & præcipuè in utero adsit, is debito modo amovendus. Et imprimis si abortus accidat ob nimiam sanguinis copiam, sanguinem ante conceptionem sectâ, in cubito venâ imminuere utile est; Imò si, & post conceptionem eo abundet, metuendumque sit, ne ob copiam sanguinis abortiat gravida, quarto, vel quinto mense vena in brachio aperienda, sanguisque imminuendus.

Si verò ob cacochymiam, & quod frequenter accidit, ob pituitosos, & frigidos humores, quibus uteri vasa, & ac-

ceptabula plena sunt, abortus fiat, totum corpus convenienter evacuandum: hinc uterus per pessos purgandus, tandemque calefaciendus, exsiccandus, & roborandus.

Et inprimis eæ, quæ sæpius abortum passæ sunt, cùm facile conjicere possint, quâ de causâ abortiant, rectissimè facerent, si illam tolli curarent, antequam iterùm conciperent. Si id tamen neglectum sit, id etiam, dùm gravidæ sunt, præstandum, & ante illud tempus, quo antè abortire solitæ sunt, vel venæ sectio instituenda; vel si cacochymia insignis adsit, ea leni, sed frequenti purgatione, & per epicrasim tollenda: atque iis, quibus humida adest corporis intemperies cum pituita, uterum laxans, decoctum chinæ, & salsæparillæ exhibere utile est, additis iis, quæ fœtum roborant.

Et propterea gravidæ, quæ abortui obnoxiæ sunt, in aëre temperato versentur, vitent æstum, & frigus, odores graves, inprimis candelarum extinctarum. Utantur cibis temperatis, boni succi, facilis coctionis; ab aliis verò medicamentosis abstineant. Vinum bibant non potens, aut cerevisiam puram. Motus corporis, & animi valentiores vitent. Non frequenter cum marito coëant. Ne alvus constipetur, & dura fiat, caveant, fœtus ipse si sit debilis, & causæ omnes, quæ eum debilitare possunt, removendæ, isque roborandus. Alterantia quoque usurpanda, quæ vi adstringendi, & roborandi ligamenta, quibus fœtus utero annectitur, prædita sint, quæque uterum firmant, & fœtui peculiari proprietate vires & robur addunt. In quem finem conducunt blandiora balsamica, aromatica, & spirituosa, simulque blandè adstringentia, ut sunt *tinctura corralliorum*, *terra Iapon. liquor stypticus balsamicus*, *tinctura antiphthisica*, *magisterium coralliorum*, *eboris*, *specificum cephalicum*, *nox moschata*, *radix bistortæ*, *lapides cancrorum*, *caryophyllata*, *macis*, *cinnamomum*, *aqua epileptica*, *vita mulierum*, *cordial. Herculis saxonia*, *tinctura cinnamomi*, & plurima alia.

Si ergò abortus sit metuendus ex terrore, conducet mistura sequens sæpiùs cochleatim exhibenda, ut

℞. *Magister. coralliorum* ʒ.j.
margarit. præparati ʒ.÷.
rasuræ eboris ʒ.j.
mastich. ʒ.÷.
granor. chermes ʒ.j.
manus Christi perlatæ ʒ.ij.
m. f. pulvis.

Vel

℞. *Aquæ epileptic. langii,*
aquæ vitæ mulierum ana ℥j.÷.
magister. coralliorum,
specifici cephalici,
smaragdi præparati ana ℈.÷.
syr. de cinnamomo ʒ.vj.
misce, detur.

Si à lipothymia abortus metuatur, sequens conducet,

℞. *Aquæ cinnamomi boraginat.*
cordialis cordat. c.
cordial. Hercul. Saxoniæ ana ℥j.÷.
tinctura coralliorum ʒ.÷.
syr. granator. ʒ.vj.
m. detur cochleatim.

Si est ab irâ, tunc conveniunt antispasmodica, & anti-epileptica, quia ita est levis epilepsia, sic & bezoardica hoc in casu magni sunt usus. ex. gr.

℞. *Aquæ cerasor. nigr.*
flor. tiliæ,
epilepticæ Lang. ana ℥j.

syr.

syr. corall.
paeoniæ ana ℥.vj.
tinct. corall. ʒj÷.
m. detur.

Item detur magisterium eboris, & ungula alcis.

In abortu, ubi simul adest sanguinis ex utero profluvium sequens conducet:

℞. *Mastich.*
terræ sigillatæ
turbit albi ana ℈.j.
sanguinis draconis,
boli armeni ana ʒ÷.
m. f. pulvis,
Dosis ʒj.

Si est à fluxu nimio, tunc conveniunt magis adstringentia, & stomachica, & quandoque opiata, item cydoniata, laudanum cydoniatum, pellicula ex ventriculo gallinarum.

In genere contra abortum prosunt pulvis contra abortum Augustan. & magisterium coralliorum cum succo citri, aliaque modicè adstringentia.

Si fœmina semper abortiat sequens detur:

℞. *Aquæ embryon.* ℥.ij.
nucis mosch. ʒ.÷.
sacch. rosar. vel
perlati q. s. ad gratiam.

Externè vero cataplasmata adhiberi possunt ex micâ panis albi, vel pastâ mellitâ cum vino malvatico calidè abdomini imponenda, superspersо pulvere caryophyllorum, & nucis moschatæ, cinnamomi, herbisque menthæ, majoranæ, florum rosarum albarum, balaustiorum, & similibus aliis. Vel unguenta, & linimenta adstringentia additis oleis aromaticis. ex. gr.

℞. *Unguenti Comitissæ* ℥j÷.
olei mastich. ʒ.iij.
nucis mosch. destill. gr. vj. *m.*

Graviora symptomata, ut dolores, tormina, aliaque mitiganda sunt enematis, electuariis, opiatis, & caveatur, ne quis in diætâ error committatur, qui abortum promovere possit.

Daniel Sennertus instante abortu, gravida, ut brachio alliget, & sub alis gestet lapidem aquilæ præcipit.

CAPUT. XII.

De Mola.

Inter errores, qui in formatione fœtus contingunt, est is, cùm pro vero fœtu quiddam informe, id est, à corporis humani formâ alienum, generatur, quod Latini Molam appellant, procul dubio à pondere, quod instar molaris lapidis fœminis grave, & molestum est.

Est autem magna molarum differentia. Nunc enim est tantum caro informis sine ossibus, nihil certi referens, venis tantùm referta, & cute, vel membrana obducta; imò interdûm etiam præter membranam exteriorem, nihil quo intertexatur, habet, sed saltem parenchymata viscerum refert. Alias membranosa, & fibrosa magis est, & quidem interdùm ita viscida, & tenax, ut ferro cedat. Nonnunquam formam alicujus refert, habetque interdum formam oblongam, interdum orbicularem, interdum rhomboidem. Aliquandò brutorum animalium figuram molæ referunt, aliquandò etiam membri alicujus humani figuram.

Et quidem molæ quædam vitâ omni destitui videntur, & tantùm instar concreti sanguinis sunt, aut placentæ uterinæ dictæ similes, cui vasa umbilicalia inseruntur: quædam saltem vegetantur, & nutriuntur: interdùm verò & sensum aliquem, ac motum obscurum habent, instar Zoophytorum. Et ta-

les varias figuras habent, interdum veficæ inftar ex amplo ventre in anguftum verticem mola furgit, roftro fuillo, vel alterius animalis fimilis. Interdum polypi modo in plures ramos, & roftra plura, vel brachia dividuntur. Aliquando motum habent. Nonnunquam etiam una,nunc plures molæ excluduntur.

Præterea nunc ab utero excluduntur folæ, fine fœtu,nunc ante fœtum, nunc cum fœtu, nunc poft fœtum, & quidem nunc breviore tempore, nunc poft aliquot dies. Sæpe etiam aliquot menfibus in utero hærent. Imò interdum longo tempore cum fœminis confenefcunt. Molam annorum quinque fe vidiffe *Savanorola tract. 6.cap.21. rub.27.* refert.

Diftinguitur verò à verâ conceptione, quod in molâ ex mammis intumefcentibus nullum lac exprimi queat, quemadmodum contingit in utero conceptu; In molâ etiam nullus motus blandus eft, uti ab infante percipitur, fed ut lapis gravis ex uno latere in aliud cum moleftiâ delabitur. Ab hydrope diftinguitur duritie, & in molâ quidem venter intumefcit; fed pedes, & manus gracilefcunt. Præterea molæ id proprium eft,quod per manus compreffionem pondus ex uno latere in aliud protrudi poffit, quod in fœtu geftato minimè accidere folet; Dein in geftatione molæ gravida vehementem commotionem in ventre ante tertium menfem percipit, in fœtus verò geftatione ante quartum menfem nunquam, vel rariffimè.

SIGNA.

Molam cognofcere non facilè eft, cùm & verum fœtum, & hydropem, aliosque uteri tumores, & obftructiones à fuppreffione menfium æmulari poffit, imò interdum cum ipfis conjungatur. Præcipuè verò ante quartum menfem nulla cognitio certa de iftis eft, & vix à vero fœtu difcerni poffunt,cùm utrobique eadem ferè appareant fymptomata, menfes retineantur, cibi faftidium, & naufea foboriatur, colorque faciei mutetur. Temporis autem progreffu faciliùs cognofcitur, & quatuor fignis. Primum eft motus; poftquam enim fœtus jam moveri incipit à molâ difcerni poteft.Nam quanquàm etiam à molâ, & flatibus motus quidam excitari poffit: tamen fœminæ facilè fœtus motum à flatibus difcernere valent. Præterea fi fœmina de latere in latus convertitur, mola in latus,in quod decumbit, inftar lapidis volvitur, cum infigni ponderis fenfu,quod longè majus fentiunt, quàm dum fœtum vivum utero gerunt. Aut fi quem motum habet mola, is tremulus faltem, & palpitans eft conftrictionis faltem, & dilatationis, non verò in omnem fitûs differentiam, quod in vero fœtu accidit. Si tempus quo moveri folet infans,præterierit, & nullus motus in utero percipiatur, interim verò venter intumefcat, nec tamen hydropis adfint indicia,molæ latentis id fignum eft.

Secundò, fœtus verus à molâ,ventris figurâ, & mole difcernitur. Ubi enim fœtus verus in utero eft,venter, præcipuè verfus umbilicum, attollitur, & acuminatur, & verfus latera molliter utrinque coarctatur. In molâ verò venter in omnem dimenfionem æqualiter attollitur, & quidem globus quafi, feu maffa in uteri & lumborum regione pofita tactu percipitur.

Tertiò, in gravidis lac verum circa quartum menfem generari incipit,quod na-

natura de fœtûs nutritione sollicita generare maturè inchoat; In molâ verò mammæ equidem etiam intumescunt, sed verum lac equidem etiam in iis non generatur, sed quædam cruda materia, quæ progressu temporis tandem evanescit.

Quartò, graviora, quæ molas, quàm quæ verum fœtum in uterum gestant, habent symptomata. Vires enim magis prosternuntur, & languent, respiratio est difficilis, doloresque dorsi, & inguinum frequenter mulieres molestant.

Si tandem post decimum mensem & præterlapso tempore partûs legitimo, venter adhuc sit tumidus, nec hydropis signa adsint, de molâ non levis suspicio est. Soletque ea sese posteà magis prodere; cùm interdum non solùm mensibus, sed annis in utero hæreant molæ.

Omninò verè difficulter cognoscitur mola, si cum fœtu vivo conjuncta: ni forsan ex mole ventris majore, & gravitatis pondere, ac symptomatibus gravioribus; ut & si hydrops, vel alii tumores conjungantur, ea etiam difficillimè cognoscitur.

CAUSÆ.

Molæ causa materialis Galenicis est semen utriusq; parentis vitiosum, in concubitu in uterum illapsum, & ab uteri aviditate retentum, à caloreque uteri induratum, in quam materiam sanguinem influere dicunt per cotyledones, eoque nutriri, & augescere fœtum.

Nos verò molæ causam dicimus esse seminis virilis, vel etiam solius sanguinis, acrisque liquoris in utero coagulationem ab acido utplurimùm factam, inductamque. Generatur autem faciliùs mola, imò vario modo generatur, si sanguis non solùm copiosus sit, sed & impurus, & ad fœtus nutritionem ineptus, quem natura menstruo tempore, ut inutilem excretura erat. Hinc adeo accidit, ut mola plerumque generetur, si fœmina cum viro concubat, imminentibus jam, vel fluentibus, & nondum planè cessantibus menstruis. Interdum & in iis, quæ diu menstrua suppressa habuerunt.

PROGNOSIS.

Mola semper periculosus affectus est: quia insigniter uterum, & totum corpus lædit. Retinentur enim menses, & cùm toti in augumentum molæ non absumantur, magna humorum colluvies in utero, & circa eum cumulatur, quæ utero, & toti corpori plurimum damni infert. Si in plures partes mola divisa est, minùs periculi affert, cùm plerùmque tertio, aut quarto mense, dum adhuc mollior est, ejici soleat. Ubi verò unica, & solidior massa est, plerùmque in vitæ periculum fœminas conjicit; cùm vel non, vel non sine insigni difficultate excludatur, & ob partium uteri dilacerationem insignes hæmorrhagiæ sequantur, quæ cum sisti nequeant, fœminis interitum afferunt. Si fœtui jungatur mola, vel enecat, vel insigniter lædit. Si molæ hydrops conjungatur, ferè lethale est; cùm duos gravissimos morbos fœmina vix superare possit. Si molæ solæ sint, sæpe non solùm pluribus mensibus, sed & pluribus annis in utero hærent, quibusdam consenescunt; semper tamen in causâ sunt, ut mulier citiùs, quàm, si absque molâ fuisset, intereat. Et quò diutius hæret in utero, eò difficilius tollitur, & sæpè tolli non potest, Quin & consenescunt fœminæ,

& commoriuntur. Et quidèm interdùm fœminæ ex molis, quas longo tempore gestant, nullum incommodum, & periculum, præter molestiam ex molâ, & pondere percipiunt. Nullum animal, exceptâ muliere, molam concipit, aut gerit teste *Aristotele*.

CURATIO.

Sex res non-naturales, diæta dicta, tam necessariæ sunt, ut cuique mulieri molâ laboranti, sint opportunæ, nec sine illis quid bonum moliendum putamus; igitur aliquid dicemus breviter. Aër sit calidus. Vires conserventur alimentis facilis, & boni succi, & nutrimenti multi, ovis nimirùm, jusculis, & carnibus pullorum, gallinarum, caponum, & perdicum. Vino margaritis, conservis rosarum, violarum, boraginis, spec. elect. de gemmis, de hyacintho. Motus magis quàm quies convenit. Somnus non par est, quàm quies. Animi passiones lenitivo procedant, & Venus fugienda est tanquam lethale venenum.

Tutissimum verò fuerit, præcavere, ne fœmina molas concipiat, id quod eo præstabit, si non coëat mensibus instantibus, aut fluentibus, & corpore impuro, & non purgato, ut & utero intemperato, aut obstructo. Si enim molarum generatio præcaveri debet, hæc vitia omnia priùs removenda sunt, antequàm fœmina coëat. Nec coitus nimis frequens esse debet. Si enim coitus sit frequentior; præsertim in corporibus non robustis, & vegetis, semen debile generatur, quod ad molas generandas aptum est.

Si verò molam in utero genitam esse, cognitum satis sit, danda opera, ut quamprimùm antequam radices firmiores in utero agat, tollatur: Id quod fiet, si purgantia, aperientia, & expultricem irritantia assumantur, tùm etiam extra adhibeantur vasa uteri, & ligamenta emollientia, & detergentia, & omninò ea ferè medicamenta, quæ in mensibus suppressis, & partu difficili, ac fœtu mortuo usurpari solent.

Ergò, si mulier sit plethorica, venæsectio largior institui potest. Ut enim alias ob largiorem sanguinis missionem gravidæ abortire solent: ità etiam si sanguis ad nutriendam molam subtrahatur, natura ad eam expellendam faciliùs sese accingit. Si verò minus sit plethorica, sanguinis evacuatio parcior esse potest. Utrobique tamen commodissimè in talo, aut poplite aperitur, cum venæ istæ mensibus provocandis, & utero purgando sint aptissimæ. Si tamen sit magna sanguinis copia, venæsectio repeti, & sanguis largiùs detrahi potest; si minor ejus copia, parciùs.

Post venæsectionem purgantia exhibenda, & quidem validiora, eaque si opus sit, repetenda. Cùm enim purgantia medicamenta magnam fœtum dejiciendi vim habeant, in molâ quoque exturbanda plurimùm valent: id quod confirmat illud Aristotelis, qui 4. de gen. amal. cap. 7. scribit, mulierem molam tribus, vel quatuor annis gestasse, & tandem dysenteriâ superveniente molam ejecisse.

Purgato corpore, primo emollientia & laxantia adhibeantur, ut

℞. *Rad. althææ*,
lilior. albor. ℥ß.
fol. althææ,

mer-

mercurialis,
parietariæ,
brancæ ursinæ ana m. j.
flor. chamomeli,
meliloti ana m. ÷.
semin. lini,
fænugræci ana ʒ.vj.
coquantur in jusculo carnis, *tum col.*
℞. *lib. j. adde*
butyri recent.
ol. amygdalar. dulc.
lilior. albor. ℥ *j.*
fiat clyster.

qui aliquoties repetatur.

Ex iisdem plantis fiant balnea, fomenta, ut & linimenta, atque unguenta ex oleo lilior. albor. amygdalar. dulc. butyro sine sale, pinguedine caponis, anseris, ut viæ, & vincula, quibus mola utero adhæret, laxentur.

Hinc exhibenda etiam interna medicamenta menses moventia, dictamnus creticus, aristolochia, bryonia, & similia.

Extrà quoque hujus medicamenta usurpanda, ut clyster talis fiat:

℞. *Rad. bryoniæ*,
aristolochiæ rot.
longæ ana ℥.÷.
asari ʒ *ij.*
fol. rutæ,
sabinæ,
artemisiæ,
dictamni,
pulegii,
matricariæ ana m. j.
flor. sambuci,
chamæmel. ana m. ÷.
semin. fœnugræci,
lini ana ℥ ÷.
coque in aq. suff. colatura.
℞. *lib. j.*
elect. hieræ picræ ℥ *j.*
trochis. alhandal ℈ *j.*
olei rutacei,
cheirini ana ℥ *j.* ÷.
fiat clyster.

Ex magmate verò, à quo clyster paratus est, cataplasma fiat, quod ventri imponatur.

Pessus verò talis fiat:

℞. *Trochis. de myrrha*,
galbani,
opopanacis in vino dissolv. ana ʒ *ij.*
radicis cyclaminis ʒ *j.*
hellebori albi ʒ. ÷.
cum succo rutæ
fiat pessus.

Si verò talia omnia frustra tententur, & usurpentur ad chirurgiam deveniendum, quæ primò solâ manu perfici potest, vide hanc operationem apud Guilhel. Fabritium, deindè instrumentis ferreis, si manu res perfici nequit, peragenda est.

Cùm verò post molam ejectam plerúmque insignes hæmorrhagiæ, & dolores sequi, viresque dejici soleant, hæmorrhagiæ nimiæ succurritur partium frictione, & ligatione, fotu manuum, linteis vino calido immersis, & aliis, quæ de fluxu mensium nimio enumerata sunt.

Ut

℞. *fol. plantag.*
bursæ pastoris,
rubi,
quercus,
flor. ros. rubr. ana m. j.
coque in aq. chalybeata.

Posteà

℞. *farinæ hordei volatilis* ℥ *j.*
pulv. balaust.
nucum cupressi,
cortic. granator.

rof. rubr.
consolidæ major. ana ℥.j.
ranarum combustar.
boli armeni sang. dracon. ℥.ß.

Cum decocto antea parato, & modico aceti. f. cataplasma, quod uteri regioni imponatur.

CAPUT XIII.

De fœtu mortuo.

IN partu difficili ob magnos, & diuturnos labores sæpè fœtus extinguitur: interdum etiam ante labores partus ex causis præternaturalibus, quales sunt eæ, quæ abortum provocare consueverunt, eum quemori contingit; si nondum determinatum pariendi tempus attigerit, abortum facit; si verò ad illud tempus pervenerit, facit partū difficilem, quia ad legitimum, & naturalem partum fœtus cum matre cooperari debet, ut è carcere suo egrediatur.

SIGNA.

Cognosces fœtum in utero mortuum esse, si admotâ manu, ampliùs moveri non percipitur, sed decumbente fœmina in latus, in id devolvitur etiam infans, veluti immobile quoddam saxum; sed & mortuus jam ponderosior est matri, quia facultatibus, quibus anteà regebatur, non sustinetur, & spiritus, quibus orbatur, addunt corpori levitatem; adhæc mortuo fœtu extenuantur mammæ, dextera quidem si mas, sinistra si fœmina; dolores fiunt circa umbilicum, ac lumbos, quia vivæ partes mortuum fœtum, ut sibi maximè dissimilem aversantur, quò fit, ut inferiores partes comprimantur, & stranguria, ac tenesmus accidat; tactu frigida genitalia sentiuntur, & extinctum fœtum calorem, quo anteà duplicabatur: fœtida, aquosa, deinde etiam subrubea quædam ab utero manant, ipsius etiam fœminæ oculi concidunt, palpebræ inflantur, ipsa languet, segnis fit, ac mollescit, color ejus in fuscum mutatur, visûs adest tenebrositas, anorexia; aures, labia nariumque extremitates pallent, ac frigent, facies rubet, & tumescit; crebris animi deliquiis, convulsionibus, & horripilationibus corripitur, sitis vexat, turbulenta insomnia, dentium fremitus; quæ omnia ex elatis sursùm ad cor, & cerebrum à cadavere vaporibus fiunt, & sub secundum, aut tertium à mortuo fœtu diem contingunt. Verùm si fœminæ anhelitus fœteat, indicium est, jam quoque cœpisse putrefieri, tandemque omnia accidunt, quæ ex relictis secundinis. Periculum valdè multum est, præsertim, si octavo mense contingat, ideo diligenter curandum, ut quàm ocyssimè mortuus fœtus expellatur. Quod si ante exclusum fœtum secundina excluditur, mortuus in utero fœtus est, qui cùm fœtus in utero non nisi per umbilicalem arteriam spiret, & per venam umbilicalem nutriatur, eadem causa nullus spiritus, nullumvè nutrimentum ad ipsum commeare potest; Porrò, quæ lethargico sopore premuntur, resolutæ sunt, ac difficulter revocari possunt, lethaliter afficiuntur, & quæ ad maximas exclamationes revocatæ, debiliter respondentes, rursus in soporem deferuntur, quævè per convulsiones contrahuntur, aut nervis tremulæ fiunt, & quibus pulsus oppidò tumidus, verùm obscurus, ac debilis deprehenditur, & languidæ sunt, ac membra ægrè attollunt, quæ autem nil tale patiuntur, servari posse, expulso fœtu, spes est.

CAU-

CAUSÆ.

In partu difficili ob magnos labores ſæpe fœtus extinguitur; ac protinus cognoſcere expedit, ne corrupto, matri quoque immedicabile accidat damnum, quamquam ſint qui ſcribant ad vigeſimum jam annum geſtatum vidiſſe. Moritur in utero ob alimenti defectum, vel ob malitiam, vel quia plethoriâ ſuffocatur, aut ſolutis acetabulis alimento defraudatur, ſolvuntur ictu, ſaltu, tuſſi, ſternutamento, animi pathematibus, vel laxatur nimio mucore; corrumpitur etiam fœtus exhibito medicamento, quod menſes provocet, aut ex potu amarorum, vel ex morbo acuto, æſtuoſo, & magno, ac demum ex partûs difficultate. Imprimis verò fœtus extingui ſolet, ſi adeo præposterâ figurâ prodeat, ut nullo modo excludi poſſit, neque ab obſtetrice, vel chirurgo extrahi, aut in meliorem ſitum converti. Cùm enim hoc modo in orificio hæreat, & omnem matris conatum eludat, ſic ut in conatibus, variisque motibus, & compreſſionibus, interdum mater, & fœtus, interdum mater ſola, & interdum fœtus ſolus moriatur.

PROGNOSIS.

Quod ad prognoſim ſpectat, periculoſus eſt fœtus in utero mortuus, & niſi maturè excludatur, febres, lipothymias, ſopores, convulſiones, & mortem inferre ſolet.

CURATIO.

Quando fœtus mortuus eſt, atque adeo difficultas pariendi major, quamprimùm ut expellatur, annitendum, ne ſi putreſcat, matri immania importet ſymptomata, mortem nonnunquam minitantia. Quæ autem fœtum mortuum educere valent potiſſimùm ſunt illa pellentia partum, modò dicta, & omnia, quæ menſes potenter movent, ut ſunt, *radices dictamni albi*, *ariſtolochiæ rotundæ*, *irid. florent. aſari*, *hellebori nigri*, *folia ſabinæ*, *dracunculi*, *matricariæ*, *croci*, *calendulæ*, *gummi*, *ut myrrha*, *aloë*, *borax*, *ammoniacum*, *galbanum*, *ſagapenum*, *pulpa colocynthidis*, & alia ſimilia. Nos cum ſucceſſu hoc in caſu utimur *trochiſcis de myrrha*, *borrace Veneta*, *foliis ſabinæ*, *croci*, *limaturâ Martis &c.*

Angelus Sala in triumpho emeticorum, teſtatur ſe feliciſſimo cum ſucceſſu pluries in hoc caſu exhibuiſſe mercurii vitæ gr. IV. vel V. idque remedium potentiſſimè fœtum mortuum excludere, & reliquis remediis prævalere. Quod tamen propter vehementem ſuam operationem, ſummâ cautione, & Medici prudentiâ indiget.

Omnia balſamica, quæ putredini reſiſtunt, ſunt egregia, ut

℞. *Dictamni albi*,
cinnamomi,
teſticuli equi,
borracis ana ʒß.
caſtorei,
myrrhæ,
ſuccini albi ana ℈ß.
m. f. pulvis, dividendus in iij. partes æquales.

Sequens tanquam expertiſſimum remedium commendatur.

℞. *flor. cheirini*,
borracis Venetæ,
ſuccini albi præp.
raſuræ ligni ſabinæ,
galliæ moſchat.

croci orient. ana ℈ß.
confect. alchermes ʒ ß.
margarit. præparat. ℈ß.
m. assumatur cum aqua cinnamomi calidè.

Vel sequens, ut

℞. *Boracis,*
dictamni Cretici,
sabinæ ana ʒ.j.
myrrhæ,
radicis asari,
cinnamomi,
croci ana ʒß.
fiat pulvis.
Dosis ʒ. j.

Ut autem ista medicamenta faciliùs effectum suum edant, antequam propinentur, fœmina in balneo ex emollientibus desidere potest, vel partes circa uterum inungere ol. lilior. alborum, amygdal. dulc., chamæmelino, adipe gallinæ, anserino.

Neque inutile fuerit, si vires ferant, etiam purgantia medicamenta exhibere, quæ & vitiosos humores, qui in hoc fœminarum statu facilè colliguntur, evacuant, & consequenter fœtum propellunt.

Externa quoque ad fœtum mortuum ejiciendum usurpanda: fiat nimirum fotus ex *mercuriali, dictamno Cretico, thymo Cretico, radice ireos, cucumeris agrestis flor. chamæmeli, stoechad., genistæ.* Post ejus usum, hypogastrium, & pubis regio, ac lumbi inungantur unguento de artanitâ.

Vel

℞. *Rad. cyclamin.*
ireos,
aristoloch. rot.
cucumeris sylvestr. ana ʒ.ij.
nitri,
myrrhæ ana ʒ.j.
farinæ lupinor. ʒ. vj.
opoponac. ℥. j.
ol. cheirini,
q. s. f. emplastrum,
vel potiùs cataplasma.

Quòd si medicamentis in fœtu mortuo extrahendo incassum laboratum fuerit, ad chirurgiam accedendum; fit autem illa operatio duobus modis, vel sola manu, vel instrumentis.

Verùm in nostris regionibus nunquam, aut certè rarissimè, fœminæ tales operationes admittunt, sed potiùs rem omnem Deo, & naturæ committunt.

CAPUT XIV.

De Partu difficili.

Omnem partum fore difficilem, & dolorosum ab Evâ usque ad ultimam fœminam, importat immutabile Dei decretum *Gen.* 3. 16. omni sexui muliebri promulgatum his verbis: *Admodum multiplico dolorem tuum etiam conceptûs tui: in dolore paries liberos.* Contra hanc ergo difficultatem nemo Medentum quicquam remedii afferre præsumit, sed in hisce casibus, ubi partus communi parientium modo, & temporis spatio non absolvitur, sed alio infantis egressu, longiorique tempore, & puerperæ labore, angustia, gravioribus symptomatis, & majori periculo contingit.

Differt autem partus ab abortu, quòd in partu fœtus jam maturatus, & perfectus sponte sine concurrente alienâ causâ, vel impulsu ad lucem vivus festinet, & cùm utriusque, nempe fœtûs, & matris conamine pariatur; abortus verò immaturè, & violenter exturbetur, adeo ut vivus ob sui incompletionem manere nequeat, sed necessariò intereat, ut

jam

jam *Iob.lib.* 3.15. ejus mentionem facit his verbis; *Sicut abortus abditus non amplius essem*; *ut infantes qui non viderunt lucem.* A fœtu autem mortuo, & molâ grandiore discriminatur, quòd isti non pariantur, nec sponte exeant, sed manu chirurgicâ extrahi, vel evelli debeant.

Commoratus igitur à primâ conceptione tot septimanis in utero fœtus, quot annis populus Dei in deserto, atque itidem absque corporali cibo, saltem mannæ materni lactis rorali stillatione tam diu sustentatus ex suo tenebroso carcere liberatur, stupendaque & summè admirabili Divinâ providentiâ, & auxilio per viam inter duo ossa pubis, ceu scopulos arctissimè sitam in hujus Mundi lucem deducitur, at non sine planctu, & lamentabili ingeminatione O. A. si puer sit, quasi diceret: O Adam, vel O. E. si puella sit, ac si clamitet: O Evà, vagiendo nostrorum parentum lapsum omnis nostræ miseriæ causam deplorans.

SIGNA.

Signa autem instantis partûs ordinaria sunt hæc: Dolores totum corpus maximè lumbos, coxendices, ac imum ventrem prehendunt, idque atrociùs in primiparis, ceu inexpertis, mitiùs verò in his, quæ multoties pepererunt, dolentque inguina, pectinis ossa, & crura; Iidem tamen non solùm dolores in partu, sed & abortu, molâ, & fœtu mortuo percipiuntur; legitimi autem partus signa sunt, quòd justo à conceptionis tempore, nempe mense nono, vel decimo dolores ingruunt, cum gravedine uteri, fervore, & dolore in natibus, lumbis, & inguinibus, uterique pondus, & tumor deorsum vergunt ad partes inferiores, totaque moles ad pudenda decumbit, superiores autem partes graciliores, & contractiores fiunt, loca verò super pectinem, & inguina extenduntur, cum apertione, & humectatione orificii uterini, cervicisque uteri dilatatione, & inflammatione, frequens quoque mejendi cupiditas lacessit, & immisso digito in orificium uteri quidpiam ad magnitudinem ovi in eo persentitur, & alba quædam colluvies aliquibus primò ex utero profluit lenta, & parcè, deinde verò copiosè, & ad sanguineum ruborem accedens, ruptis nimirum tunicis fœtum includentibus, tum liquor serosus sanguine mistus satis largè effluit, effluxuque vias lubricat, ubi deinde fœtus rumpendo sequitur, & si is non statim dictum liquamen sequatur, sed tamdiù tardet, donec omnis liquor effluxerit, difficilis deinde partus sequitur ob resiccationem viarum.

His itaque incipientibus parturientium doloribus obstetrix præsens omnibus ipsius ligamentis necnon capillis solutis, ut laxamentum ubique liberrimum habeat, in inferiori ante eam sellâ sedens blandis, & solatoriis verbis eam hortetur, & precetur, ut omni clamore intermisso totum suum spiritum superiùs compressum ad inferiores partes convertat, hoc tamen ne citiùs, quàm par sit, fiat, aliàs in vanum parturiens laboraret, & se debilitaret, ut postmodùm, quando opus esset, sufficientibus viribus destitueretur, accuratè igitur obstetrix, nosse debet, quando infans in procinctu exeundi est, tunc enim totum parturientis imum ventrem, verendaque optimè oleo liliaceo calido perungat, perunctâ etiam propriâ manu, orificiumque matricis circumagendo aperire, & diducere studeat,

deat, ut chorion præcidere queat, sique folliculus iste, seu involucrum infantis ob tenacitatem rumpi tardaret, unguibus, vel instrumento, summâ tamen cautione, ne infans lædatur, ruptionem illius adjuvet, immissisque digitis totam viam sufficienter adhuc magis aperire, & lubricare debet, ut infans exire queat, cautelâ tamen adhibitâ, ne fortè subitò, & præproperè prolabatur, ipsiusque caput, vel cervix quassatione lædatur, opportunissimum autem tempus adjuvandi infantis est, quando liquor animalis profluit; eo ipso enim tempore matrix se omnimodè aperit, tuncque obstetrix optimè manibus succurrere potest, liquore autem penitus elapso, iterum se concludit, & tunc manualis diductio importuna est, & facilè sanguinis fluxum concitat. Quum verò infans exire incipit, obstetrix eum suaviter panno suscipiat, procedentibus unà secundis, & quando paululum in terrâ quieverit, umbilicus quatuor à ventre ejus digitis, novaculâ, vel alio cultello acutissimo præcidatur, ligato priùs funiculo propè abdomen filo forti aliquoties circumacto, duorum, vel trium digitorum distantiâ ab abdomine, ubi deinde tribus circiter digitis à ligaturâ funiculus resecetur, exsiccando sanguinem in eo remanentem coagulatum, obligandoque, ne subsequente sanguinis fluxu infanti periculum causetur, exsiccatus autem sponte decidit, citiùs, vel tardiùs pro constitutione nati, sanguinisque affluentis copiâ, ex decidentiâ tamen citeriori à quarto die breviorem vitam, ulteriori, seu quinto à resectione die longæviorem obstetrices hariolantur.

Notandum autem, labore partûs jam instante parturienti non multum alimentum esse obtrudendum, sed pauco probè tamen nutriente cibo eam esse reficiendam; plurimo enim cibo infarcta spiritus & calorem distrahit, & occupat, quo minùs laborem partûs sustinere queat, omnes quoque lapides pretiosi ab ejus digitis semoveantur, quidam enim fœtum gestationis tempore in loco continent, & sic necessariò etiam jam ipsum retracturi essent, partumque remoraturi. Item omnis perflatio, & accessus aëris frigidi ante, in, & post partum arceatur, quodlibet enim frigus adstringit, & genitalibus partibus inimicum est.

Si verò nihilominus partus præternaturalis, & difficilis incideret, quod inde cognoscitur, si conatus pariendi ultra viginti quatuor horas duraverit, summoque cum cruciatu, & vitæ periculo matris, & infantis, vel alterutrius labor partûs in suspenso tenetur, tunc præter ordinaria media etiam ad alia, & non raro instrumenta chirurgica confugiendum est.

Causæ partûs difficilis, & præternaturalis diversæ sunt, partim ab utero, partim à fœtu, & partim ab externis provenientes; ab utero possunt esse, si naturali constitutione admodum intemperatus sit in frigiditate, caliditate, humiditate, & similibus, vel nimium amplus, vel angustus, flatulentus, inflammatus, ullovè affectu valetudinario afflictus, vel facultate expultrice languidus, aut retentrice tenax sit; à fœtu verò, si justo sit grandior, capitosiorvè, vel platonicus, seu amplis humeris, cujus gratiâ quædam filias suas ejusmodi humeratis desponsare noluere, ne nimirum infantes patribus similes in partu matribus essent calamitosi; vel si fœtus sit debilis, vel omninò extinctus,

tinctus, ab eoque ad exeundum exigua, vel nulla fiat cooperatio, vel etiam situ præternaturali ad os uteri provolvatur, nempe pedibus, vel manibus, aliâve ulla parte præter caput, vel etiam fœtûs involucrum sit adeò spissum, vel tenue, eius ruptio spontanea planè non, vel justo citiùs contingat, vel idem involucrum, seu secundina præternaturaliter utero adnascatur, intusque detineatur; tum enim infans, licet legitimè pariatur, attamen nisi eâdem felicitate secundina quoque tota exclusa sit, idem periculum, & difficultas in partu remanet; ad defectuosum quoque uterum pariter referri potest, si patiens sit adhuc nimiùm juvencula, vel primipara, imprimis serò elocata, tum enim omnia ita firmescunt, & occallescunt, ut non nisi perdifficilè, & multo cum negotio necessaria pro excludendo fœtu diductio, dispansioque fieri queat, vel etiam prægresso aliquo profluvio, vel morbo, aliovè exhaustionis modo ita confirmata, & viribus orbata, ut satis laboriosè ad parturiendum, fœtumque excludendum niti nequeat.

Ab externis verò causari potest partus difficilis, si sit inclementia aëris, vel maligna cometarum impressio; vel injuriosa tractatio, unde ira, excandescentia, zelotypia, tristitia, terror, & similia animi pathemata incutiantur; vel inconveniens diæta, ususque refrigerantium, & constringentium tam internè, quàm extrinsecè per balnea, vel topica adhibitorum; item infelix casus per contusionem, ictum, occursum, lapsum, dislocationem, & similia.

PROGNOSIS.

Omnis partus difficilis, ut laboriosus, sic etiam periculosus est aut matri, aut fœtui, aut utrique, imprimis si vel mater aut fœtus ægrotent, aut languidi sint, & debiles, vel si nimis, aut juvenculæ, aut vetulæ; vel cum altero brachio fœtus primùm prodeat, qui quidem modus est pejoris notæ; fœtus si vasis umbilicalibus circa collum aliquoties involvatur pro pessimo habetur. Hunc partum difficilem sæpe sequuntur ruptio vasorum pectoris, hinc oritur phthisis, sanguinis sputum, molesta tussis, dilatatio colli partium, inde scrophulæ. In aliis rumpitur peritonæum, sequuntur herniæ, tum umbilicales tum inguinales, quibusdam pupillæ dilatantur, læditurque visus, quædam vexantur stranguriâ, interdum sequitur claudicatio, sterilitas, nimia amplitudo, deformesque ventris rugæ, vaginæ uteri procidentia sæpe in partu contingit difficili, siquidem violentiori tractatione, quæ continebat, non rarò sequi cogitur, & nisi blandè reponatur, alia symptomata plura producit. Fœtus, ubi aquæ ab utero diù sunt elapsæ, in magno versantur periculo; nam aquæ illæ inserviunt pro respirationis materia, sicut nobis aër, nam in inspiratione assumit eas, redditque iterum in exspiratione. Cùm igitur aquæ illæ deficiunt fœtui, idem est, ac si nobis eriperetur aër, adeoque fermentationes cordis fœtûs magnum sufflaminationis incurrunt periculum. Propter elapsas illas aquas difficilior adhuc redditur partus, quia partes tunc siccæ fiunt, quæ glabræ esse debeant, ut fœtus meliùs excludi possit.

Extrema si frigeant, lethargus, sudor frigidus, syncopticusque, respiratio difficilis, deliria, convulsiones, tristitia, desperatio, risus Sardonius, &c. haud fal-

laces mortis insequentis sunt prodromi. Spem verò bonam facit mater, si est hilaris, ac constantis animi, vires quoque sufficientes adsint, si sternutamentum supervenerit, bonum. Quando partus difficilis adest, cum omnibus bonis, non desperandum est. Paralysis alterutrius cruris aliquando remanet post partum difficilem.

CURATIO.

Restat nunc perfectâ prognosi, ut de diætâ puerperæ post partum difficilem prospiciamus.

Aër ergo sit paulò calidior, & frigidus omnis vitetur; quantùm enim is vel ad uterum incautiùs nunc admissus, vel totum etiam corpus ambitu suo alteret puerperas, pluria tristia nos docent exempla. Hinc enim sæpè sanguis quasi coagulatur, grumescit, & dolores, tormina, anxietates, lypothimiæ, & febres sæpenumerò morbi graviores prompti sequi solent. A calido omnes benè se habent, inde enim disponuntur ad sudores, quâ diaphoresi præservatur corpus à purpurâ, aliisque puerperarum affectibus aliàs solemnibus.

Quoad *cibum* is sit talis, qui lochia secundum naturam fluentia non sistit, nec nimis promovet, in quo sæpe puerperarum salus consistit. Omnes ergo cibi acidi, crudi, flatulenti exulent. Nocent quoque omnia pinguia, salsa, austera, fumo indurata, & frixa, item lacticinia. Laudantur verò pulli, perdices, lepores juniores, & carnes vitulinæ, agninæ, & bovinæ juniores, juscula gallinacea, avenacea cum passulis minoribus prosunt.

Potus nocet frigidus, æstuante corpore assumptus. Vinum, ut & alia generosa maximè puerperis nocent, exinde enim sæpe incurrunt in febres acutas, & lethales.

Somnus & quies nimia, quemadmodum, & exercitia immodica, propter quæ & ante tempus malè convertitur fœtus, sunt noxia.

Quoad *motum* optimè faciunt puerperæ post partum ad minimum per novendium se lecto affigant, extra enim oleas seu lectulum vagari primis diebus periculosum est.

Excreta, & retenta naturali fluant modo.

Animi affectus subitanei, & graviores, ut ira, excandescentia, tristitia, mœrores, solicitudines exulent, studeant hilaritati.

Antequam ipsam medendi methodum aggrediamur, præmittemus pauca de officio obstetricis. In electione igitur requiritur, ut ante omnia sit perita, nec temulentiæ dedita, imò etiam satis literata, & in libris anatomicis, chirurgicis ac re herbariâ exercitata, ingenio, & memoriâ valens, mundiciei studiosa, sanitate, & vegetâ ætate gaudens, pia, impigra, non fraudulenta, morosa, vel avara, sed mitis, compatiens, pudica, prudens, proba, & ab iracundiæ, & excandescentiæ furore aliena, non timida quoq;, sed animosa, ut puerperas præsertim primiparas in conatu parturitionis excitare, & animare, & in difficultate, & variâ necessitate expeditè, & opportunè subvenire norit. Officium ejus in partu est ingeniosè infantem excipere, præternaturaliter prodeuntem in situm naturalem reducere, aptèque ad partum deducere, ac dirigere, in præcidendo, ac deligando umbilico infantis gnaram esse. Adhæc indiget sellâ, seu cathedrâ obstetricali sellæ tonsoriæ non

riæ non multùm abſimili, præterquamquod in anteriori ſedis parte inſtar ſemilunæ præciſa ſit, ut decidere ibi infans poſſit; adjunctas præterea habeat tres alias miniſtras, quarum prima ad dextram, altera ad ſiniſtram, tertia verò à tergo locentur, ut parturiens lateralibus incumbat, à dorſali autem teneatur, poterit tamen pariens etiam loco ſellæ in ſinu robuſtæ fœminæ ſedere, & nunc tertia ad tenendum dorſum non eſt neceſſaria; in promptu quoque ſit liliaceum oleum, ſpongia mollis, lana munda, faſciæ, panni lintei, cervicalia, odoramenta, & medicamenta roborativa. Obſtetrix verò pro ſe priori humiliorem ſellam etiam præſtò habeat, ut paulò inferiùs ſedere, & promptè manus dirigere poſſit, ſive enim in ſellâ, ſive in femoribus alterius fœminæ ſedeat obſtetrix humiliùs ſedere debet facie ſuâ averſâ, & non ad faciem parturientis directâ, ne præ verecundiâ ſe concludat, ſi in lecto partus fiat, eodem modo depreſſiùs obſtetrix ante eam ſedeat.

Verumenimverò omnis magiſtratus obligatur nullam niſi peritiſſimam, & ab egregiis Medicis examinatam ad obſtetricandum matronam admittere; ob varios caſus, quæ in parturientibus, gravidisque, imò etiam aliis fœminis quotidie accidunt, & ob pudorem ſæpiſſimè Viris Medicis non revelantur, imprimis in partu, ubi peculiariter virorum inſpectionem mulieres pudoroſæ horrent, ſi ergò obſtetrix nulla adſit, quæ plurimorum, atque etiam Anatomiæ ſit perita, facilè ex imperitiâ damnum fit, quod poſtea corrigi nequit, cujus aliquando magiſtratus rationem eſt redditurus, cum loco parentum, patrumque patriæ, imò ipſius Dei ſint, ac in omnibus ſuorum liberorum curam habere obſtricti, imò magis quàm parentes; nam vulgares parentes ſemper ſuos liberos ſuſtentant, & vix unquam ab eis, niſi in ſummâ neceſſitate ſuſtentationem accipiunt, magiſtratus verò à ſuis ſubditis ditiſſimè ſuſtentantur.

Si ergo obſtetrix ad parturientem vocatur, omnia quæ circa ipſam tractandam neceſſaria, cautè prævideat, obſervetque, ſi difficilius procedat negotium, alias prudentes ſibi adjungat, hilari vultu excipiat parturientem, promittendo illi faciles labores, vetet ne parturiens acida aſſumat, ventos quoque clauſis feneſtris, & januâ ab illa, niſi ad recreationem, arceat.

Inſtante verò partu, gravida commodè locanda eſt, optima eſt ſella, in qua ponatur fœmina; aliæ verò lectum eligunt, aliæ amant ſtando, ac ad lectum ſe inclinando parere. Locum ante parientem occupet decliviorem obſtetrix, præmiſſa exploratione pudendum ventris, perinæi, partesque muliebres oleo amygdalarum dulcium, ſeu liliorum alborum illiniat, obſervetque dolores, ac uteri aperturam; ut parientem ad conandum, ſeque juvandum adhortetur; inſtituat quoque, ſi uterus ſe non ritè aperiat, fumum ex ſemine carui, vel cumini, quod egregium eſt. Poteſt re etiam non ita ſuccedente ſuaderi parienti, ut ſurgat, ac leni deambulatione, ſive per ſe, ſive ductu aliarum exitum fœtui paret.

Diductis poſtea labris, ſi viderit os uteri internum apertum, fœtumque capite ingreſſum, jubeat parientem, ut compreſſo anhelitu, ſufficientique cor-

poris,

poris motu partum promovere non desistat, una etiam patientis abdomen leniter comprimendo expulsione verificat.

Membranas duriores, infantemque cingentes unguibus cautè, ne fœtum lædat, aperiat, cœterum situs vitiosos dexteritate suâ ita dirigat, ut prævio capite, qui modus optimus, in hanc miseriarum vallem ingrediatur. Egredientem fœtum obstetrix subtiliter attrahat, cavendo, ne corpore adhuc molli, quid distorqueat, vel laceret. In lucem edito fœtu, sanguis, qui in vasis umbilicalibus existit, versus infantis umbilicum comprimatur, & relictâ parte quatuor digitorum transversorum longitudine ea abscindatur, vino abluatur, & umbilicus filo proxime ad ventrem pollicis à ventre distantiâ constringatur leniter.

Si in partu infans quasi semianimis in lucem prodeat, cura habenda, ne planè exstinguatur, ideoque obstetrix prudens spiritum ipsi infanti, aromata mansa, & halitus afflare, & adspirare debet, linguæ, vel ori instillet guttam aquæ vitæ, vel aliûs spirituosæ, narium quoque foramina, & pulsus spirituosis sunt illinendi. Secundinæ postea sunt extrahendæ, quod fieri debet, vel abdominis compressione, & labore à puerperâ solâ, vel obstetrix manum oleo calidè intinctam in uterum immittat, easdemque attrahat, sin uteri parti alicui accreverint, sedulò danda opera, ne violenter abrumpantur, sed leniter hinc inde trahantur, ne damnum inde oriatur.

Tunc puerpera monenda, ut complicatis cruribus, ventre verò ligato fasciis in lectum calefactum decumbat, lochiorumque fluxum expectet. Interea obstetrix infanti sordes, mucumque abstergat solito lavacro, in quo plantæ cephalicæ, ne lavacrum sit nimis calidum, quod infanti summè noxium, imò sæpe mortiferum.

Hæc sufficiant dicta de statu partûs ordinario, & naturali. Difficilis partûs curatio instituitur per eadem media paulò ante specificata, præcipuum autem ab ardentissimis ad Deum fusis precibus; eapropter si figura se offerat, obstetrix tum proprio, si callet, tum Medici potissimum consilio maximè situm attendat parientis. Matrem igitur si offendit debilem (curatio enim primariò consistit in matris, & fœtûs corroboratione, ut ambo laboriosam hanc sustinere possint provinciam) varia præscribat corroborantia, & analeptica. In quem finem prosunt *vinum calefactum cum macere, vitellis ovi, & sacchâro, addito croco*; vel detur aliquoties *confectionis alkermes*, quantum cuspide cultri capi potest; inungatur umbilicus matris *vino malvatico, vel balsamo vitæ*, vel imponatur cum pane tosto. Sic & propinetur cochlear unum, vel alterum *balsami embryon*. Ventri quoque imponatur *panis mellitus cum vino malvatico*, vel alio aromatico imbutus, *item cum pulvere cinnamomi, caryophillorum &c.* inspersus.

Matrem, fœtumque roborabis cardiacis, spirituosis aromaticis, salibus volatilibus, & similibus aliis internis cum specificis maritatis usurpandis:

℞. *Aquæ rorismar.*
cortic. aurant. ana ℥ j.

vitæ

vitæ Matthioli,
tincturæ cinnam. ana ℥ ß.
confect. de alkermes sine odore ʒj.
ol. destill. mac. gutt. iij.
spiritus-salis armoniaci aromatiz. gutt. xij.
succini gutt. ij.
syr. de mentha, vel cinnamomi ʒvj.

Secunda intentio Medici consistit in viarum dilatatione, & lubricatione. In quem finem optimè instituitur ante partum insessus, seu semicupium ad facilitandum partum, sequens commendatur ab Ettmuller:

℞. *Herb. malvar.*
althææ,
melissæ
flor. chamomill. ana m. ij.
malvæ,
meliloti ana m. j.
semin. lini,
fœnigræci ana ℥iij.
rad. althææ ℥iv.
incisa dentur ad chartam.

Decocto horum gravida insideat, quandiu cum euphoriâ fieri potest, idque ferè alternis diebus imminente partu, deterso madore in lectum se componat, illinendo postmodum lumbos, regiones umbilici, & lumborum, linimento ex mucilagine seminis lini, fœnugræci, althææ, olei amygdalarum dulcium, liliorum alborum.

Vel propinetur aliquod specificum, quorum plura sunt, inter quæ pro expertissimo commendamus hoc: Capias duo, vel tria ova recentia gallinacea cruda, coque ea in novâ ollulâ, superfusâ aquâ pluviali, vel fontanâ, donec probè bulliant, hujus aquæ largum haustum parturiens bibat, & brevi juxta nostram experientiam liberabitur.

Musitanus de Morbis mulierum.

Fidum quoque experimentum habetur in mercurio, vel vivo, vel in pulverem parato, teste etiam Matthiolo, se nempe vidisse argenti vivi ℈j. vel ʒ ß ab obstetricibus nullo incommodo, sed semper prospero cum successu ægrè parturientibus, prout & nos medicamento mercuriali menses per triennium suppressos in ordinem redegimus, aliosque per eundem præcipitatum idem, & ejusdem diuturnitatis obtinuisse novimus.

Nimis tamen fortia, ut sabina, filix, nisi in summâ necessitate, in usum ne veniant, sterilitatem enim inducunt.

Helmontius in partu difficili pro arcano censet hepar anguillar. serpentum &c.

Apud pauperes vidi partum sæpè difficilem solvi haustu urinæ mariti.

CAPUT XV.

De Regimine Puerperæ, & Infantis.

Puerpera quælibet ante, in & post partum ab omnibus tam actu, quàm potentiâ frigidis, tam intra, quàm extra corpus omni studio custodiatur, nullique frigidæ auræ perflationi, vel ulli gelidæ aspersioni exponatur, sed mox à partu in molli lecto quasi sedens jaceat, scilicet tantoperè exaltatis cervicalibus, capite, & dorso incumbens, ut ferè sessionis figuram referat, femoribus paulùm distantibus, ut purgatio liberè procedat, ad spontaneam usque ejus cessationem; si verò nimius sanguinis fluxus acciderit,

magnaque virium debilitatio inde caufetur, tunc ligentur digiti auriculares utriufque manus, ligamentis ex ferico rubro, rurfufque relaxentur, & iterum fortiter ftringantur, & fic confequenter per aliquot vices, fi tamen fifti nollet, tum coquantur duo, vel tria ova cruda recentia in aquâ pluviali, vel fontanâ, donec aliquandiu optimè bullierint, affetur etiam integra nux mofchata fuper flammam candelæ accenfæ cereæ, cujus dimidium commanfum devoret, fuperbibito largo hauftu dictæ calentis, conducit præterea hæc aqua decoctionis ovorum adverfus quodlibet fanguinis profluvium.

Victus conftet ex his, quæ probè nutriunt, & facilis fint coctionis, ut funt avena, & hordeum decorticata, pruna, jufcula ex jure pullorum, caponumque, ipfaque caro eorum, ut & vitulina, agnina, & hœdina, fuilla verò, & quævis fumo, vel fale condita, ut & pifces, olera, ova dura, cafeus, & lacticinia fugiantur; pro potu vinum fit tenue, vel cerevifia clara, femper tamen abfque actuali frigiditate affumpta; per novem dies à partu continuos conducit ipfi, *fi accipiatur pinguedo caponis ad* ℥iij. *liquefiatque fuper leni prunarum calore, inijciantur tum* ʒiij. *macis minutim concifæ, maneant fimul per femihoram in calore ebulliente, deinde pinguedo per linteum exprimatur, ut macis remaneat*, hujus colatæ pinguedinis omni mane quantitas nucis mofchatæ, ac vefperi tantundem in jure pulli affumatur.

Sin autem in partibus verendis aliqua vulneratio, ruptio, laceratio, vel læfio contigiffet, tunc infpergunt pulverem radicis confolidæ majoris, ac deinde peffos adhibent ex fuccis arnogloffæ, portulacæ, & albumine ovi paratos, applicando etiam hoc linimentum:

℞. *Cortic. granator.* ℥j.
lythargyr. fubtiliff. trita ℥ ÷.
cum ol. ros. q. f.
f. linimentum mediocre,
cum linteolis imponendum.

Infans autem, ut fupradictum eft, mox poft partum à fuo funiculo umbilicali feparandus, ligando, & conftringendo priùs dictum funiculum trium digitorum intervallo ab abdomine infantis vinculo lineo, vel ferico, fpatioque duorum digitorum exteriùs à vinculatione funiculum refecando, ubi refecto umbilico cruento fubtiliffimus pulvis cretæ, vel boli armeni, vel croci martis infpergitur, butyrumque recens infulfum linteo exceptum imponitur, ad ejus confolidationem; Prognofis obftetricum de umbilico infantis talis circumfertur: Si ea ejus pars, quæ ventrem proximè refpicit, rugofa, vel nodofa confpiciatur, quamlibet rugam, vel nodulum matri portendere infantem etiamnum ex ea pronafcendum, nimirum tot pueros quot rugæ rubentes adfint, puellas autem, fi ejufmodi rugæ albefcant, quoties explanatus compareat dictus umbilicalis proceffus, & abfque ullâ rugofitate, toties matrem inpofterùm fterilem permanfuram.

Porrò umbilico obligato (ex cujus retentione etiam magnitudo major, vel minor virgæ virilis prædicitur) infantulus balneolo ex aqua dulci moderatè calenti (antiqui tamen Græci aquam falfam ad ejufmodi balneum infumpferunt ad firmationem meliorem cutis infantis) infertur, ita ut cor-

corpusculum aquâ mergatur, caput verò emineat, ac optimè abluitur eâ cautione, ne quicquam aquæ auribus illabatur, sinistrâ manu tenetur caput, dexterâ verò figurantur oculorum cavernæ, ac capitis decens figura comprimendo disponitur, & ab omni immunditie optimè mundatur, & gingivæ quoque suaviter, ac molliter fricantur, brachiola, & cruscula itidem decenter configurantur, adhæc digito auriculari præcipuè excretionum viæ, nempe foramina narium, & ani leviter ampliantur, & dilatantur, & quantum fieri potest, ad excernendum excrementa disponuntur, seu incitantur, immisso etiam ori digito ad tollendam omnem salivam inditoque in anum minimo digito primum stercus, quod meconium appellatur, removetur, nec minùs aurium meatus, ac palpebræ probè aperiuntur, & exterguntur; antiquis verò Græcorum Medicis usitatum fuit guttulam olei oculis infantis instillare eum in finem, ut tunicæ, quibus constant, emolliantur, extergantur, & pueruli integrum visum recipiant; ne autem tenelli oculi à luce lædantur, lavacrum in loco obscuriori mediocriter tepente instituatur, manibus quoque pecten leviter comprimatur, ut natura instigetur ad reddendam urinam, & quando sic ubique omni studio lotus, & mundatus est infans, tunc ad lenem ignem mediocriter calefactis linteis abstergitur, & resiccatur, linteisque pannis involvitur corpus, ac insuper aliud linteolum capiti circumtegitur, superadditisque demum aliis tegumentis pro cujusvis regionis consuetudine infasciatur, longâque fasciâ, seu tœniâ, aliquoties circumactâ colligatur, omnibus membris in rectum situm positis, ne aliquod irregulari positione, & colligatione figuram curvam, vel intortam acquirat, fasciatus debitè in cunas reponitur, ac in tanto interveniente spatio obtegitur, ut sine impedimento respirare queat, muscisque nullus relinquatur accessus ad infantem turbandum; Quando rursus à somno evigilat, obstetrix nonnihil sacchari pulverisati, vel mellis cocti, & non crudi cum pulpâ pomi assati deglutiendum præbeat, hoc enim remedii genere laxabitur, ac omnis superfluitas per secessum excludetur.

Unâ autem, atque alterâ horâ elapsâ, rursus fasciatione solvitur, ab excrementis extergitur, ac denuò omnibus corporis partibus, ac particulationibus in rectum situm repositis, iterùm infasciatur, lactatur, ac in cunas reponitur, altero rursus eodem balneatur, artuumque configuratio reiteratur, idque singulis diebus ad minimum semel, vel bis, extersio autem sæpiùs, ne diutiùs in excrementis, & urinæ madidatione jacens exulceretur. Balneatio itaque, & membrorum sedula dispositio omni die per unum, vel alterum mensem repetitur, talique configuratione impeditur, ne ulla corporis pars deformis, & distorta evadat, qualibet etiam balneatione priùs in dorso, ac deinde in pectore, & anterioribus partibus fomentari, omniaque concava loca, nempe sub axillis, ad collum, & inguinibus bene mundari, & extergi debent. Adhæc oculi & aures sæpiùs linteolis, tepente aquâ, vel lacte humectatis extergantur, & mundificentur, inguina quoque ab urinæ aspersione detergenda, & ad

ignem siccanda crebriùs veniunt, ne ab acredine lotii excorientur, quod si fiat, inspergantur pollen hordei, vel farinæ asserum à vermibus exesorum, vel quod melius est, flore cinci (cincum autem species calaminaris est in igne liquescens, atque in ollis sublimatoriis flores, velut antimonium) & brevi iterum exesa cuticula consolidatur. A qualibet autem balneatione uberibus adhibetur, & lactatur, nullum quoque lac ipsi convenientius est materno, quod tamen ante tertium diem nato non detur, sed ab aliâ interim sugat, donec matris propriæ lac in mammis concretum priùs sit emulctum, vel per certum ad hanc rem instrumentum exsuctum, quod ita paratur, ut ipsa puerpera sibi hoc lac vitiosum per illud exsugere valeat. A lactatione cunabulis redditur, eorumque consuetâ agitatione, & cantilenarum modulatione in somnum consopitur.

Lactatio sæpiùs in die fieri debet, modò ex unâ, nunc ex alterâ mammâ, nutrix verò manu papillam osculo infantis insertam quasi exprimendo teneat, ne infans opus habeat operosâ suctione primam lactis stillam extrahere, at semel stillans facilè instar filtri pergit suctionem levem sequi, sed nunquam in lavacro lac sugendum ipsi præbeatur, prout & adulti in balneis non impunè bibituri essent, ut in nobis ipsis in juventute experti sumus, ita etiam infans in suo balneo sine gravi noxâ non lactaret. Quando autem plorat, aspiciatur fasciæ ligatura, an forsan (ex distorsione ejus infans malè habeat, vel aliquid pungitivi adsit, & ipsi molestiam inferat, vel rursùs sitiat, vel in nimio æstu jaceat, quod ex rubedine vultus animadvertitur. Quamvis autem maternum lac infanti præ omni alio optimè conducat, sæpe tamen ob vitium mammarum matres coguntur nutrices substituere, quod si ita eveniat, eligenda est integræ valetudinis, ampli pectoris, grandioris staturæ, mediæ ætatis, seu inter vigesimum septimum, & quadragesimum ætatis annum, quæ mediocriter sit mammata (nam neque nimis parva, nec nimis vasta ubera lac optimum habent) & ad minimum ter peperit, non salax, potatrix, munditiei negligens, sordida, tristis, vel melancholica, cujus etiam lac priùs examinari debet, an inculpati vices gerat: Sicuti enim vinum Cos tantummodò bonum est seu colore, odore, & sapore præstans, ita etiam itidem lac bonum excellere debet colore, nimirum albissimo, odore, nempe suavi, & sapore videlicet dulci, & consistentiam habere mediocrem, id est non nimis spissam, vel aquosè tenuem, cujus proba est, si ejus gutta stilletur super unguem pollicis, vel tersum speculum, in rotunditate persistat, nec defluat. Ab hac qualitate si lac deflectat, colorisque sit flavescentis, lividiusculi, odoris injucundi, vel subfætidi, saporis nauseosi, insueti, subamari, vel salsi, & facilè acescat, consistentia promptissimè defluat, vel casescat, tale lac eandem, ex qua desumptum est, minùs prosperè valere arguit, ac infanti noxam parit, nempe caseosum lac astrictam alvum, inappetentiam,

&

& vomitiones; aquosum verò tormina, & flatus; flavescens fluxum ventris, & pustulis ardentes; salsum autem scabiem, & pruritum.

Non raro tamen lac inculpatum vitiatur, si nimirùm nutrix pravo utitur cibo, & inconvenienti diætâ,conveniens enim requirit, ut moderato exercitio corpus moveatur, aliàs instar stagnantium paludum fracescit, & putredinem concipit, item ordinem in cibo, potu, & somno servet, talibusque alimentis nutriatur, quæ facilis sint concoctionis, & laudabilem cruorem generent, à contrariis autem, & è stomacho sursum vaporantibus abstineat, præcipuè à cæpis, allio, porro, caseo putrido vetusto, brassica doliis conditâ, carne suillâ, fumatâ, salitâ, succidiis, & ab his, quæ salacitatem stimulant, quibus mirum in modum infans lactans læditur, imprimis si nutrix iterum concepit, nequaquam ergo talis ulteriùs lactet, sed vel infantem ablactet, vel alia nutrix substituatur, donec infans sesquiannum, vel ad summum biennium ætatis agat, tuncque lacti desuescat, & alimento solidiori assuefiat.

Interim si alii defectus lactis ingruerent, remedia convenientia adhibeantur, pro exemplo: Si lac imminuatur, indaganda est causa, & si ab indebito aliquo cibo, vel potu dependeat, abdicandi sunt, si ex pauciori alimento, liberaliori detur locus, fovendo simul mammas calidis vestibus, quas & sæpiùs confricare convenit, ac oleo quodam temperatæ calefactionis inungere, nempè oleo irino, anethino, vel fœniculi, præmisso fotu ex decoctione ficuum, fœniculi, althææ, malvæ, & similium.

Intrò assumat ejusmodi pulverem:

℞. *Semin. fæniculi,*
anisi,
seseli,
apii ana ʒij.
rad. cardui Mariæ ℥ß.
piperis longi. ʒj.
facch. albiss. ℥iij.
m. f. pulv. subtilissimus.

Vel ℞. *Sem. napi,*
pastinacæ,
fæniculi,
seseli ana ʒiij.
lini ʒj ß.
cinnamomi acuti ʒij.
facchari ℥ij.
m. f. pulvis.

Cujus ʒij. vel largum pugillum in vino generoso, horâ unâ ante pastum accipiat.

Si verò lac nimiâ copiâ abundet, minuendus est nonnihil cibus, ac potus, imprimis in hisce, quæ multùm nutrimenti dant, ut sunt ova sorbilia, carnes, & vinum, vena quoque est (præterquam mox à partu) secanda, antequam verò remedia ad exsiccandum lac in uberibus applicentur, emulgendum priùs est lac illud jam in mammis existens, ne à remediis in massam duram coaguletur, seu congeletur, tum sequens convenit.

℞. *Pulv. gallarum,*
& Cumini
ana. q. p.

Coquantur in aceto vini, & intinctis spongiis, vel linteis hic decoctionis liquor calens fomentando mammis applicetur. Idem potest fieri decoctione lapidis arenosi albi in aceto, vel herbæ, & radicis hyoscyami ita in aceto bullitæ, vel decoquantur lentes in

pultem, & ex eis cataplasma mammis superponatur.

Reliqui lactis defectus diætâ corriguntur, si nimirum nutrix alimentis, potuque, & aliis rebus convenienter regatur, vitando omnia nimis acria, austera, copiosa aromata, potum inebriativum, pisces, carnem ferinam, & similia, cavendo quoque ab iracundiâ, lasciviâ, forti corporis exercitatione, vel labore, balneatione, multâ ingurgitatione, inprimis autem ab ebrietate.

Porrò etiam modus in lactatione infantis servetur, nimium enim lac, quo ventriculus ejus obruitur, corrumpitur, gravat, & variam ut intemperantia in adultis morbositatem parit, quia omne nimium etiam rerum optimarum vertitur in vitium.

Nutrimentum infantis quod attinet, in hoc lac maternum palmam reliquis omnibus, mensibus prioribus mox à partu præripit, verùm partibus corporis circa mensem quartum augmentum in extensione capientibus, etiam capacitas ventriculi ampliatur, ideo cibus quoque aliquantulùm materialior sensim ventriculo porrigatur necesse est, quem in finem pulticulæ è polline triticeo, & lacte vaccino, addito modico sacchari, vel medullâ similageâ contritâ cum lacte coctâ parantur.

Tandem juxta præcipuorum Methodicorum veram doctrinam cuilibet infanti propriæ matris lac præ ullo alio convenientissimum quidem est; verùmenimverò si mater connatam habeat vitiositatem, ita ut sit furtiva, mœchatoria, stolida, morbida, vel pravo victu confirmatum habitum morbosum introduxerit, tunc ipsius lacti pariter vitioso, utique aliud ex nutrice optimè constitutâ necessariò longè præferendum est. Imò maritus ipsius id cognoscens bene facit, si in truncum sylvestrem, si fieri potest, surculum hortensem, optimæ qualitatis inserat, id est vitiosæ matris infanti ingenitam indolem, & morbositatem, per lactis melioris notæ transplantationem corrigat quantùm corrigi possit, cætera Deo optimo maximo commendans.

CAP. XVI.

De lactis coagulatione.

NOn infrequenter lactantium mammæ lactis coagulatione, & caseoso coagulo affliguntur, cùm vasa illa lactifera lacte nimiùm replentur, & distenduntur. Hic tumor interdùm totam mammam, interdum ejus partem occupat, ac postmodùm multa parit incommoda, nisi maturè obsistatur; quapropter doloribus, & non rarò febribus lactentes torquentur, quinimò in sapore, & consistentiâ lac depravari solet.

SIGNA.

Tumor hic facilè cognoscitur; nam adest mammarum durities, modò minor, modò major, modò totam occupat mammam, modò unam tantùm ejus partem, adest pariter dolor, & quandoque rubor, & malo procedente, febris supervenit, inflammatio, & exinde suppuratio.

CAUSÆ.

Causæ quærendæ sunt, vel in ipso lacte, quod præ aciditate in grumos concrescit, & caseatur, vel in quolibet

alio acido aliunde cum lacte allato: siquidem lac copiosum occultat acidum, & diutinâ in mammis retentione antequam exsugatur, vel emulgeatur, acidum exerit, coagulatur, non secus ac quodlibet aliud lac foris in vasis repositum acescit, quod etiam videmus brevi spatio acescere, instillato aliquo liquore acido mox caseri, ac in serum, & grumos separari. Hinc lac coagulantes, & caseantes coagulo utuntur hœdino, quod est lac summè acidum, & cautè ad hunc finem servant, & coaguli hœdini defectu, lacte ficulneo utuntur, quod est summoperè acidum. Idem etiam contingere potest post nimium refrigerantium, vel calefacientium usum applicatorum, quæ aquosiorem lactis partem exhalare faciunt, crassiori relictâ. Item coagulationem inducere possunt omnia ea quæ lacti aciditatem conciliant, inter quæ primatum obtinent mœror, terror gravis, & præcipuè panicus, rerum acidarum supra mammas applicatio. His victûs accidit prava ratio, acetariorum, vel rerum acidarum abusus, &c. Exindè tumor, dolor, rubor, & mammarum inflammatio.

Nonnulli sub mammarum inflammatione lactis coagulationem comprehendunt, sed frustrà laborant; siquidem inflammatio est solius sanguinis, & non lactis soboles, & licet statuant mammarum inflammationes duas habere causas immediatas, sanguinis copiam, & copiam lactis, extra rem loquuntur, nam unà cum lacte putrescente, sanguis calore, & dolore impeditus grumescit, vel elabitur, & etiam putrescere incipit.

PROGNOSIS.

Lactis coagulatio plerumque sponte cessat, ut remediis opus non habeat; Interdum nisi convenientia applicentur remedia, & præcaveatur, inflammationem, febrem, apostemationem, & quandoque ex Chirurgi ignorantiâ, fistulam accersere solet. Interdùm quoque dum lac induratur, scirrhus, & non rarò cancer inde oritur.

CURATIO.

Curatur hic tumor, si à nimio proventu promoveatur lactis imminutione, si verò ab illius coagulatione in coaguli eductione, vel resolutione. Educitur lac in puerperis, quæ lactant, ore infantis, quòd si unus non sufficiat, plures adhibeantur. Sunt in hac nostrâ civitate quædam mulierculæ, quæ sibi hac arte victum quæritant, lac è mammis sugentes, & lautè vivunt. Solent & pauperculæ mulieres adhibere catellos. Vel ab ipsâ matre emulgeatur, vel exsugatur instrumento suctorio ex vitro, quod vulgò *succarola* vocatur, vel amphorâ prolixum collum, & ventrem amplum habente, quæ immergatur in aquam calidam, vel ad ignem calefiat, ejusque orificium immediatè papillæ applicetur, & prematur; nam ab amphoræ refrigeratione papilla in amphoræ collum intruditur, & lac guttatim extillat. Hoc utimur artificio, præcipuè ubi papillæ non satis patent, vel non satis se exerunt; extrahuntur hoc artificio, & patentiores fiunt.

Inter remedia, quæ lac dissolvunt coagulatum, sunt *spiritus salis armoniaci dulcificatus ad guttas* vj. *sperma ceti*, quod grumos quoscumque dissolvit *à* ℥ß. *ad* j. *oculi cancrorum*, *antimonium diaphoreticum*, *mumia*, *pulvis asellorum ad* ℈j. Item *semen fœniculi*, *cumini*, *chærefolium*, *mentha*, *calamintha* internè sumpta. Valet etiam *seminis*

nis anethi ℥j. quolibet mane.

Exteriùs suas meretur laudes *Emplastrum de spermate ceti*, cujus compositio est:

℞. *Ceræ albæ* ℥iv.
spermatis ceti ℥ij.
gum. galb. in aceto dissolut. ℥j.
m. f. s. a. emplastrum.

Per quod liquatum trahatur tela, fiatque vulgò dictum spanadrapum, utrinque alternatim applicandum. Hoc emplastrum lac in mammis à coagulatione non tantùm præservat, sed etiam coagulatum iterùm solvit, & discutit, aut restituit. Exteriùs etiam commendatur *essentia menthæ* inuncta, sed magnâ cum cautela adhibenda est, ob infelices eventus, quos ex aliorum applicatione observavimus: Verùm tutior est *menthæ succus*, qui lac coire, densarique in caseum non patitur, si ejus folia lacti immergantur, imò si coagulatum erit, hujus succi guttas aliquot instilles, statim solvitur, & in pristinam reddit formam. Ex hoc experimento habemus, quod quoties lac in mammis caseosam nanciscitur coagulationem, corrumpitur, ac inflammationem accersit, tumorem, & apostemationem indubiè parit; aptissimum itaque, & præsentaneum remedium est, si calido menthæ succo mammæ foveantur. Item si in infantium ventriculis lac casescat, quod ex adstrictâ alvo, inappetentiâ, & vomitionibus conjectari oportet, eodem menthæ succo, vel ejus syrupo succurres. Nos pro experimento habemus *inunctionem ex oleo ros. omphacino, & ceræ*, qua lac in mammis coagulatum dissolvimus, & multas mulieres ex imminenti apostematione eripuimus.

Vulgares pro hoc curando affectu multa vulgaria præscribunt epithemata, fotus, inunctiones; verùm quia in unoquoque præcipuè admiscent *acetum*, vel quandoque *hædi coagulum*, potiùs ob aciditatem malum adaugent, quàm resolvunt. Quòd si dolori accesserit mammarum durities, & rubor ob inflammationis metum, tanquam arcanum commendatur *Sambuci Rob.* linteo obductum, & calidè quousque perferre poterit mulier singulis horis mammis applicatum: hoc enim remedio lac resolvitur, & ab inflammatione præcavetur.

His internis, & externis medicamentis attenuantibus, & resolventibus adhibitis, si præveniri, aut impediri suppuratio nequit, vel quia Medicus non statim accersitus fuit, vel quia vulgaria adhibuit medicamenta, tunc admovenda sunt illa quæ ipsam promovent, ac capite de inflammatione descripta sunt, & juxta nostram methodum tota curatio peragatur; verùm quandoque contingit, ut mamma ad sanitatem perduci non potuerit, quia lac ab abscessu emanat, tunc lac exsiccetur in utraque mammâ, aliàs frustrà laborabit chirurgus.

CAP. XVII.

De Mammarum inflammatione.

Mammæ variis tumorum generibus infestantur; nam cùm glandulosâ constent substantiâ, ita ut nihil sint, quàm corpusculorum glandulosorum quamplurimorum perexiguorum congeries, & ex aliâ parte grandiora vasa à naturâ

receperint ob commodiorem lactis generationem, ad quem usum potissimùm sunt formatæ, tunc omnes cujuscumque generis succos recipiunt, cùm tenues, tum crassos, frequentiùs tamen inflammatoriis tentantur tumoribus; nam facilè in iis lac concrescit, & concretum tensiones, dolores, inflammationes, & febres advehit. Præter inflammationes non rarò scirrho infestantur, tum à principio, nec alteri succedens affectui, sed etiam inflammatoriis secundariò, scilicèt tumoribus succedentibus; nam cùm rarò mulieres ab initio Medicorum consilia advocent, & in his casibus facilè obstetriculis, aliisque fœmellis se committant, quæ varia, atque diversa administrant medicamenta; quibus facilè tenues particulæ discutiuntur, crassioribus relictis, iisque induratis in scirrhi dispositiones transmutantur, quinimmò ex his facilè quoque ad cancros perducuntur. Primò de inflammatione tractabimus, quæ frequentiùs in iis generatur, & potissimùm in puerperis, vel ex sanguine ad mammas concurrente, vel lacte in iis detento; nam cùm hac nostrâ tempestate plurimæ enixarum, quæ suos partus alere nequeunt, vel nolunt, meritò hujusmodi tumoribus infestantur, lacte in mammis detento, & eò magis si per uterum non rectè purgentur. Addimus etiam, quòd pleniori utplurimùm utuntur victu, pullis, scilicèt contusis, juribus consumptis, carnibus, ovis, & similibus, & quod magis facit, vino græco generoso utuntur, à quibus causis sanguinis plenitudo, moles augetur, quæ ad mammas ipsas, ut diximus, recurrens, promptè inflammationes excitat.

SIGNA.

Vera mammarum inflammatio facilè cognoscitur ex tumore duro, rubro, calido, & dolente, & vehementi in mammis pulsatione, his conjungitur quoque febris, quæ inflammationis socia semper existit.

CAUSÆ.

Pro mammarum inflammatione statuunt vulgares chirurgi sanguinem ad ipsas recurrentem; verùm inquiunt, nunquam exquisitam, & sinceram in iis fieri inflammationem, & ad sanguinem excrementitium confugiunt, ac propterea utplurimùm spuriam, & illegitimam fieri, secundum quod sanguis vel biliosus, vel pituitosus, aut melancholicus fuerit, vel horum omnium naturam sapit. Ex sanguine bilioso inflammatio gignitur erysipelatosa, seu ad erysipelatis naturam vergens; ex pituitoso provenit œdematosa; ex melancholico deinde oritur scirrhosa, seu scirrhosæ dispositionis particeps, seu tandem quodam modo has participabit omnes, ubi sanguis horum omnium particeps fuerit. Verùm errant humoristarum scholæ, nam inflammatio ad erysipelatis naturam accedens, esset perniciosa, quia ab erysipelate suppuratio malum, quod in inflammatione oppositum experimur; si esset œdematosa, nunquam suppuraretur; si scirrhosa, insanabilis: & itaque vanum quaternarii humoris figmentum.

Vera mammarum inflammatio fit à nimiâ sanguinis ubertate, vel incalescentiâ, ob menstrua, vel lochia suppressa, vel imminuta, vel ob plenio-

rem victum, qui ubi uber, vel impurus ad ubera regurgitat; maximus enim consensus, & confluxus est ab utero ad mammas, ac in vasculis capillaribus hærens, ac stagnans, imò extra ipsa vascula in laxam mammarum substantiam elabitur, ibique à circulatione impeditus concrescit, ac acescit, hinc tumor, calor, pulsatio, & inflammatio oboritur. Potest etiam ab externis caussis etiam contingere, nempe à contusione, lapsu, ictu, nimia vestium strictura, repentinâ post calorem perfrigeratione, ac sudoris erupti repercussione. Item ab animi affectibus, nempè terrore, irâ, zelotypiâ; lascivâ concupiscentiâ; nihil enim potentiùs uterum afficit his affectibus, & per consensum etiam facilè mammas.

PROGNOSIS.

Mammarum inflammatio non est contemnenda, licèt aliorum calidorum tumorum respectu per se minùs periculosa sit, partium tamen affectarum ratione sæpe perniciosa evadit, & propterea quia mammæ laxâ substantiâ multis præditæ sunt glandulis, caloremque habent debilem, facilè eorum inflammatio vel in abscessum, qui in fistulam abire solet, vel in scirrhos, vel in cancros degenerat.

CURATIO.

Curationem perficiunt vulgares, primò tenui, & refrigerante victu cum abstinentiâ à carnibus, vino, & quæcumque pleniorem generant sanguinem, interdicunt. Deinde si sanguinis copia in corpore redundet, unde affluxum metuant, inflammationem augeri existiment, & potissimum si à menstruorum, vel lochiorum suppressione, vel imminuto fluxu inflammationem provenire suspicentur; primò venam in talo tundunt, vel crura scarificant, & inde venam in cubito aperiunt. Si uterus non sit in causâ, illicò venam in cubito secant, & reiterant. Verùm hac sanguificinâ affluxurum erit, præcavere student, & non quod urget, avertunt; affluxum, & elapsum intra laxam mammarum substantiam, licèt totum exhauriant, non attingunt. Si vitiosi humores affluant ad mammas, & sanguinis affluxui, & inflammationi ansam præbeant, lenia exhibent medicamenta. Verùm si centies purgarent, nunquam inflammationem curabunt, nisi in resolutionem, vel suppurationem abiret, imò purgantia inflammationes semper in pejus mutare solent.

At quia inflammationis indicatio apud vulgares est inflammatæ partis refrigeratio, propterea refrigerantibus, ut dicunt, utuntur: imponunt ergò sæpius supra mammas linteum poscâ madidum, vel

R. Succi lactucæ,
portulacæ,
solani ana ℥. j. ÷.
olei ros. ℥. ij.
chamomeli,
aceti ana ℥. j. m.

Verùm hæc frigida, & repellentia periculosa sunt; nam calorem labefactant, & facilè mammas in lapideam duritiem adstringunt, unde scirrhi curatu difficiles, & quandoque cancri oriuntur. Tandem discutientia adhibent, ut

♃. farinæ fabar.
lupinor.
semin. lini,

fœnugræci,

fœnugræci.
Pulv. flor. chamæmel. ana ℥. j.
coque, & adde
ol. chamæmel. ℥. ij.
f. cataplasma.

Quòd si materia non discutiatur, & tumor non minuatur, alterutrum metuendum est, vel ut materia induretur, vel ut suppuretur. Si induratur, emollientibus utuntur, ut

℞. *fol. malvæ m.* j.
coque ad putrilag. & adde
farinæ semin. lini,
pulv. radic. althææ,
flor. chamæmeli ana ℥. j.
coque iterum, & adde
ol. sesamini ℥. j.
f. cataplasma.

Vel inungunt *oleo lumbricorum terrestrium.*

Si inflammatio ad suppurationem vergat, suppurationi incumbunt *Emplastro diachylonis*, *vel pane triticeo in lacte cocto cum pauxillo croci*, vel sequenti cataplasmate, ut

℞. *fol. malv.*
altheæ ana m. j.
ficuum num. V.
farinæ semin. lini,
fœnugræci ana ℥. j.
fermenti ℥. ÷.
coque in lacte vaccino, & adde
unguenti basilici ℥. j.
Croci ℈. j.
m. f. cataplasma.

Vbi pus generatum est, abscessum ferro aperiunt, pure educto, ad sanguinis fluxum sistendum, stupam cum ovi albumine conquassato applicant, quam post viginti quatuor horas removent, & per longum tempus digestivo regunt, post quod unguentis incarnantibus, & cicatrizantibus utuntur.

Inflammationis mammarum curatio in sanguinis obstruentis, vel elapsi resolutione consistit, unde medicamenta conveniunt, quæ pristinæ circulationis restitutionem promovent, & reliquas particulas vitiosas, & terrestres per convenientia emunctoria eliminent, sive per alvum, urinam, menses, sive transpirationem, hujusmodi sunt diaphoretica, ut *aqua stillatitia cardui benedicti, cheræfolii, bardanæ.* Item *sperma ceti, sanguis hirci ad pleuritidem, c.c. sine igne præp. stibium diaphoreticum, bezoarticum minerale, sulphur auratum diaphoreticum, spiritus cornu cervi, oculi cancrorum, sal volatile cornu cervi, cardui sancti &c.* diaphoretica, quæ in aliis inflammationibus descripsimus.

Exteriùs conveniunt *spiritus vini camphoratus, crocatus, aqua Reginæ, Hungar.* &, si dolor urgeat, *aqua spermatis ranarum tepida, vel aqua vitrioli, vel epithema ex thure, & myrrhâ cum vino coctis*, & tepidè applicatum. Item *emplastrum de spermate ceti*, vel bis in die admoveatur de *ung. althææ*, quod egregiè resolvit, & discutit.

Quod si pristina fluiditas sanguinis reparari nequeat, quia inflammationis materia pus concepit, suppuratio potiùs promovenda, quàm præpedienda, eam promoveamus *emplastro filii Zachariæ, & mucilaginis*, vel sequenti cataplasmate, ut

℞. *Rad. alth.*
lilior. albor. ana ℥. j.
fol. malvæ,
mercurial. ana m. j.

Coquantur ad mollitiem, quibus contusis, adde
farinæ tritici,
hordei ana ℥. ÷.

butyri recentis,
ping. gallinæ ana ℥. j.
o'. chamæmelin. q.s.
fiat cataplasma,
tepidè imponendum.

Pus jam genitum esse cognoscimus ex febris, caloris, doloris, pulsusque in mammâ remissione, & tumoris in acumen, sub quo inundatio percipitur, elevatione, rectissimè fit, si pus quamprimùm effundatur; tunc sequenti cataplasmate opus perficies, & complebis: *Cæpa sub cineribus assata, & cum axungiâ porcinâ, & modico sapone Neapolitano subacta citò abscessum rumpit, vel emplastrum Apostolicum.* Cæterùm *emplastrum nostrum benedictum, quod cap. de strumis* ingenuè communicavimus præstantissimum erit, quasi Dei benedictionem in hoc persanando morbo consequutum sit; nam solâ superpositione, & renovatione abscessum maturescere facit, aperit, & sanat, ut nos experti, nec in mammarum abscessu alio usi sumus usque adhuc citò, tutò, & jucundè plusquàm centum mulieres hoc morbo affectas curavimus. Ita hoc emplastrum omnia alia excedit hoc in curando morbo, ut mulieres hoc morbo affectæ, quibus hujus emplastri pauxillum tradidimus, & seipsas absque chirurgi quotidiano usu curârunt, emplastrum pro mammarum apostematibus appellavêre.

Si abscessus sponte non rumpatur, non scalpello aperiendus est, quia mulieres sunt delicatulæ, & instrumentum ferreum pro apertione abhorrent, sed aliquantisper præstolandum est, & indubitanter optatum à nostris medicamentis consequenter effectum. Quòd si metus sit in morâ, sed dulò aperiendus est brevi incisione, se in loco decliviori, ut puri commodior detur commeatus, quo facto, sensim pus evacuandum est, deinde pauxillum, turundâ medicamine imbutâ, amplius fiat abscessûs orificium, quod idem observandum est, si sponte rumpatur. Abscessum apertum mundifica non vulgari methodo, sed summam adhibe diligentiam, & exquisitis utere medicamentis, cùm mammarum substantia sit spongiosa, & cavernosa. Primò igitur aliqui apertum abscessum vulgari digestivo digerunt, quod utique per aliquot dies non improbamus, si post quos huic *mel rosatum simplex* immiscueris, & optimum digerens, & mundificans efficies, deinde *turundis oleo nucis juglandis utere, vel balsamo sulphuris terebinthinati*, tandem persanatur *emplastro diasulfuris Rulandi, vel fodicationum Paracelsi, vel oppodeldoch.*

CAPUT XVIII.

De Morbo Pilari.

QUidam Medici inter mammarum affectus referunt malum pilarem, quod Græci Trichiam appellant, sic dictum à pilo, qui in mulierum mammis post partum invenitur, & cum lacte excernitur, neque veteres Medici de hoc ambigunt, & sæpe hoc malum, sed non verum pilum in lanctantibus observavimus, cujus quoque *Aristoteles lib. 7. de hist. animal. cap.* 11. mentionem facit, statuit namque si pilus poculo haustus sit dolorem

rem moveri in mammis, qui non sedatur, donec pilus vel expressus exeat sponte, vel cum lacte is exsugatur.

Hanc ineptam Aristotelis sententiam *Hieronymus Cardanus*, & *Thomas à Vegâ* sequuntur, & ineptè credunt pilum lactationis tempore ad mammas pervenire posse, vel epotum, vel cum cibo sumtum, quia attracti virtus in mulieribus tunc valida urget, vel ob sanguinis ad mammas confluxum, & partis laxitatem, vel cum chylo celeriori fluxu agitatum ad mammarum tubulos, & ipsum tandem lactis receptaculum delatum, ex quo cum lacte per papillarum cuniculum quendam ejectum, qui ex eodem prominet aliquâ parte, ut digitis, vel volsellâ se facilè præbet extrahendum.

Nec nos majora, & devia movent exempla; refert enim *Langius lib. 2. epist.* 40. de juvenculâ quadam in Principis cujusdam Germani gynæceo, quæ cùm sese ad speculum adornaret, detentis ore aliquot acubus, quibus peplum affigeret, ab amasio à tergo clanculum ac edente intra scapulas percussa, acus deglutivit, quas post biennium, illæsis ureteribus, eminxit. Item *Alexander Benedictus* narrat de puellâ Venetâ, quæ acum deglutiverat, eamque post biennium eminxit, calculo incrustatam. *Antonius Benevenius* refert, quòd mulier Hetrusca, acum cupream deglutiverat, quam triennio inde, juxta umbilicum sana excreverat. Narrat *Helmontius de injectis materialibus* §. *Vilardia anno* 1636. *Rusticus mihi notus volens saginare vaccam, illi quotidei poculum dedit, cui incoxerat olera cum furfuribus. Tandem emaciatur in die magis, capitque dextero crure claudicare: cæsâ vaccâ, inventus est brevis culter uxoris suæ, in capulum buxeum retortus, inter costas, & homoplatam abditus: rustica enim concidendo rapam, cultrum inter olera reliquerat eumque vacca bibendo deglutiverat.* Hæc, & alia exempla, an vera sint, fides sit penes suos authores. Vnum tantùm scimus nos deglutitos nummos, lapides, metallorum fragmenta, clavos, & id genus alia per anum excreta fuisse.

Has aniles fabellas credat, Judæus Apella, quod nos non ita facilè Aristoteli, ejusque procuratoribus per epistolam assentimur; sed cum cordatis Viris, Vesalio, Mercuriali, Sennerto, & recentioribus aliter sentimus; non enim per tot angiportus, tenuesque anfractus ab ore ad mammas pilum duci posse arbitramur, etiamsi mammæ illum fortè, cum in ipsarum venis consisteret, amplexuræ essent. Certum est pilos in tot coctionibus immutatos permanere, cùm compactioris sint substantiæ, verùm hoc potiùs nos movet si pili facilè ciborum reliquiis adhæreant, cur non cum fæcibus per intestina, tanquam per liberius potiùs ostium, quàm per tot exilissimos meatus, totque anfractus ad mammas usque deriventur; dicimus itaque hos pilos in mammis generari. Quid autem sint, sub judice lis est; *Mercurialis* namque sanguinis fibras esse putat, cæterùm sanguinis fibræ à sanguine non separantur, sed totus ad mam-

mas affluit. Alii probabiliter statuunt in mammis hos pilos generari, ut in aliis corporis partibus pili generantur, & ex iis excernuntur quemadmodum in renibus, urinariisque meatibus, & per urinam excretos fuisse testantur fide dignæ observationes, & hos nobis multoties autopsia demonstravit, sed nec horum genesim adducunt. Puerile namque est cogitare pilum haustum ventriculum, meseraicas, jecur secundum eorum sententiam, pertransire, & & ad mammarum cavernas per mille anfractus pervenire.

SIGNA.

Pro morbo pilari in mammâ adest rubedo, ingens dolor, rigor, febris, capitis dolor, & totius corporis lassitudo, & alia symptomata, quæ pilus ibi generatus excitat, dum exitum quærit.

CAVSÆ.

Pili causa in mammis est natura lasciviens in succo alimentitio, quem assimilare deberet, & non solùm non assimilat, sed facultatis assimilatricis errore in hoc aliquid juxta exilium partium situm transmutat, videtur pilus, sed reverà non est talis, sed quid pilo analogum. Hoc idem, & alia plura in absscessibus frigidis, atheromate, steatomate, & melliceride observantur, tunc cùm solida continent corpora, ut ungues, pilos, lapides, spinas, variorum insectorum figuras, &c. Hæc etiam quandoque in mammis accidunt, & interdum præter naturam generantur pili. Lapides scribit *Bald. Ronsseus* in mammis genitos se observasse. Narrat etiam se novisse mulierem, quæ cùm gravissimis uberum doloribus exagitaretur, ei dolor non priùs desierit, quàm apertis vomicis utrinque vermes prosilierint. Sunt mammæ exquisitissimi sensûs, unde facilè à rebus præter naturam in ipsis genitis læduntur: hinc dolor, ex quo partis contractio oboritur, & in glandulis obstructio, ex hac, lactis stagnatio, demum aciditas, hinc sanguis in vasis capillaribus stagnat, & tot, quot in signis enumeravimus symptomata, emergunt. Vnde evenit quandoque, ut inflammationi, & lactis coagulationi mammarum trachia succedat.

PROGNOSIS.

In mammarum trachiâ libenter, extracto, vel exsucto pilo, evanescunt symptomata, quod si in longum protrahatur tempus, pili eliminatio, in abscessum degenerare solet.

CVRATIO.

Hujus morbi curatio in pili eliminatione consistit, unde si sponte non exeat, lac sugendum præbeatur infanti, & leviter exprimatur, vel si ex papilla promineat, digitis, vel forcipulâ extrahatur; quòd si reluctetur, exteriùs mamma *cancrorum fluviatilium, vel marinorum succo* illiniatur. Intereà chirurgos admonitos esse volumus, ut à frigidis, & repellentibus, quæ ceu venena vitanda sunt, se abstineant; estò enim humorum affluxum, & suppurationem impediant, succos tamen stagnantes magis incrassant, & ad resolutionem reddunt inhabiles, & glandulosum corpus mammæ corruptioni

facilè

facilè obnoxium reddunt. Eapropter interiùs, & exteriùs varia diaphoretica adhibeantur, quæ obstructiones reserent, & aciditatem emendent.

CAPUT XIX.

De Papillarum fissuris.

MUlierum gravidarum, aut puerperarum, præcipuè lactantium papillæ, non secus, ac oris labia, anus, uterus, volæ manuum, & plantæ pedum, interdum finduntur; rimulas, fissuras, seu scissuras, quas rhagades vocant Græci, contrahunt, quia tenerrimâ obductæ sunt tunicâ; acerbos patiuntur dolores, maximè dùm lac sugit infans, ubi aliàs eædem papillæ sanæ existentes potiùs ab infantis suctione, titillationem, ac veneream sentiunt voluptatem ob inter mammas, & uterum consensum. Aliæ foveâ, hoc est rimâ in papilla molestantur.

SIGNA.

Hic affectus nullo alio indigent indicio, præter inspectionem; sunt enim ulcuscula rimosa, & quandoque maxima veluti fovea in papillæ foraminulis, valde molesta, & dolorifica, & maximè inter sugendum, & ob dolorem acerbissimum sustinere non possunt lactantes, ut mammæ sugantur, ex quibus quandoque sanguis, & quandoque ichor, seu corrupta lympha stillat.

CAUSÆ.

Oritur hic affectus à nimiâ cuticulæ teneritate papillas ambiente, quæ ob fortiorem infantis suctionem dividitur, cùm à gingivis, aut à dentibus papillæ mordentur. Sæpe excoriantur, ab infantium ore aphthis, aliisque ulceribus malè affecto, vel à lactis effusi particulis sponte & continuò affluentibus, in papillis adhærentibus, non rectè abstersis, & acescentibus, vel à salsâ lactis acrimoniâ ipsas etiam mammas, & partes vicinas, ad quas pertingit, excoriante; vel à particularum salinarum, vel acidarum in cutaneis papillarum poris existentium dominio, à quibus papillarum tunica in fissuras diffinditur, vel ex lymphæ benignioris & oleosæ defectu, papillarum teneritatem, vel rigiditatem non inungentis, & emollientis. Huc referimus causas externas, ut sunt aër in calore excedens, aut nimis frigidus, & acris, qualis in Martio, & à constitutione Aquiloniâ dominatur, quia tùm temporis aër multum acidi nitrosi in se continet, unde in his, qui teneriori cuticulâ præditi sunt, fissuras in labiis, & manibus excitare solet.

Producitur fovea à fibrarum disruptione inter fissuras existentium, à fortiori adhùc acrimoniâ acido-salinâ in fissuris collecti productâ, quæ fit à lymphæ benignioris, & oleosæ defectu, tùm glandulas, tum fibras humectantis, & illinientis, ne tam facilè à quâdam externâ injuria disrumpantur.

PROGNOSIS.

Papillarum fissuræ & foveæ non solùm molestæ sunt, & acerbissimo dolore conjunctæ, sed si diutiùs durant, difficulter sanantur; quia ob infantium suctionem, nulla, aut exigua papillis datur quies, & in prava transeunt,

eunt ulcera, ob acre ibidem adhærens, unde sæpe tota corroditur, & absumitur papilla, & mulieres ad lactationem planè redduntur ineptæ.

CURATIO.

In minimis his affectibus, ita diæta observanda est, ne saltem auream excedat mediocritatem, aliter Medicus, & medicamenta incassum laborabunt. Aërem frigidum, & aquilonium vitet ægra, nec tali aëri papillas exponat.

Putant vulgares hos affectus ab humorum biliosorum acrimonia, vel siccitate, à quibus cutis disrumpitur, & eroditur progigni, ideoque bilis acrimoniam obtundentibus, eos curari credunt, ac proinde linimentis *ex semine Psyllii, & cydoniorum utuntur*, quibus *tutiam, cerussam, oleum rosatum, aut liliorum, vel butyrum recens, vel anatis axungiam* admiscent. Lactantibus verò antequam infantis ori papillas inserant, imponunt, t *aquâ rosarum* abluantur. Si dolorem in ipsâ suctione lactantes sentiant, papillis calicem stanneum, vel argenteum, superiori parte perforatum, mammæ respondens, papillâ uberis recèns vaccæ mactatæ tectum apponunt, & infanti papillam illam vaccinam sugendam præbent; sic enim infans suget, & labiis papillam fissam, & dolentem non attinget, & lac suget. Ad præcautionem ultimis tribus gestationis mensibus, ne papillæ findantur, nonnulli capulas, aut pileos è cerâ paratos, abietis resinâ plenos, thoraci alligatos excogitarunt, quos papillis superimponunt, ne decidant, ubi resina absumpta est, novam infundunt.

Ad papillarum fissuras, & foveas curandas necessaria sunt medicamenta, quæ particulas acido-salinas in papillis collectas, vel aliunde suppeditatas emendant, hebetant, & diluunt, qualia sunt diaphoretica; ut *antimonium diaphoreticum, bezoarticum minerale, cætera*, vel remedia porosa, & volatilia sæpiùs exhibita. In parte conducunt *terra exanimata vitrioli, spiritus vini camphoratus, cremor calcis vivæ, cremor lactis, mucilagines*, quas in labiorum rhagadibus retulimus, fibras siccas, & rigidiores emolliunt, leniuntque *mucilagines extractæ cum aqua spermatis ranarum, addito momento sacchari saturni, & tutiæ præparatæ*. Excellens, & omni laude dignum remedium est *butyrum elicitum ex cacao in chocolatis opificio*. Optimum medicamentum est *oleum ovorum, lumbricorum, vel unguentum aureum cum guttulis aliquot olei destillati ligni Rhodii*. Vel sequens Linimentum:

℞. *Ol. amygdal. dulc. q.s.*

in quo frige radices lilii, in taleolas dissectas, amotis radicibus, extra ignem agita oleum candelâ ex cerâ albâ, donec fiat linimentum. Vel conveniunt *axungiæ, & pinguedines* in labiorum fissuris descriptæ.

Ad dolentes papillarum fissuras, vel à fortiori infantium suctu, vel à lactis aciditate, vel à lactantium aphthis applicetur *oleum hyperici, vel rosatum, in quo radices pimpinellæ fuerint infusæ*.

In fovea, vel papillarum exulceratione laudamus *oleum ceræ, vel balsamum proprietatis per infusionem, vel balsamum Peruvianum, vel oleum myrrhæ*, cujus descriptio talis est:

℞. *Ovum unum, vel plura*

indurata

indurata mediâ elixatione, quæ à cortice munda, ac in duas partes æquales divide, aufer vitellum, & vacuum imple myrrhâ electâ in pollinem redactâ, filo circumligatum ovum claude, pone in loco humido inter duas patinas. Ovum aperi, & liquorem ad hunc usum invenies. Si papilla sanguinem stillet, *infusione lapidis medicamentosi, vel terrâ exanimatâ vitrioli* utere. Adverte tamen, quòd in horum medicaminum applicatione semper *pileolus plumbeus* in apice, foraminibus pluribus pervius super papillam imponendus est.

Tandem supremam manum imposuimus de morbis mulierum tanquàm ad humanæ generationis officinam: Adest tantilla pars præ omnibus aliis, quæ viros allicit, & dementat, ac mulieres in varios adigit cruciatus, verùm in hoc naturam culpare debemus, quæ invitat, & trahit: Cœterùm per naturam, quæ peccavit mulier multis ærumnis obnoxia facta est, & præter cruentam deturpationem ob patratum scelus, & communes cum viris languores, sexcentarum ærumnarum, & innumerabilium penè morborum propriorum jugum sufferre cogitur, quibus muliebrium tribuitur cognomen, eapropter uterus est omnium totius corporis pravorum humorum sentina, imò cloaca, unde *jure* merito miseriæ abyssus, calamitatum chaos, morborum morbus, & lerna malorum dici potest. Ob commercium, quod cum nobilioribus, & principalioribus habet, cor, cerebrum, nervos, diaphragma, ventriculum, intestina, dorsi medullam, vesicam &c. in languores trahit; hinc mulieres facilè epilepsiâ, animi deliquio, cordis palpitatione, suffocatione, asthmate, inappetentiâ, nauseâ, vomitu, colico, vel dorsi dolore afflictitantur. Quantum Creatori debemus, qui nos non fecit fœminas, & à tot carnificum cohorte eripuit, attamen nos ingrati, nec etiam tantum munus acceptum animo volutamus?

FINIS.

INDEX RERUM
ET MATERIARUM
Quæ in hoc Tractatu De Morbis Mulierum
R. D. CAROLI MUSITANI
Continentur.

vermibus

M.

Men-

Affir-

Ve-

Juxta

FINIS.



